DE MATERIIS TRIBVNALIVM S. INQVISITIONIS

SEV DE REGVLIS MVLTIPLICIBVS

Pro Formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore

PRAEMISSIS XIII. PROLEGOMENIS

DE ORIGINE ET PROGRESSV

DICTORVM TRIBVNALIVM,

Opus, tùm eorumdem, & quorumlibet Tribunalium Iudicibus, ac Ministris, tùm moralis Theologiæ, & Iurisperitiæ Professoribus valde vtile.

AVCTORE

R. P. SEBASTIANO SALELLES

De Societate IESV, Hispano ex Regno Valentiæ, S. T. P. & Tribunalis Melitensis per Annos quadraginta assiduo Consultore.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. Dominum

D. HIERONYMVM FARNESIVM

Archiepiscopum Patracensem, almæ Vrbis, eiusq; Districtus Gen. Gubernatorem.



ROMAE, Extypographia Io. Petri Collinij. M. DC. LI.

Sumptibus Ioannis Antonij Bertani, Sub signo Gryphi.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD ILLVSTRISS., ET REVERENDISS. D.

D. HIERONYMVM FARNESIVM

ARCHIEPISCOPVM PATRACENSEM,

Almæ Vrbis, Eiusque Districtus Gen. Gubernatorem.

❦❦❦❦❦

EA est Diuinæ ratio Prouidentiæ, vt quandocunque contra Christianam Rempublicam Hœresis exoriatur, falsisque on usta Dogmatibus suis vndecunque serpens virus effundat; dum in terris furore debaccathur insano, contra eam calamum acuant in gladium, atramentum vertant in sanguinem. papyrum in vmbram mortis enucleatè Scriptores pro tuenda Ecclesiæ veritate commutent: hinc fuit vt contra Valentinum olim Iræneí non fuco delinita sed argumentis armata in terrarum orbe perorauerit Eloquentia, contra Arrium Rethorum arma exonerauerit Athanasius; contra Pelagium cum immortali laude tonuerit Augustinus contra Iconomachos dimicauerit Sentētiarum grauitate Damascenus; contra Albigenses sapientia; & vitæ sanctimonia non sine triumpho decertauerit Dominicus; plurimos nō e numero huiusmodi magni pōderis auctores. Ignatium tamen anteacti sæculi silentio non præteribo Societatis Iesu institutorem inter Cælestes cooptatum apud hominum memoriam maxima commendatione spectabilem quia ipse ad tollendam e medio perfidiam Hæreticorum, & ad pessumdandos male de Ortodoxa fide sentientes suum ordinem excitauit, vt contra huius generis hostes ille bellum indesinenter indiceret, quique eum profiteretur contra eos indefessé pugnaret hinc est vt sui Ducis antesegnani vestigijs insi stens P. Salelles omnis disciplinarum generis refertissimus Hæreticæ prauitatis hostis acerrimus quadraginta annorum interuallo in Insula melitensi Consultoris accuratè prouinciam sanctæ Inquisitionis aggrediens & vt tēpus quod supererat publicę inseruire t vtilitati de rebus ad hoc sāctū Tribunal idonee spectātibus ingens opus elaborauerit super Theologica incude confectum, atque ad illud enixè moliendum acuté Dialectica docte morum Philosophia, eruditè tam Cæsarei quam Pontificij Iuris peritia allaborarunt; cuique malis artibus officere nequit Inuidia sed famulatur ingenium, proficuumque laborem Inquisitorum approbauerit auctoritas, redditum auspice Deo meis manibus tanti viri monumentum in typorum lucem emittere non dubitaui; mihi autem opus erat, vt ei lumen splendidius impertirem vt in eius vestibulo tuum nomen præponeretur, quod ei lucem donaret, atque patrocinium, quare tuorum inspectione meritorum ipse commotus, deque tua benignitate cōfissus

fissus

692964

fissus illud pluribus ex causis tibi consignandum existimaui presertim ob Farnesiani generis nobilitatem ad hæc vsq; tempora tot sæculorum reuolutione tr ductam, Heroum gloria florentem, Ducum splendore Se eniſſimam, Purpuratorum Patrum dignitate cæteris eminentem, denique Pontificis trip ici Regno venerabunde tremendam, & ob ea animi ornam nta quæ te reddunt apud exteras gentes sine assentatione conspicuum prorsus ea sunt, quas e colis in mentis arce virtutes, Iustitia Sapientum existimatione Regin, fortitudo, qua sensus coerces rationis effroenes, in aduersis tolerantia qua pectoris rob r semper ostendis æquales, Constantia, ua in su cepto consilio persistis immotus, Charitas qua cuncto amplecteris, Humanitas qua hom nes tibi deuincis inuitos, eosque Clementiæ lacte depasceris, vitæ Candor; ex omni p rte mores aureos plane tuos illuminans quas dotes corporis animique radiant bene nouit Vrbanus octauus qui te inter vtriusque signaturæ Referendarios adscripsit, & inter Archiepiscopos designauit teque Nuntium apud Heluetios destinauit, apud quos lumina non pauca tuæ emicuere prudentiæ & plura nituere signa pietatis teque Romam regressum Congregationis Regularium à secretis danunciauit, Demum INNOCENTIVS X. P. O. M rerum à te pręclare gestarum animaduersione detentus te inter Patres sanctę Inquisitionis adnumerauit quę potissima caussa fuit cur prę ceteris tuę amplitudinis titulo librum insignirem e quo possis quantum ipse velis haurire sapientię veniā fortasse merebitur ea quā habeo erga te obseruantia, & quamuis certo sciam te grauioribus curis esse distractum, dum enim Vrbem moderaris tuis obsequentem imperijs ad studia tempus minime sortiris idoneum vt tibi prospiciam trado scriptorem plures facilitate quæstiones & breuitate soluentem, tu interim illum libenter excipe tanquā obsequij famulantis indicium licet exiguū quod si non explet officium saltem vt cum Symmacho loquar contestatur affectum.

Humillimus, & obseruantissimus seruus

Ioannes Antonius Bertanal.

PROLEGOMENA XIII.

PRO INDAGANDIS ORIGINE, ET PROGRESSV TRIBVNALIVM Officij S. Inquisitionis, exprimendisq. eis tum in genere pro quibusuis locis, tùm in specie pro aliquibus particularibus, maximè pro hac Insula Melitensi, ac locis eis adiacentibus, contra hæreticos, seu recedentes à vera Fide per quæuis tempora vsque ad præsens.

Tametsi expendenda in his Prolegomenis merè speculatiua, & consequenter nullius, aut exiguæ saltem vtilitatis alicui fortè videbuntur: inseruient tamen non parum ad praxim: cum hisce lectis quilibet Ministri, & Officiales Tribunalium Sanctæ Inquisitionis perpendendo exempla maiorum, ad proprium munus legitimè, & exactè obeundum valdè possint excitari. Vnde deposito prorsus timore, nè quis mihi vitio vertat, quod in opere vndequaque practico de Materijs Tribunalium Fidei, seu de Regulis multiplicibus pro formando quouis eorum ministro, præsertim Consultore, ab his Prolegomenis decreuerim initium sumere, iam ad ea perlegenda, atq. multo magis dicto modo practicanda Ministros, & Officiales prædictos, vt par est, vehementer exhortari inducor.

PROLEGOMENVM I.

De prima origine, & progressu Tribunalium S. Inquisitionis ab initio Mundi, vsque ad tempora Christi Domini, & Apostolorum ad punitionem hæreticorum, &c.

1 MIRVM valdè tàm absolutè testificetur Apostolus. 1. Corinth. 11. *opportet hæreses esse.* His enim nihil detestabilius, nihil quod magis abominationem pariat apud Deum: quod ipsis, & mirabile Fidei Catholicæ ædificium heù multis in locis in dies corruat? & propugnaculum Ciuitatis Hierusalem, nempè Ecclesiæ Sanctæ militantis, heu quam penitus ferè destruatur? Et quidem de veris hæresibus, vt nomen ipsum sonat, seu de erroribus mentis formalibus contra Fidem, & doctrinam Christi Domini cum Tertulliano lib. de præscript. cap. 1. & 4. ac 30. & cum D. Augustino de Ciuit. Dei lib. 16 cap. 2. & lib. 18 cap. 51. interpretantur multi, quidquid alii aliter sentiant, & dicant. Præter causam autem talis testificationis, aut hæresum necessitatis, quam sic statim idem Apostolus subiungit, *Et vt*, inquit, *qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*. diuersas assignant diuersi ex Sanctis Patribus, & Sacris
2 Doctoribus, discutientes illud graue dubium, cur Deus, peccatum hæresis, sicut quoduis aliud mortale permittat; cum meritò ipsum summopere detestetur, & salua libera voluntate creaturæ rationalis possit facilè impedire? Ac reliquis omnibus omissis, quod non sit locus oportunus eas recensendi, attingo cum eodem D. Augustino, & cum S. Ambrosio in Apol. Dauid. cap. 2. illam tantum, quæ ad rem præsentem facit, nempè Deum Opt. Max. huc vsq. sic permisisse, & in præsentiarum permittere, ac vsq. in finem Mundi forsan permissurum ad ostentationem, & exercitium in hoc sæculo, & in futuro suæ Diuinæ iustitiæ punitiuæ, supposito quod creatura rationalis ab ipso velit recedere, & pro libito sui arbitrii à recto, & vero tramite eligit decli-
3 nare, † Ex hac itaq. tacita suppositione optimè infert D. Paulus, *oportet hæreses esse*, & consequenter ex eadem suppositione, oportunè quiuis inferet, oportet Tribunalia S. Inquisitionis ad inquirendum, & procedendum contra hæreticos, vel recedentes à Fide Catholica, ad puniendumq. ipsos semper erecta esse, vti re vera sunt, & iugi tempore fuerunt. Ex quibus manet resoluta quæstio, an res sit? quæ est prima in quauis materia, aut scientia. Sequitur discutiendum, quando nam cæperint esse? quo tempore Tribunalia Fidei ad prædictum effectum erigi inchoarint? qualis nam dein successiuè ipsorum progressus?
4 Circa vtrumque duo egregii Scriptores ex recentioribus, Ludouicus Paramus Boroxensis, & Franciscus Torreb anca Villapando Cordubensis locis citandis omnes Mundi ętates à prima vsq. ad initium sextæ, seu magis præcipuam eius partem temporis Verbi Incarnati, & Apostolorum percurrentes, multa copiosè admodùm congerunt, quæ cum plurimum de curiosa nouitate, & parum de fundata proprietate, ac de legitimo sensu Scripturæ sacræ, in probatione per eam contineant, scio quod viris doctissimis nequaquã probata fuerint, neq. mihi vllo modo probantur. Congruum tamen iudicaui ea omnia toto hoc Prologomeno in compendium reducere, vt beneuolus Lector aliqualem ipsorum notitiam acquirat, & vt de mea mente potius eadem non admittendi, quàm vllatenùs approbandi clarius innotescat.

5 Vnde iam primò Paramus, qui per multum temporis munus Inquisitoris S. Officii in vicino huic Insulę Regno Siculo summa cum laude obiuit in opere suo, cui nomen, seu titulū indidit, *de origine, & progressu officij S. Inquisitionis lib. 1. tit. 2.* per septem capita primam originem illius diligenter inuestigat, & adeo antiquam iudicat, vt iam à tempore transgressionis, seu lapsus primorum Parentum, quo iustitia originali, & gratia sanctificante spoliati mansere, & à iudicio, quod tunc statim Deus vti iudex iustus in ipsos exercuit, & quo pœnas debitas pro delicti grauitate eisdem inflixit, primarium eius

6 ortum sumendum esse testetur. † Supponit ipse Paramus à se probatum tit. 1. ex mente D. Augustini lib. 1. aduersus Iulianum cap. 3. & aliorū *Primo Parentes fidem abnegasse, & hæreticos verè extitisse*, *quod nullo pacto probari potest*, dicente Apostolo de Adamo 1. ad Timoth. 2. *quod non fuerit seductus*, ac propterea affirmat, quod Deus in eo casu contra illos munus Inquisitoris immediatè per se ipsum exercuerit, ipsosq. eisdem pœnis punierit, quibus hæretici in Tribunalibus s. Officii puniri solent, nimis sanè extorta interpretatione applicans ea, quæ Genes. 3. dicuntur. De pœna excommnuicationis illud d. cap. 3. *Maledicta terra in opere suo*. De pœnis confiscationis bonorum, & exilii, illud eodem loco *Emisit eum Dominus de Paradiso*; Pro habitello, seu sacco benedicto, vulgo Hispanicè Sanbenito, illud, *Fecit quoq. Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos, &c.* Denique addit id quod minus fūdatum apparet in prædicto actu iudicii contra primos Parētes reliquisse Deum tacitè futuris Inquisitoribus formā iudicandi, & puniendi hęreticos.

8 Post Paramum prodiit in lucem Torreblanca, & in epitome delictorum, in quibus aperta, vel occulta inuocatio Dæmonis interuenit lib. 3. cap. 2. quasi triumphans ob partam præ illo victoriam, originem Officii S. Inquisitionis antiquiorem ad huc ostendit ad illud Ezech. cap. 38. *Tu Cherub. extentus, & protegens, & posui te in Monte sancto Dei, &c.* sumendam, vult à punitione criminis apostasiæ, seu infidelitatis, quod Lucifer, & Angeli sequaces contraxere. Vndè sequitur ibidem apud eundem Ezechiel. sermo Domini cum ipso Cherub. *Peccasti, & eieci te*

9 *de Monte Dei, & perdidi te ò Cherub. &c.* Hoc autem peccatum fuisse infidelitatis, & apostasię contra fidem Diuinam, vt certum tenet cū aliis Torreblanca, cum absolutè asserat Deum Opt. Max. tunc exercuisse officiū Inquisitoris contra hæreticam prauitatem, est tamen valdè controuersū inter Doctores scholasticos qualitèr peccauerint Lucifer, & socii eius, nec desunt, qui negēt eorum peccatum fuisse contra fidē, quod nō est meū nunc discutere: videat itaq. Torreb. qualis sit dictus eius triumphus, qua is victoria, an sine fundamento, & consequenter inanis?

10 Quoad progressum Officii S. Inquisitionis in prima Mundi ætate, tendente vsq. ad vniuersale diluuium inclusiuè, duplici exemplo ipsum ostēdit Paramus, primum adducit lib. 1. tit. 2. cap. 7. num. 7. in punitione Caimi occidentis fratrem suum Abel, & negantis infinitam Dei misericordiam, dum desperans ait, *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*, Gen. 4. & de infinita ipsius Dei scientia dubitantis, cum interrogatus à Deo, *Vbi est frater tuus?* respondit, *Nescio, num custos fratris mei ego sum?* ostendens, quod putaret se loqui cū ignorante mortem fratris sui. De erroribus Caimi videndus est noster Iacobus Salianus vir eruditissimus in epitome Annaliū anno 50. Mundi, & Adami, vbi eos egregiè exprimit: vno verbo ipsos comprehēdit S. Io. 1. ep. 3. sic Caim qui ex maligno erat.

11 Merito itaq. vocat Paramus Caimum hæreticum, sed ex propria mente illud impropriè addit, Deum tunc in eo puniendo exercuisse munus Inquisitoris immediatè per se ipsū, quo non admisso, approbo primum; imò vocari potest Caimus hæresiarcha, quod caput sit perniciosissimæ sectæ, & tàm in facto, quàm in falsa, & hæretica doctrina ab ipso prolata innumeros habeat sequaces, qui ob multitudinem, & grauitatem scelerum suorum omnino de misericordia Dei desperantes maximè in articulo mortis, cum hoc peccato desperationis è vita discendunt, ęternisq. ignibus emancipentur, & saltem in eo articulo adimpletum experiuntur illud D. Pauli 1. Tim. 1. *habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidem repellentes circa fidem naufragauerunt*. De his loqui videtur S. Iudas Apost. in sua epist. canon. *Vè illis, qui in via*

12 *Caimi abierunt, &c.* † Casus ille tremendus iuuenis cuiusdam Mexicani in summā desperationē ducti, ob vitā turpissimè peractam à cacodemone in forma prius felis, post mulierculæ, qua diù ille abusus fuerat, comparente rapti, & in infernum simul cum corpore, & anima detrusi, pręsente vno tantum è nostris à quo Barcinone trāseunte dum Romam peteret hæc audiui, heu quam flebili voce, quàm tremebundo corpore miserrimum casum simul præsentibus multis enarrabat, &c.

13 Secundum exemplum, cuius etiam meminit Torreb. vbi supra ponit Param. d. c. 7. n. 11. pro indicando progressu S. Officii in destructione generis humani aquis diluuii, vterq. enim more suo constituit Deū vti Inquisitorem immediatū procedentem cōtra homines hæreticos, seu infideles, quibus S. Patriarcha Noè diuino Spiritu afflatus sæpius prædicauerat imminere diluuiū, & certò futurum, ipsi tamen nunquam credere voluerunt, vt tenebantur, sed potius pertinaces in sua incredulitate de fabricatione Arcæ irri-

14 debant. † Istorum autem hæresis, & infidelitas videtur certa de fide ex illo epist. canon. B. Petri cap. 3. *In quo incipit, Sancto Spiritu veniens prædicauit his, qui increduli fuerant aliquando, quādo expectabat Dei patientiam in diebus Noè, cum fabricaretur Arca, &c.* confirmatur idem atque exprimitur prędicatio eiusdem Noè ad impios, & infideles homines, epist. 2. ipsius S. Petri c. 2. *Originali Mundo, inquit, Deus non pepercit, sed octauum Noè iustitiæ præconem custodiuit, Diluuium Mundo impiorum innundans*, ita ibi,

15 Transeunt Paramus tit. 3. cap. 1. & Torrebl. d. cap. 2. num. 11. ad secundam Mundi ætate se extendentem ad annū 2032. secundum hebręos, in qua abiecta à multis fide diuina, & cultu veri

Dei

Dei derelicto, aperta fuit via ad idololatriam, seu ad colendum ignem tanquam Deum per Nemrod filium Chus, nepotem Cham, & pronepotem Noe, Genes. 10 vt bene obseruat Hugo de sancto Victore in annotationibus ad Ge-
16 nesim. Idem † etiam Nemrod suasit hominibus ædificare turrim, cuius culmen pertingeret vsque ad Cælum, ea intentione teste D. Augustino lib 16. de Ciuit. Dei cap. 4. vt se contra Deum tueri possent. Cuius sceleris, atque prædictæ idololatriæ grauitatem puniuit Deus, confundendo linguas eorum, officium Inquisitoris ita promouens, iuxta improprium modum loquendi Parami, & Torreblancæ, qui hic nihil amplius ad rem præsentem addunt.
17 Quid item de eodem progressu officii sanctæ Inquisitionis vsque ad annum 2929. in tertia Mundi ætate. Ad illius ostensionem iidem Paramus d. tit. 3. cap. 2. & Torreblanca citato c. ?. à num. 14. persistentes in eodem modo loquendi, & procedendi, quem non admittimus Deum Opt. Max. Inquisitorem repræsentant non iam immediatè per se ipsum, vt præcedentibus; sed mediatè per suos ministros, vt per Abraham, qui miraculosè liberatus de VrChaldæorum, Genes. 15: idest de igne in quo à Chaldæis deiectus fuerat, quod noluisset ipsum ignem vti Deũ adorare, Pater futuri sæculi constitutus, vt docent D. Augustinus lib. 2. de Ciuit. Dei c. 3. & Rupertus de Trinitate lib. 3. contra dictos Chaldæos idololatras, quantum potuit, restitit exterminiumq. ipsorum diuersimode curauit.
18 Quin etiam per vxorem eius Sara fuisse executum Inquisitoris munus duo illi auctores volunt, dum ipsa Ismaelem idololatram cum matre Agar domo eiecit, Genes. c. 21. *Cum videret Sara filium Agar ludentem cum Isaac, &c.* vbi particula, *ludens*, sicut, & ludere, Exodi cap. 32. *Sedit Populus manducare, & surrexerunt ludere*, idem est, quod idololatrãs, & idololatrare. Verum in proposito, Saræ exemplo præter improprietatem in modo loquendi dictam pro tali tempore, videtur ridiculum, & rationi dissonum asserere, quod munus adeò Ecclesiasticum, & spirituale S. Officii fuerit mulieri cõmissum.
19 Duo alia exempla hic addunt Paramus, & Torreblanca ad eundem effectum ostendendi d. progressum officii S. Inquisitionis, alterum in Patriarcha Iacob, quando strictè iussit, vt quicumq. de familia sua Deos alienos adorarẽt, vti re vera tunc aliqui adorabant, Genes. 34. quamprimum eos abiicerent sub pœna, &c. Alterum in S. Moyse cum Hebræos vitulum adorantes, Exodi 33. & schismaticos Chore, Dathan, atque Abiron, Numer 16. occidi impe-
20 rauit. † Vestigia Sancti Patriarchæ Moysis secuti sunt Abimelech, & Saul, ille dum ob idololatriam etiã fratres suos 70. interfecit Iud. 9. hi verò dum Magos, & Ariolos omnino exterminauit, 1. Reg. 28. Vnde istos etiam inter ministros Dei, qui munere Inquisitoris functi sunt, Paramus, & Torreblanca vbi supra nimis impropriè enumerant.
21 Similiter in quarta Mundi ætate vsq. ad annum 4743. se extendente, diuersis ab illis assignantur, qui munus Inquisitoris obierunt, primo S. Rex Dauid, qui octauo anno Regni sui Philistæos superauit, vt in odium idololatriæ
22 Deos eorum comburi iussit. † Dein cum populus Hebræus despiciens fidem, & cultũ veri Dei ad colendos falsos Deos sæpius reuerteretur, inductus pessimo exemplo suorũ Regum, præcipue Manasses; qui præcæteris idololatriæ fuit deditus, adoratis ab eo Sole, & Luna, ędificatis vniuersę militię cęli altaribus, & multiplicatis magis, maleficis, & incãtatoribus, propter quæ grauissima scelera, & ipse in compedibus, & populus Hebręus ab Assiriis in captiuitatem Babilonicã ducti sunt. 4. Reg. 21. 2. Ps. 33. & 36.
23 In quo exemplo illud apparet valde absurdum, quod Assiriis de populo gentili, fide Diuina carentibus, munus Inquisitorum tribui à Paramo, & Torreblanca videatur.
24 Peculiari item Dei prouidentia, & benignitate in populum Hebræum, Iosias nepos dicti infęlicis Manasses in regno successit, qui vt erat pietati, & verę Religioni maximopere addictus, ita multa, & diuersa ad ipsam, & ad cultum Omnipotentis Dei spectantia quamprimum executioni mandauit, nempe sacrificantes Soli, & Lunæ occidit, Baal simulacra destruxit, lucos excidit, Fana Moloch funditùs euertit, ossa Sacerdotum, ibi sepultorum exhumauit, & combussit, tandem ad superstitionem, & falsum deorũ cultum radicitus euellendum Magos, & Idololatras, quotquot erant in regione Sãmarię, Manassę, Ephraim, & Simeon, vsq. ad Nephtalim pęnitus exterminauit. 4. Reg. 22. & 23. 2 Psal. 35. Propter quas actiones hunc Iosiam Paramus d. tit. 3. cap. 3. *Inquisitorem Fidei illius temporis præcæteris constituit*.
25 Sequitur videndum quid sentiant sępius citati Scriptores circa idem in quinta Mundi ętate, quæ decurrit ab anno Orbis conditi 4743. vsq. ad tempus Incarnationis Verbi. Cum eadem improprietate, & absurditate Nabuchodonosor homini ethnico, & infideli munus Inquisitoris fidei tribuũt, eo, quod obstupescens hic insigne miraculum puerorum Ananiæ, Azariæ, & Misaelis, cum in fornace ardenti intacti permanserunt, publico edicto pœnam vltimi supplicii cuilibet Deũ Israel blasphemanti iniunxit.
26 Daniel. cap. 3. † Applicatio item ab illis facta videtur longe petita, asserentibus fuisse Esdrã Fidei Inquisitorẽ eo solo titulo, quod transacta captiuitate Babylonica tempore Resę filii Zorobabel primi Ducis Iudę, in templo è suggestu edictum legis Domini à mane vsq. ad meridiẽ, legeret, omnibus audientibus, & flentibus, Deumq. Israel adorantibus, lib. 2. Esdr. cap. 8.
27 & lib. 3. c. 9. † Similiter alia facta ab eisdem Paramo d. tit. 3. c. 4. & Torrebl. eod. c. 2. nu. 26. affirmantibus munere Inquisitoris Machabæos fũctos fuisse, qui præ aliis zelatores fidei, legis, ac Religionis extitisse videntur; nam cùm plures de populo Israelitico metu minarum Regis Anthiochi ad Gentilismum quotidie transirent, & idololatriã amplecterentur, ei acerrime etiam cũ effusione sanguinis, & vitę proprię restiterunt.
28 Particulariter loquendo Mathathias sacerdos cum suis quinque filiis audaciter ipsi Antiocho respondit, nec se, nec suos Idolis sacrificaturos,

quin, etiam Idęum sacrificantem necauit, idololatriam quoad potuit destruxit, & legem viridicans, cultum veri Dei renouauit lib. 1. Mach.
29 cap. 2. & lib. 2. c. 5. † Post mortem Mathathiæ Iudas filius eius regimini succedens, occiso Dei hoste Appollonio Cælesyriæ Duce eiusq. exercitu per ipsum deleto, impios quosq. trucidatos reliquit lib. 1. Machab. c. 3. & lib. 2. c. 8. Fugauit etiam impium Nicanorem, & exercitum eius ex 57. bellatorum conflatum lib. 1. Machab. c. 7.
30 lib. 2. c. 15. † Mortuo tandem Iuda, Ionathas frater eius vltimus fidei, & legis propugnator Azotum, & templum Dagon combussit lib. 1. Mach. c. 10. Sammaria ob idololatriã per eius nepotẽ Hircanum obsidione capta, & omnino deleta, teste Iosepho lib. 1. de bello Iudaico c. 2. Plura lege apud Paramũ loc. cit. c. 4. vbi ob prædictas actiones vnumquemq. ex Principibus Machabæorum cum impropríetate dicta, & applicatione nimis extorta Inquisitorem vocat.

31 Gradum iam faciamus ad initium sextæ Mũdi ætatis, seu ad tempora Verbi Incarnati, & Apostolorũ; *vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, Galat. 4. *Plenitudo temporis*, quia quod ex tunc vsq. ad finẽ Mundi decurrit sexta & vltima eius ætas, computator in cuius initio qualiter se res habuerit, quoad progressum officii S. Inquisitionis breuissimè perscrutemur
32 † Param. lib. 1 tit. 3. c. 4 & Torrebl. lib. 3. c. 2. à n. 29. persistẽtes in suo illegittimo, & improprio modo loquendi, & applicandi, Diuinum Verbũ Incarnatũ Fidei, ac legis Euangelicę Inquisitorem supremũ, & generalissimum vocant ac constituunt, vti procedentem contra idololatras, infideles, hæresiarchas, & hæreticos quoscumq. quorum tanta erat tunc copia etiam in populo Hebræo, vt vix paucissimi veram fidem retinerent, iuxta illud ex ore ipsius Christi Domini *Verumtamen Filius hominis, putas inueniet fidem in terra?* Luc. 18 ***Scintilla Fidei elucet in Centurione, & cũctos in admirationem rapit, etiã ipsummet Christum, Audiens autem Iesus miratus est, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis***
33 ***non inueni tantã fidem in Israel.*** Matt. 8. † Abundantia autem hęresum maxima, tempore Incarnationis Verbi vel inde non parum manifesta, quod ex multis sectis hęresiarcharum, seu hęresum, quę in populo illo electo cum ingenti eiusdẽ damno superioribus sęculis respectiuè emerserant, (viginti enumerat, & expendit Gabriel Prateol. in suo Elencho alphabetico, alii multo plures) quando apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri in hoc Mũdo, septem perniciores cum totali ferè eiusdem populi Hebręi ruina grassarętur, vt ex Egisippo tradit Niceph. lib. 4. c. 7. hist. Eccles. & ex hoc d. Prateolus verb. Hemeropabtistæ, videlicet sectę Essæorum, Galilęorum, Hemerobaptistarum, Masbothæorum, Samaritanorum, Saducęorum, & Pharisęorum, pręcipue secta Saducęorum alterius miserat radices, eo quod valde esset secundum sensum, & vix ab illa Epicureorum discreparet, sic Prateol. verb. Saducæi, sed de his nos alibi ex professo.

34 Exemplificant Param. & Torrebl. nimis equidem extortè munus Inquisitoris in Christo Dño circa diuersas eius actiones, & quod iam ab incunabulis incipiat illud exercere testantur nimirũ tenebras idololatriæ ex gentilitate, & obscuritatem errorum ex populo Hebręo fugare incipit, dum ab illa Reges Magos stella duce ab isto vero Pastores vigilantes monitu Angelico
35 ad se, & ad nouũ fidei lumen allicit. Hinc item turbationem, & terrorem Hærodi vniuersæq; Hierosolymæ incutit, Matt. c. 2. Hinc anno 12. suæ ætatis Iudæos in Templo docet, & errorẽ eorum circa suũ aduentum ex Scripturis sacris nõ sine increpatione ipsis indicat Mat. c. 3. Hinc
36 † sacrilegos de Tẽplo eiicit, flagellis cesos, quod cõmerciis suis domum Dei profanantes de pręsentia ipsius peculiari in ea malè sentire viderẽtur. Matt c. 21. Marc. 11. Luc. 19. Hinc dein pluries falsa, & peruersa eorum dogmata, ipsis cõuictis permanentibus acerrimè corripit, præcipuè illud perniciosissimũ Saducęorum, quod non sit futura resurrectio mortuorum, sed omnia cum morte finiatur. Matt. c. 22. Marc. 11. & Luc. 20. Propterea tarditate discipulorum in credenda sua Resurrectione meritò repræhẽdit Luc. c. 24.
37 † Deniq quasi cõcluso processu, & lata sententia contra Hebræos Christus Dñs ob incredulitatẽ sui aduentus, ob infidelitatem, & hæreses eorũ, ob mortem sibi illatam, has pœnas ipsis infligit, nẽpe Regno, & Sacerdotio priuat, tẽplo diruto tradit in perpetuã infamiã, & captiuitatẽ apud omnes nactiones, atq. ab istis vsq. ad finẽ Mũdi absq. remissione vlla nunquam illi liberabuntur
38 † Vide Ioseph. lib. 7. de bello Iud c. 24 & pręditionẽ Prophetarũ, Isaię c. 28. & aliis Hier. c. 3. & allis, Oseæ c. 3. & Amos c. 8. In prædictis autẽ Christi Dñi actionibus ne vestigiũ quidẽ muneris S. Inquisitionis apparere quidquid Param. & Torreb. dicãt iuridicè loquendo quis nõ videat?

39 Sed multo minus apparet in actionibus S. Io. Baptistæ Præcursoris, tametsi hunc illi Inquisitorem Fidei pleno ore vocant, ac constituant, quando nimirum ipse peracta sanctissimè vita in deserto vsq. ad annum ætatis 30. indè iussu Dei: Factũ est Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium, Luc 3 Egreditur ad prędicationẽ Euangelicam Baptismi pœnitentiæ, &c. ibidem, & venit in omnẽ regionem Iordanis, prædicans baptismũ pœnitentiæ, &c. Item quando arboribus sterilibus, idest, Pharisęis infidelibus, seu hęreticis excidiũ minatur: sicut Saducæos mortuorum resurrectionẽ negantes seuerè corripit, ac protestatur paleas à tritico separandas, atque igni tradendas Matt. c. 3. Marc. c. 1. & Luc. 3. Iu-
40 dæos, ac quosuis hæreticos ad Christi fidẽ reducere conatur, nec statim ad punitionẽ accedẽdum iudicat, cũ hæc sit expressa piissimi Creatoris nostri voluntas, Ezech. c 33. ***Nolo mortem impÿ, sed vt conuertatur, & viuat,*** vt traditur in c. agnouimus 26. q 6. pręstatq. hoc Io. dũ hortatur *Parate viã Domini, rectas facite semitas eius* Lu. 3
41 † Ac dum digitũ eum ostẽdit. ***Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.*** Io. c. 1. idẽ etiã pręstat, dũ discipulos suos dubitantes de aduentu Messię ad Christum Dñm mittit, ac sic ad fidem eius reducũtur visis miraculis multiplicibus, per ipsũ Christũ tũc operatis. De his S. Io. Bap. actionibus à functione Inquisitoris, vt dictũ valdè remotis copiose Par. lib. 1. tt. 3. c. 3. a n. 7. vsq. ad 12.

Per

42 Per eam potestatem, de qua Christus Dominus Matth. 28. ***Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra &c.*** Omnes Apostolos fuisse constitutos ab ipso Christo Inquisitores Fidei generales per totam Orbem, cum omnimoda facultate, & iurisdictione ad procedendum contra quoscumque idololatras, infideles, apostatas, & hæreticos, testantur Paramus lib. 2. tit. 1. cap. 1. & Torreblanca dicto cap. 2. à num. 39. ostendentes progressum Tribunalium sancti Officii pro illo initio sextę Mundi ętatis, quam congruè, & quam propriè saltem quoad modum loquendi videant ipsi; mihi certè hic nunquam probabitur. Ad probandum† suum

43 intentum adducit Torreblanca illud Luc. c. 10 ***Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici***, quod peculiariter interpretatur super omnia magicia incantamenta. Et applicari posse videntur verba illa psalmi 44. ***Constitues eos Principes super omnem terram***. cum maior, & præeminentior pars huius Principatus in potestate, & iurisdictione eis tradita contra idololatras, infideles, apostatas, & hæreticos consistere appareat.

44 Specificant illi de aliquibus Apostolorum, præcipuè de S. Petro, Christi Domini Vicario, quod fuit Generalissimus Fidei Inquisitor, cum multò maiori iurisdictione, & potestate, vt Caput totius Ecclesiæ, contra omnem infidelitatem, & hæreticam, vel apostaticam prauitatem. Vnde ei præmisso examine circa amorem erga Christum Dominum, Simon Ioannis diligis me plus his, cura ouium committitur, ***Pasce oues meas*** Io. 21. & prius ab ipso Christo Domino eidem præcipuè dictum fuerat, ***Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in Cælis.***

45 Matth. 16. † Prędicta autem D. Petri iurisdictio quoad praxim, in duplici casu tunc statim initio legis Euangelicæ executioni mandata fuit, nempe quando Ananiam, & vxorem eius Saphiram Spiritui Sancto mētientes, quod de pretio agri defraudassent, tanquam hæreticos, vt sentit Torreblanca loco citato n. 36. morte repentina cum terrore reliquorum, qui aderant, puniuit,

46 Act. Apost. cap. 5. † Item quando sceleratissimum Simonem Magum, & hæresiarcham perniciosissimum, quod teneret, dona Spiritus Sancti, elargita pecunia, posse emendo acquiri: ***Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donū Dei existimasti pecunia possideri***, Act. Ap. c. 8 artemagica volantem, de medio aëris, vi feruentissimę orationis reuocauit, & contriuit, vt ex Hegesippo Scriptore non parum graui multi ex recentioribus adducunt.

47 Deinde specificant illi in S. Paulo Apostolo Gentium insigni Doctore, asserentes, quod hic quamuis posterior multo inuocatione ad Apostolatum, & in receptione muneris S. Inquisitionis, in vtroque tamen exercendo cæteris Apostolis maximoperè antecelluerit; quod non alio, quàm ipsiusmet Apostoli testimonio clarè demonstratur; cui necessariò credendum tametsi in causa ptopria, cum sit de fide certum; Audacter de se ipso sic affirmat 1. Cor. cap. 15. ***Abundantius illis omnibus laboraui***, humiliter tamen

48 subiungit: ***Non ego, sed gratia Dei mecum*** † Et quidem intelligendum de labore non solum fugandi tenebras idololatriæ à populo Gentili, & spargendi in ipso lumen fidei Euangelicæ, iuxta illud Esaiæ cap. 42. ***Dedi te in lucem Gentium, vt si salus mea vsque ad extremum terræ***; (quod præcipue de D. Paulo Expositores sacri communiter interpretantur,) sed etiam conuincendi quoscumq. de populo Hebræo in suis hæresibus maxime circa Aduentū Messiæ, atque contra infideles, aut hæreticos vtriusq. populi opprobria quæque circa fidem Diuinam Christo Domino illata, acriter vindicandi. Nec distulit aliquandiu laborem huiusmodi subire, sed statim post conuersionem suam libenter eum amplexus: Vnde de ipso in sacro Textu sic habetur ***Continuo in Synagogis prædicabat IESVM, quoniam hic est Filius Dei.*** Act. Apost. cap. 9.

49 Ad casus particulares descendunt Paramus, & Torreblanca, vt applicatione equidem longe petita, ostendant D. Paulum fuisse Fidei Inquisitorem, Primo quando in Insula Papho Elymā Iudæum magum, & pseudo prophetam sui prædicationi resistentem excæcauit. Act. Ap. c. 13.

50 Item vbi procedat contra Fornicarium quendam sceleratissimū (aliis participātibus in delicto ob taciturnitatem, vel ob aliqualem cooperationem) eò quòd malè sentiens de matrimonio, nouerca sua vxoris loco vteretur; vnde lata sententia, ex publico Ecclesiæ consensu Sathanæ corporaliter tradi iubet, ***vt spiritus saluus sit in die Domini Nostri Iesu Christi.*** 1 Co-

51 rinth. cap. 5. † Similiter vbi duos illos hæresiarchas Hymenæum, & Alexandrum tradit Sathanæ, idest, declarat excommunicatos, sacris, & conuictu fidelium eos omninò priuans, vt exponunt Diuus Chrysostomus, Oecumenius, & alii. 1. Timot. primo ob illum errorem præcipuè, qud dicerent: ***non aliam resurrectionem nobis sperandam esse, postquam resurrectio in Christo completa esset.*** Ita Prateolus verb. Hymenæus, & ex eo alii sumunt.

52 Tandem specificant Paramus, & Torreblanca in Sancto Ioanne Euengelista, & peculiariter hunc fuisse electum ad fungendum munere Inquisitoris Fidei volunt, & resisteret hæreticis, eosque persequeretur. Nam eius tempore, dum diutius vsque ad multam senectutem vitam protrahit, non pauci extiterunt, qui suis erroribus Ecclesiam Catholicam maximoperè oppugnarunt, præcipuè Elion, & Coerinthus, qui veneno suæ hæreticæ, & peruersissimæ doctrinæ, quamplurimos ex fidelibus inficiebant (de his vide Gualterium nostrum citandum) & sequaces ipsorum in dies multi-

53 plicabantur. † Inter alios autem illorum errores, hic fuit præcipuus, Christum videlicet ante Mariam non fuisse, neque vllo modo esse Deum: his Ioannes auctoritate sibi tradita quoad potuit, se perpetuò opposuit, & ad exterminandum ab Ecclesię penitus pro quouis tempore huiusmodi errorē, atq. ad ostendendam in

Christo Domino Diuinitatem simul, & Humanitatem, quod ante Beatissimam Virginem Mariam fuerit Deus, ac semper futurus sit, sublimiori Aquilæ volatu super omnia sensibilia se extollens, & vsque ad ineffabilissimum Patris æterni sinum pertingens, sic diuinitùs intonuit. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, &c.* Atque per Humanitate ostendenda deinde subiungit; *Et Verbum*

54 *caro factum est, & habitauit in nobis.* † Sicque in reliquo sui Euangelii decursu vtramque Diuinitatem scilicet, & Humanitatem alternatim in Christo euidenter demonstrat, atque adeò fœliciter, vt sicut Diuus Augustinus, & cum eo tota Ecclesia circa culpam Adami exclamat, *ò fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem?* ita circa hunc errorem quoquomodo exclamare quis possit, ò fælix error, qui talem, ac tantum mæruit habere Euangelistam sui exterminatorem: atque hæc de Diuo Ioanne Euangelista præcipuò inter Apostolos.

55 En qualiter de Origine, & Progressu Officii S. Inquisitionis, deque regimine Tribunalium eius prædicti Paramus, & Torreblanca per omnes Mundi ætates, vsque ad initium sextæ discurrentes, & quodam modo triumphantes loquantur, & sentiant, circa quæ nulla ratione saltem quoad modum loquendi eis assentimur: sicut nec circa tradenda statim in principio Prolegomeni sequentis vllatenus assentiemur.

PROLEGOMENVM II.

De progressu Tribunalium S. Inquisitionis contra hæreticam, & apostaticam prauitatem, vsque ad annum Christi Domini circiter 1178.

1 ADHVC Ludouicus Paramus, & Franciscus Torreblanca, locis citatis, vlterius progrediuntur, & abundant in suo sensu, omnes Summos Pontifices Christi Domini Vicarios, ac Diui Petri successores, omnesque Episcopos, & reliquos Prælatos his magis præeminentes vocando fidei Inquisitores, ac tribuendo eis munus sancti Officii, & regimen Tribunalium ipsius, & circa hoc successisse loco Apostolorum affirmando, cum tamen neque apud sanctos Patres, neque apud Scriptores antiquos, vel recentiores, præter duos dictos, vllus vsus talis modi loquendi, & vocandi, aut vlla vnquā mentio reperiatur.

2 † Quinimò teste etiam ex parte ipso Torreblanca d. cap. 2. num. 42. tunc primi Inquisitores fidei sic vocari cæperunt, nominaque ista, sanctum Officium, & Tribunal sanctæ Inquisitionis fuerunt vsu recepta, quando occasione hæreticorum Albigensium, vt dicemus Prolegomeno sequenti, aliqui assignati sunt à Summo Pontifice, qui iurisdictione, & auctoritate delegata per Sedem Apostolicam contra eos procedere possent, à tali ergo modo loquendi non vsitato, nec ab aliis recepto nobis abstinendum.

3 Nihilominus vti certissimum † de fide nullus negare potest in sancta Dei Ecclesia, quæ secundum Diuum Gregorium hom. 19. in Euangelia incæpit *ab Abel iusto*, & decurret vsque ad vltimum electum, qui nasciturus est in fine Mundi, nunquam defuisse, nec vllo tempore defuturam potestatem, & iurisdictionem ad procedendum contra Idololatras, Infideles, Hæreticos, Apostatas, aut quoquomodo à vera fide, vel dubitanter recedentes; atque ad condemnandos eos, & pro grauitate criminum puniendos; semperque eam perfideles, ac legitimos Dei Opt. Max. ministros fuisse executioni mandatam.

4 † Hinc initio legis Euangelicæ, (vt pro euitanda prolixitate omnimoda, quæ spectant ad tempora Legis naturæ, & scriptæ omittamus) S. Petrus post dictos casus condemnationis Ananiæ, & vxoris Saphiræ, ac Simonis magi, statim Cathedram, seu quasi Tribunal Ecclesiasticum erexit, prius Antiochiæ, postea Romæ, non solum ad docendum, & pascendum oues in omni doctrina fidei Catholicæ; sed etiam contra huius violatores ad dictam potestatem & iurisdictionem exequendam per vniuersam Ecclesiam.

5 Hinc item S. Paulus ex vi prædictæ iurisdictionis, & potestatis à Deo sibi traditæ, vt ipsemet testatur 2. Corinth. cap. 13. *Secundum potestatem*, inquit, *quem Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionē*, illicò post conuersionem suam cępit procedere contra infideles, Iudæos, negantes Christum Dominum esse Deum, aut Messiam in lege promissum; *Saulus autem multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans, quoniam hic est Christus.* Act. Apost. c. 9. Ex verbis conualescebat, & confundebat, manifeste apparet in materia fidei actuum potestatis, & iurisdictionis. Quam idem Apostolus 1. Corinth. cap. 4. sub nomine, seu metaphora virgæ egregie exprimit, comminando eam quibusdam Corinthiis; *Veniam autem*, inquit, *ad vos citò &c. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate?* 1. Corinth. 4. ita ibi.

6 Voluntatem exequendi potestatem, & iurisdictionem suam cōtra hæreticos, aut à vera fide recedentes manifeste ostendunt duo illi Apostoli Iacobus, & Ioannes, quando dixerunt: *Domine vis dicimus, vt ignis descendat de Cælo, & consumat illos?* Luc. cap. 9. nempe hæreticos, Samaritanos, qui noluerant recipere Christum Dominum: & quidem contra hæreticos pertinaces pęna ignis, seu combustionis assignari solet, vt alibi videbimus.

7 Nullum dubium, † quod singuli reliquorum Apostolorum aliquos actus iurisdictionis contra infideles pro salute eorum spirituali exercuerint; id tamen de vnoquoque ipsorum sigillatim discutere nimis longum, ac ualde difficile esset; maxime cum multa ad eosdem Apostolos spectantia prorsus ignoremus: hāc autem ignorantiam meritò à nobis condolendam Diuus Ioannes Chrysostomus testatur: nihil ergò dictis addendum in particulari.

Sed

8 Sed quid de omnibus simul congregatis? septem Synodos, seu Concilia sancti Apostoli celebrarunt; quibus præfuit semper Diuus Petrus vt totius Ecclesiæ Caput, vti communiter, & magis recepta fert sententia, quam sequitur Gualterius de nostra Societate Iesu, sæculo primo suæ Chronologiæ. In omnibus illis semper intenti rebus Fidei declarandis, ac stabiliendis contra hæreticos, aut hæresiarchas, iisque iuxtà delictorum grauitatem, condemnandis; Maximè id obseruatum in celebri illa Synodo Hierosolymis habita pro condemnatione supradictorum Ebionis, & Cerinthi errantium circa necessitatem circumcisionis: ac pro reprobatione rituum Iudaicorum. In alia item celebriori, de qua Baronius ad annum Christi Dñi 44. n. 14. & 15. vbi, *Omnes Apostoli antequam per Orbis partes diuiderentur, Symbolum Fidei ex duodecim Articulis, quod primo loco Ecclesia Catholica tenet, contra quoscumque errores, & hæreticos, ediderunt*; quo hostes Ecclesiæ ipsam impugnantes debellare diuinitùs possumus.

9 Quoad Pontifices † verò summos, certissimũ etiam de fide est, vbicumque in Euangelio Diuo Petro promittitur, aut conceditur immediatè suprema potestas, & iurisdictio contra quosuis infideles, & hæreticos vt Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quodcumq. ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis.* Atque Io. 21 *Pasce oues meas*; ibidem mediatè promitti, & concedi Lino, Cleto, Clementi, ac reliquis successoribus Diui Petri, ducentis triginta nouem, attenta magis recepta Chronologia vsque ad Sanctiss. D. N. Vrbanum Papam VIII. nunc gubernacula Ecclesiæ fæliciter

10 tenentem. † Praxis autem dictæ potestatis, seu iurisdictionis respectu vniuscuiusque ipsorum in prosequendis, & condemnandis hæreticis, ac infidelibus, clarè innotescit ex casibus particularibus penè innumeris, qui temporum decursu, per spatium longissimum mille sexcentorum quadraginta quatuor annorum occurrerunt. Hos extra non esset nunc sigillatim discutere, ac nimis prolixam ex eis historiam attexere, vnde molestam prolexitatem euitans ad historiographos Pontificios lectorem remitto.

11 Clarè etiam eadem praxis innotescit ex locis Canonicis, & Constitutionibus, seu Bullis Pontificum vniuersalibus, & particularibus, tametsi occasione prædictorum casuum peculiarium quandoque editis, ad hanc materiam persecutionis hæreticorum spectantibus, ferè infinitis. Extat tàm in Decretalibus, quam in Sexto titulus particularis de hæreticis: extant alii tituli in iure huc etiam respiciente, ex similibus legibus, & Bullis Apostolicis plenè constituti. Extant denique extra corpus iuris quamplures Constitutiones Pontificiæ, aliquid circa hoc negotium de extirpanda hæretica, vel apostatica prauitate disponentes: non paucas ex eis adducit eruditissimus Peña in fine Directorii, non paucas alibi alii. Vix enim vllus credo ex Summis Pontificibus, si fiat diligens computatio per singula sæcula, reperietur, qui non ediderit aliquam, vel aliquas, materiam istam persecutionis hæreticorum attingētes; idque præcipuè de posterioribus Summis Pontificibus affirmandum; in primis de fel. rec. Vrbano Papa Octauo, qui peculiari Constitutione incip. *Inscrutabilia iudiciorum Dei*, illam Sixti V. contra Sortilegos, & Astrologos iudiciarios confirmauit, & auxit; atque alia incip. ***Sanctissimus Dominus Noster, Superioribus Religionum***, sub variis pœnis iniunxit, vt singulis annis prima die post Octauam Assumptionis B. Mariæ in Triclinio, dum comeditur, vel alibi, variæ Bullæ Pontificiæ legantur, quarum maior pars ad negocium contra hæreticos pertinet. Vndè zelus Sanctitatis suæ in ipsis extirpandis manifestè prospicitur.

12 De Episcopis sequitur † dicendum; quod hi iure Diuino sint Iudices Ordinarii contra hæreticos, aut infideles, potuerintque semper contra ipsos procedere, ac possit, præter id, quo clarè ostenditur, & nullus fide Diuina præditus negare audebit esse videlicet successores in omnibus Apostolorum, & concessam istis à Christo Domino potestatem, & iurisdictionem maximè in causis fidei, plenissimè dictos Episcopos participare, habemus textum expressum talis potestatis, & iurisdictionis, Act. Apost. c. 20 *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*. Verbum attendite, peculiarem emphasim continet, quo maximam curam, & vigilantiam ad defendendas oues quascumque (hoc exprimitur particula illa, *vniuerso gregi*) & omninò liberandas præcipuè à lupis rapacibus, idest ab hæreticis atque ad hos persequendos in omnibus, & singulis Episcopis exigit Apostolus: Vnde ibidem statim subiungit. *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos non parcentes gregi, &c.*

13 Quod autem Episcopi sibi creditas custodire & luis, seu hæreticis expulsis, aut potius captis, & pro delictorum qualitate punitis, vt veri iudices in causis fidei, quascumque hæreses extirpare teneantur; constat ex diuersis iuribus canonicis cap. excommunicamus, §. addicimus, de hæreticis, cap ad abolendam eodem tit. in 6. cap. fælices, & cap eam te, de rescriptis. Quòd item iidem Episcopi munus suum procedendi contra hæreticos, & iurisdictionem, ac potestatem, quam ad id à Deo acceperunt. ***Non est enim potestas nisi à Deo***, Rom. 13. executioni mandarint, id quod magis ad rem facit pro indagando, & exprimendo progressu Tribunalium Fidei, de quo nunc agimus, clarè etiam innotescit, supposita diuisione, quod dupliciter eam exequi, & contra hæreticos procedere valeant. Primò singuli per se sigillatim in sua quisque prouincia, seu loco propriæ iurisdictionis circa casus particulares in materia fidei occurrentes: quos nimis prolixum esset hoc loco recensere, oporteretque ad hunc finem multiplices historias euoluere. Quare ab hoc omnino abstinendum, & solum piè credendum, nunquam fuisse, neque nunc esse Episcopum aliquē, adeò suæ salutis, & conscientiæ immemorem qui oues sibi creditas lupis rapacibus deuorandas reliquerit, & potestatem, vel iurisdictionem con-

contra hæreticos, aut malè de Fide diuina sentientes, à Deo sibi traditam, ipsos persequendo in praxi non propalarit.

14 Possunt secũdo Episcopi muneri suo, & obligationi procedendi iuridicè contra hæreticam, vel apostaticam prauitatem, eamque extirpandi complete satisfacere omnes totius Ecclesiæ, vel plures simul congregati in aliquo Concilio Generali, aut Nationali, vel Prouinciali auctoritate Summi Pontificis coacto, ad definiendum aliquid de Fide, & ad tenentes, vel docentes contrarium hæresiarchas, aut saltem hæreticos, vti tales ostendentes, atque damnandos. Et circa hoc, in residuo Prolegomeni, operæ pretium duxi nonnulla ex pene innumeris, quæ adduci possent, & fortè à nobis Deo dante in 3. lib. nostri Operis adducentur, magis præcipua nunc proponere, sicque in indagando, & exprimendo progressu, & fructu Tribunalium Fidei abundantius vsque ad annũ circiter 1178. Verbi Incarnati aliquantisper immorari.

15 Circa annum Christi Domini 255 sub Cornelio Papa, & Decio Imperatore, seu vt alii volunt Gallo, & Volusiano patre, & filio simul illius successoribus in Imperio, prodiit Nouatus quidam presbyter Ecclesiæ Romanæ, qui in errore suo multos habet sequaces, dicti Nouatiani, vel Chatari, idest mundi, ob munditiam, quam superbissime affectabant. Hi porro in peccatum post baptismum lapsis, & ad Ecclesiam lacrymis, gemitu, & dolore pulsantibus (verba sunt Diui Cypriani) *Diuinæ pietatis, & lenitatis paternæ solatia, & subsidia claudebant, &c.* Ab his itaq. Nouatianis nullus pœnitentiæ, & reconciliationis locus concedebatur. Tunc contra Nouatum, & Nouatianos coactum fuit Romæ Concilium 60 Episcoporum cum totidem Presbyteris, & simul Diaconis multis, à quibus tanquam iudicibus in materiis Fidei damnati fuerunt illi, atque alieni ab Ecclesia declarati: Decretum item lapsos in peccatum fomentis pœnitentiæ medicandos. Vnde plura apud Eusebium lib. 6. histor. Eccl. cap. 38. & apud Nicephorum lib. 6. cap. 3. Habemus item libros D. Ambrosii de pœnitentia contra Nouatum.

16 En quartæ Centuriæ initio, anno circiter 315. celebratum illud Oecumenicum Conciliũ Nicænum I. sic dictum à Nicæa Bythiniæ Vrbe, vbi habitũ primum etiam ex quatuor principalioribus, quibus S. Gregorius Magnus, tanquam quatuor Euangeliis honorem haberi voluit. In hoc Concilio sub Syluestro Papa, & Constantino Magno Imperatore cõgregati sunt 318. Episcopi Catholici, qui vti veri Iudices in causis Fidei hanc quoad omnes partes, & articulos in Symbolo Apostolorum contentos, integram sanctam Catholicam, & immaculatam declararunt. Deinde processerunt ad damnandos quoscumque hæreticos contra eam sentiẽtes, præcipue duos illos famosissimos, & perniciosissimos hæresiarchas, Arrium, & Sabellium, qui vt de aliis eorum erroribus nunc taceam, circa Mysterium Sanctissimæ Trinitatis opposita via errarunt. Arrius enim, & qui eum sequuntur Arriani dicti; naturam, seu substantiã personarum separabunt: E contra vero Sabellius, & Sabelliani non plures personas Patris, & Filii, & Spiritus Sancti admittebant, sed vnam tantum quasi ex tribus factam. Contra vtrumque composuit suum Symbolum S. Athanasius, distinguens cum vero sensu Ecclesiæ Catholicæ tres Personas cum vna solum natura, seu substantia, & consequenter vnus tantum Deus. Ita Prateolus verb. Sabellius ex Nicephoro lib. 4. cap. 22. & ex aliis.

17 S. Damaso Papa Hispano Ecclesiam gubernante, & Imperatoribus Gratiano, ac Theodosio circa annum Domini 397. celebratum fuit Concilium Constantinopolitanum, vnum ex quatuor principalibus; in eo conuenerunt 150. Episcopi, veri iudices in causis Fidei contra Macedonium Episcopũ Constantinopolitanum, qui Spiritum Sanctum non Deum, sed meram creaturam esse affirmat. Editum fuit ab eis Symbolum Fidei in nullo dissimile ab eo, quod nunc in Missis dicitur; excepto quod tantum addiderunt Spiritum Sanctum ex Patre procedentem, suppressa persona Filii, vt attenta circumstantia temporis, & obligatione Officii Inquisitionis, hęresi Macedonianæ se opponerent. Ita Prateolus verb. Macedo. cum Ruffino lib. 1. hist. Ecclesiasticæ cap. 15. & D. Augustino lib. de Hæresibus cap. 52.

18 Progrediũtur vlterius in Fidei fauorem 200. Episcopi congregati in Concilio Ephesino vno ex quatuor præcipuis circa annum 428. sub Cælestino I. Papa, & Teodosio Secundo Imperatore, contra Nestorium Episcopum Constantinopolitanum ad damnandas omnes eius hæreses (has breuiter, & delucide expendit Iacobus Gualterius Societatis Iesu de Nestorianis agens sæculo V. cap. 16.) in primis illam perniciosissimam auferentem impiè à Sanctissima Virgine Maria dignitatem Matris Dei. Duas enim personas, Diuinam, & Humanam constituit ille in Christo Domino: & hunc vti natum de Maria tantummodo hominem esse affirmat, cui postea ob meritum vitæ sanctæ fuerit coniuncta Diuinitas, non per vnionem hypostaticam personaliter, sed solùm inhabitanter. Hinc ipse non vult Christum Iesum *Teon*, idest Deum. Sed tantũ *Teophoron*, idest Deiferum, & Mariam eius Matrem non *Teotocon*, idest Deiparam, seu Dei Matrem, sed solum *Xrisotocon*, idest Cristiparam, sed Christi matrem: quid turpius, & perniciosus dici potest?

19 Multo plures in Fidei causis legitimi Iudices exurgunt, nempe 630. Episcopi Catholici, & se coniungunt in Concilio Oecumenico Calcedonensi, quarto ex quatuor magis præcipuis, gubernante Ecclesiam S. Leone I. Papa, & imperante Martiano circa annum 454. contra Eutychetem Abbatem Constantinopolitanum hæresiarcham famosissimum; qui ommissis nunc aliis ipsius erroribus, de quibus idem Gualterius, falsissimè tenet Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere, sed solum in eo Diuinam permanere, itaut duæ Diuina, & Humana in vnam Diuinam solam coalescant. Catholica tamen Ecclesia vniuersaliter vti certum de fide docet, ac defendit duas in Christo Dño semper fuisse naturas distinctas

inter

inter se Diuinam, & Humanam, atque secundum illam esse verum Deum immortalem, infinitum, æternum, &c. Secundum vero hanc esse verum hominem finitum, natum in tempore, passibilem, &c. Quæ distinctio naturarum claré constat ex modo loquendi ipsius Christi Domini in Euangeliis: *Anima mea*, inquit, *turbata est. Pater ex hac hora serua me*. Ioan. 12. & prius dixerat. Ioan. 10, *Nemo tollit animam meam a me, sed potestatem habeo ponendi eam, & rursus assumendi eam, &c.* Vnde esse animo turbato, patet quod sit naturæ creatæ, potestatem autem habere, sit solus naturæ Diuinæ. lege Prateolum, de hoc copiosius agentem verbo Enthychetes.

20 Satisfactum Orienti, quatuor Conciliis magis præcipuis; iam ad partes occiduas reuertamur, & in Vrbe Romæ in conspectu Summi Pontificis Sancti Martini Primi Ecclesiam gubernantis, vel vna cum ipso à multis Episcopis simul, qualiter negotium sanctæ Inquisitionis promoueatur, inspiciamus. Centum & quinquaginta ibi congregati sunt ad celebrandum Concilium Lateranense 1. circa annum 650. Imperatore Constante Constantini tertii filio, contra Sergium, Pyrrham, & Paulum Patriarchas Constantinopolitanos, Monothalitas, seu Monophisitas, idest, vnã tantum naturam, & consequenter vnam solummodo voluntatem in Christo Domino admittentes, vt exponit Praeteolus his verbis: *Hi, & alij similes sequaces eorum ob hanc perniciosissimam hæresim: & quod in detrimentum Fidei Catholicæ varias nouitates inducerent, fulmine anathematis, seu excommunicationis, & alijs pœnis persecuti sunt; tametsi ab Imperatore protegerentur, cuius etiam noua forma credendi adinuenta, & populo proposita ab eodem Concilio fuit damnata*; vt cum Baronio ad annum 649. num. 2. & sequentibus notat Gualterus sæculo 7.

21 Vix vllus dicendi finis, si singula quæq. Concilia, tàm Prouincialia, & Nationalia, quàm Oecumenica percurrere volumus: Vnde omnia simul vnico verbo compræhendens, dictis huc vsque adiungo, tàm multa celebrata in Italia, vti: Romana, Mediolanensia, Florentinũ, &c. tàm multa in Germania, vti Constantiense, Basiliense, &c. tam multa in Gallia, vti Parisiensia, Lugdunensia, Arelatensia, Viennensia, &c. tàm multa in Hispania, vti Toletana, Bracarensia, Taraconensia, Valentina, Hispalensia, &c. tàm multa in Africa, vti Carthaginensia, & alia penè innumera huc præcipuè respicere, & indicatis, & extirpatis quibuscumque hæresibus, & erroribus per exercitium officii sanctæ Inquisitionis, damnatisque eorum defensoribus hæresiarchis, aut hæreticis Fides Christiana intacta maneat, atque in dies magis, ac magis toto Orbe propagetur.

PROLEGOMENVM III.

De prima origine, & aliquo progressu Officij S. Inquisitionis per Tribunalia, ex sola delegata iurisdictione à Tribunalibus Episcoporum iurisdictionis ordinariæ separata contra hæreticos, &c.

1 PRAENOTANDVM hic statim, quod consueuerint Episcopi non solum iurisdictione Ordinaria contra hæreticos, aut de hæresi suspectos, vt dictam iam ferè toto Prolegomeno præcedenti; sed etiam iurisdictione delegata ipsis à Summo Pontifice sæpius procedere. Id quod in aliis etiam negotiis grauioribus non raro euenit, cum ad ista maiori cum auctoritate peragenda locorum Ordinariis noua iurisdictio præter proprium à iure concessam per peculiaria Breuia Apostolica frequenter concedunt. Hinc passim à Concilio Tridentino quidquid alicuius momenti circa cultum Diuinum, circa morum in quouis statu populi Christiani reformationem, & circa alia similia proponitur, id Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis committitur. Verum attente legenda talia Breuia Pontificia, ait Farinacius in fragmentis, perpendendæ diligenter clausulæ particulares, vt quis ex verbis, & modo loquendi præcipuè possit, an in eis contineatur exercitatio iurisdictionis ordinariẹ per exhortationem, aut per aliqualem forte correctionem, ob negligentiam in ea exercenda; an vero commissio nouæ iurisdictionis, & potestatis per delegationem particularem? dispar est enim ratio de vno, atque de alio agatur. Exemplum excitatæ tantum iurisdictionis, inuenies in Constitutione Innocentii tertii, incipiente, *Inter cœtera*, ad Archiepiscopum Anxitanum, & ad alios Episcopos, vbi excitati eos ad exercendam iurisdictionem ordinariam contra hæreticos, & non constituit ipsos Inquisitores Apostolicos per delegationem. Exempla verò delegatæ iurisdictionis, duo habes domestica, alterum in Breui quodam Gregorii XIII. fel. mem. quo inquisitor Generalis Apostolicus cõtra hæreticam prauitatem in his Insulis Melitensibus, constituitur Reuerendiss. D. Rojas Episcopus Meliuetanus, & alterũ in literis Sacr. Congregationis Vrbis, quibus prẹdecessor eius Reuerendiss. D. Episcopus Cribelles similiter Inquisitor delegatus Sedis Apostolicæ in hac Diœcesi creatur, sed de his exemplis domesticis plura commodius infra. Similia alia exempla facile inuenies, si constitutiones, & Breuia Apostolica euolueris; quibus vel ecitantur Episcopi ad procedendũ cõtra hẹreticos sola iurisdictione ordinaria, quam à iure habent, vel assignantur Inquisitores Apostolici contra eosdem hæreticos iurisdictione delegata. Qualiter autem euenerit in casu illo Albigensium hẹreticorum, non mihi constat, nec vllum inuenio auctorem, facta diligenti inquisitione, qui id attingat.

Verùm

Verum quidquid sit de simili institutione Episcopi Tholosani, & aliorũ in Delegatos Inquisitores; vel secùs; cum ex casu Albigensium hereticorum prima origo, & occasio erigendi separatim noua Tribunalia officii S. Inquisitionis per iurisdictionem delegatam prouenerit, conuenientius duxi rem paulo altius repetere, & historiam, vti se habet ex probatis auctoribus indicare, licet isti in aliquo discrepent.

2 Circa annum Domini 1176. Clemente Tertio Ecclesiam gubernante, & Imperium Federico I. dicto Barbarossa in Comitatu Tholosano hæreses Manichæorum in tertio sæculo ad annum fere 273. ortæ, & apud Arabas, in magna etiam parte Aphricæ per spatium 200. annorũ, cum ingenti illarum Ecclesiarum detrimento admodum dispersæ, & radicatę, dein auxilio cęlitus emisso iam euulsę, ac pænitùs extinctæ, pręcipue doctrina, & labore D. Augustini, teste Prateolo verb. *Manichæi*. Post multa sęcula inuidia diaboli ab inferis denuò excitatæ, cũ nonnullis alterius generis, adeò excrescunt, & propagantur; vt breui tempore octo videlicet vel nouem annorum in Campo Ecclesię Catholicę mille propemodum Ciuitatum, ac Pagorũ innumerabilium, suffocato veræ Fidei tritico, vix aliud, quam lolium, vel Zizzaniam errorũ appareat. Pręcipui tres istorum errores (vt pro reliquis plusquam 32. ad Gualterium sęculo 12. cap. 17 te remittam) huiusmodi sunt. Duo principia admittunt, vnum Bonum, scilicet Deum; alterum malum, scilicet diabolum. item Deum creare animas; diabolum autem creare omnia corpora: dein nullam animam nouam à Deo infundi: sed animas ex vno corpore in aliud transmigrare, secundum cuiusq. meritũ ita vt anima eius, qui male vixerit, per serpentis, aut alterius bruti animalis corpus transeat; eius vero anima, qui bene vixerit, per corpus Principis, aut viri illustris. Qui error de transmigratione animarum iam tempore Pithagoræ viginti, nuncq. viget in variis locis gentilitatis maxime in Giaponia, vt ex historia vitæ Sancti Francisci Xauerii constat.

3 Interim demortuo Clemente Tertio, & similiter Cęlestino Tertio eius successore; meritò, ac fęliciter circa annum 1186. ascendit ad Sedem D. Petri Innocentius Tertius Anagninus, maximus zelator fidei Christianæ, propagationis, ac reformationis Ecclesiæ Catholicę, recuperationisq. Terræ sanctæ: atque hinc statim ad huiusmodi efficienda, indicit, & congregat vniuersale Concilium Lateranense 412. Episcoporum &c. Sed in primis vertit oculos cum ingenti dolore cordis ad ruinam, & stragem animarumab hęreticis Albigensibus illatam; inde totius Ecclesię similem interitũ valde timens, de opportuno, & efficaci remedio adhibendo diu, noctuq. recogitat, & tandem non sine cõsilio, & cooperatione eorum ad quos spectabat vti omnino necessarium concludit, non solum armis spiritualibus, seu Ecclesiasticis, sed etiam materialibus, & mundanis diuersimode illis obsistendum.

4 Et quidem primo quoad arma secularia licet posterius adhibita, vt vnico verbo breuissime attingam. quod multis copiose admodum varii narrant Historici, maxime D. Antoninus 3. par. hist. spec. tit. 9. cap. 1. Cęsareus Cisterci. 5. dist. Dialogo, & Vincentius Bellouacen. lib. 3. spec. hist. sub va de strenuò Duce Catholicissimo, ac piissimo Simone Comite de Mõteforti ab octo dumtaxat, vel nouem millibus millitum ex tota Francia. prędicatione insignis Viri Iacobi de Vitriaco collectis, ita strenue pugnatum est vt septuaginta millia. vel secũdum Gualterum, centum millia Albigensium hęreticorum militum, & Maurorum, cum Petro Tarraconensium Rege in auxilium vocato ciderint. Pręlio autem paulo post denuò inito contra Mamelinũ potentissimum Afrorum Regem de Marioch ad suppetias sibi ferendas ab eisdem Albigensibus inuitatum, cum incredibili, & inaudita copiarum multitudine ex Africa per Hispaniam iam in Galliam appulsum, & totius Europę breui ruinam, atque inuasionem, etiam vsque ad Limina D. Petri, peculiariter Innocentio Papę minitantem, non sine speciali Dei auxilio, & huius exercitus fere omnino à Catholicis profligatus est, & ipse in Sicilia, quo transierat, ex dolore deperditę victorię turpissima morte extinctus. Tam insignes; & gloriosissimi victoriarum triumphi, vt notat Gualt. vbi supra, peculiariter tribuuntur huic actui Religionis, quod Duces, & Milites Simonis Comitis ante pugnã duplici sacramento confessionis, & Eucharistiæ se præmunirent: quod in exemplum iis, qui militiam profitentur maxime Religiosis Hierosolymitanis obiter sit dictum.

5 Iam de armis spiritualibus, seu Ecclesiasticis id quod proxime accedit ad nostrum Institutum, varii illarum Religionum, vbi iam hæreses forte grassabantur, Episcopi omni virtutum genere, zelo Religionis Catholicæ, & Doctrina nõ vulgari præstantes, vti perfectio status vniuscuiusq. ipsorum postulat: octo in primis à Prateolo verb. Albi. expresse nominantur. nempe Tholosanus, Nomensis, Balocensis, Lodonensis, Agathensis, Bitricensis, Conuenarum, & Narbonensis, hi, & alii qua prædicationibus, & hortationibus publicis, qua correptionibus, & monitis priuatis, qua carcerationibus, qua formatis processibus, & conclusis, qua sententiis latis, ac pœnis inflictis Albigensium erroribus obsistere non desistunt. Imo Gualterius cum Paulò Aemilio de cura, & vigilantia Episcoporum Lugdunensis, & Albigensis magis in specie loquens, sic expeditionem causarum Fidei exprimit Hi nempe Albigenses, in Prouincia, inquit, Tholosana detenti; hæresesq. conuicti, ac damnati fuerunt à Gerardo Albiensi Episcopo, assistentibus multis Prelatis, aliisq. viris grauissimis diffinitiuam in illos pronuntiante sententiam Gilberto Lugdunensi Episcopo, videlicet Oliuarium, eiusque socios &c. Qua tamen sententia ignis minime extinctus est, quin imo grassatus: hactenus Gualterus.

6 Huius autem grassationis per nũtios, vel litteras conscius factus Innocentius Tertius, ob ruinam ouium sibi cõmissarum, vti Pastor vniuersalis ingemiscens, & curam. ac uires Episcoporũ, quod aliis etiam negotiis magni mométi

pro

pro regimine suorum Diœcesum meritò sint intenti (de hoc noster Famianus Strada vbi infra, Carpens etiam aliquantulum in curiam, aut inscitiam aliquorum Episcoporum) ad extinctionem talis ignis, & repressionem totolem hæreticorum non sufficientes aduertens, re maturius considerata, ac Deo Opt. Max. condemnata, non sine peculiari diuini numinis afflatu, demittendis, vel assignandis auxiliariis tandem deliberat: qui tàm ad seminationem Catholicæ Fidei per prædicationem, tàm ad formationem processuum contra hæreticos per Inquisitionẽ ex delegata potestate. & iurisdictione, vel coniunctim cum Episcopis, seu Ordinariis, vel separatim per se solos procedunt. Verum qui nam isti auxiliarii de in quando nam missi? vel assignati? num concordes circa hoc inter se auctores de hac missione, vel assignatione tractantes? haud equidem.

7 Franciscus Torreblanca vbi supra lib. 3. cap. 2. a num. 42. & ante eum Ludouicus Paramus ab ipso citatus lib. 2. de origine S. Inquisitionis tit. 1. cap. 1. (tametsi idem cap. 2. videatur contrarium asserere) S. Dominico de Guzman Hispano, virtutum omnium splendore, literis, & nobilitate clarissimo, Religionis nobilissimæ Prædicatorum Fundatori hanc gloriam omnino auferunt, quę maxima sane est, & quæ à multis aliis communiter ei tribuitur, primi videlicet Fidei Inquisitoris Generalis ante quemcũq. alium, separatim per se ex delegatione Apostolica, absolute affirmantes contra errores Albigensium primos Inquisitores Fidei à Sede Apostolica, seu ab Innocentio III. delegatos fuisse aliquos Religiosos ex nobilissima D. Bernardi familia, qui huius sacri Tribunalis per solam delegationẽ Pontificiam primordia, & fundamenta iacerent, & eis alios ex eadem familia similiter creatos per emergentibus negociis fidei, fuisse substitutos. Post aliquod vero tempus prædictum S. Dominicum ab Alexandro Tertio Inquisitorem Generalem S. Officii fuisse electum & missum contra hæreticos Albigenses: Hactenus illi auctores, circa quorum affirmationem valde dubito, cum Alexander Tertius facta multiplicis Chronologiæ, & seriei Summorum Pontificum computatione, non successerit Innocentio Tertio, sed per multos annos eum pręcesserit; ita vt inter hunc, & illum quinque Pontifices enumerentur, nempe Lucius III. Vrbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. & Cælestinus III. Quod si quis mihi tacite suggerat forte æquiuocationem esse in numero, quod Typographus pro IV. expresserit III. nequaquam hinc effugiet nodum difficultatis; cum Alexander IV. tot post annos, nempe plus quinquaginta sex Innocentio successerit; vt etiã inter vtrumq quatuor Summi Pontifices apponantur, videlicet Honorius III. Gregorius IX. Cælestinus IV. & Innocentius IV. Quid quod tempore Alexandri IV. hæreses Albigensium iam fere extinctæ apparent, sicut è contra gubernante Ecclesiam Alexandro III. adhuc non emerserant: vnde lectis à me diligẽter vtriusq. Alexandri Vitis apud Platinam correctum, & elucidatum per eius egregium elucidatorem Honuphrium Panuinium Veronensem de hæresibus Albigensium, aut de electione alicuius in Inquisitorem delegatum contra eos, nec verbum quidẽ, bene tamen in vita Innocentii III. apud ipsum Platinam. Quamquam postea apud Baronium tom. 12. Annal. Eccl. ann. Christ. 1176 & 1178. Alexan. vero III. & 19. diuersa de his hæreticis Albigensibus legi.

8 Concludendum itaque videtur cum eodem Platina cum Prateolo, Ioanne Azorio tom. 1. lib. 8. cap. 18. quæst. 1. Gualterio vbi supra, Famiano Strada de Bello Belgico dec. 1. lib. 2. ver. Vna omnium maxime, his tribus de nostra Societate Iesu, & cum aliis multis, primum Inquisitorem Generalem contra hæreticam prauitatem ab Innocentio III. electum, & missum cum potestate, & iurisdictione delegata Sedis Apostolicæ fuisse prædictum S. Dominicum, neque obstare apparet, quod aliquos etiam Abbates (credo ex Religione D. Bernardi ad eundem effectum ab ipso Innocentio fuisse etiam assignatos vnanimiter affirment iidem Prateolus, & Gualterius, licet dissentiant in numero, ille tres tantum, hic verò duodecim enumerantes; cum ex modo loquendi Gualteri, hos illi quasi in socios adiunctos deducatur. Qui, idest, Innocentius, inquit, illuc S. Dominicum vna cũ duodecim Abbatibus misit. Ita ille, & quamuis simul, & eodem tempore à Summo Pontifice assignati omnes, & missi fuerunt; quomodo comparationis locus esse poterit istorum Abbatuum, cum Viro adeo insigni S. Dominico? qui iam tunc vti Sol totius Orbis elucesceret, & vt columna præcipua, seu vt fulcimentum vniuersalis Ecclesiæ Catholicę haberetur? Equidem discrimen maximum circa præsens negotium inter hunc, & illos, vel indè clarè innotescit, quod extinctis hæresibus Albigensium in Gallia, extinctum etiam manserit, vt credo munus Inquisitorum quoad Abbates; nequaquam verò quoad S. Dominicum: Imo ab ipso Innocentio III. & ab Honorio III. successore immediato Innocentii confirmatum, & ampliatum, atque diuersis in locis ab eo exequutum. Nam vniuersæ Hispaniarum Ecclesiæ S. Dominicum primum Inquisitorem Generalem ex delegatione Apostolica agnoscunt, atque in variis earum Ciuitatibus, & locis occasione Iudæorum, aut Infidelium Maurorum ibi inhabitantiũ, ex quibus aliqui conuersi ad fidem, post reindeizabãt, vel in apostasiam incidebant, contra hos officium S. Inquisitionis exercuisse Chronicæ Hispaniæ expressè testantur; teste etiam ipso Torreblanca ibidem maximè sub Alfonsio III. Rege Castellæ.

9 Vita autẽ functus S. Dominis cum miraculis innumeris clarus, & in Sanctorũ numerum meritò relatus, hanc quasi hæreditatem filiis suis, Religiosis sui Ordinis reliquit, fungẽdi scilicet in quibuscumq. Mundi partibus, etiam in hac Insula Melitensi, vt infra dicitur, S. Inquisitionis munere, potestate etiam, & iurisdictione per Breuia Pontificia similiter ipsis delegata: vti re vera exactissimè, & gloriosissimè semper functi sunt, & vsq. in hanc diem in multis Italię locis funguntur: neque vnquam laboribus, ac

vigiliis

vigiliis, imò nec effusioni sanguinis, & propriæ vitæ pro Fide, & Religione tuenda, ac pro officio S. Inquisitionis exequendo pepercerunt. Varia in probatione huiusce veritatis exempla Paramus dicto lib. 2. tit. 1. cap. 5 nobis sufficiat attigisse illud tantum, quod præcæteris valdè excellit, nempè gloriosissimi Martyris S. Petri, vt habetur in lectionibus proprii officii pro secundo nocturno; *peculiaris gratiæ dono hæreticos acriter confundebat, tanto fidei ardore incensus erat, vt pro ea mortem subire optaret, eamque à Deo gratiam enixè precaretur*. Itaque hæretici necem, quam ipse paulò ante concionando prædixerat, ei intulerunt. Nam cum S. Inquisitionis munus gereret (per 20. annos gessit teste eodem Paramo ibidem tit. 2. cap. 3.) illum Como Mediolanum redeuntem, impius Sicarius semel, atque iterum in capite gladio vulnerauit: iamque penè mortuus Symbolum Fidei, quam infans virili fortitudine confessus fuerat, in ipso supremo spiritu pronuntiauit; iterumq latera mucrone transuerberatus ad martyrii palmam migrauit in Cælum, anno Salutis 1252. Hæc ibi, quibus nihil præstantius, nihil gloriosius dici potest. Vnde Tribunalia omnia S. Inquisitionis iure optimo eum vt patronum, & protectorem recipiunt, & colunt, & particulariter in hoc Tribunali Melitensi quoties congregatio cogitur, sub finem (ad imitationem credo sacræ Congregationis Vrbis) eius collecta ab Illustrissimo Domino Inquisitore recitatur. *Præsta quæsumus Omnipotens Deus, vt Beati Petri Martyris fidem congrua deuotione sectemur qui pro eiusdem fidei dilatione martyrij palmam meruit obtinere. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

10 Nobilissima, & Illustrissima Religio Franciscana, adeo soror, & coëtanea Religionis Prædicatorum, vt vtraque videatur eodem partu enixa, æmula eius semper in omnibus, præcipuè tamen in zelo propagationis Fidei Catholicę, & extirpationis hæreticę prauitatis, alumnos suos Sedi Apostolicę offert, vt iuxta decretum, & dispositionem ipsius in hoc negotio propagandi Fidem, & extirpandi hæreses laborent, atque inuigilent, & parimodo, ac Dominicani delegatione Pontificia Inquisitores contra hæreticos constituantur: vti re vera per Breuia Pontificia, Constitutionesq. Apostolicas electi, & constituti sunt, atque ad hoc munus Inquisitionis exercendnm missi, etiam in Hispaniam, vt auctor est idem Ludouicus Paramus, qui de iis ibidem tractat: & de talibus institutionibus, & missionibus præcipuè per Italiam, & ad partes Lombardiæ, constat ex variis Constitutionibus Pontificiis ad ipsos fidei Inquisitores Franciscanos transmissis, sic incipientibus; *Quod super nonnullis, &c. Ex parte nostra fuit propositũ, &c. Super extirpatione hæreticæ prauitatis, &c. Ad audientiam nostram peruenit, &c.* Omnibus Alexandri IV. Atque ad vtriusque simul Religionis Dominicanę, & Franciscanæ Inquisitores Fidei, eiusdem Alexandri Constitutione, incipiente, *Catholicæ Fidei negotium, &c.* Clementis IV. incipiente, *Ad extirpanda de medio populi, &c.* Quibus omnibus, & aliis diuersis, vel ad munus Inquisitorum Fidei diligenter exercendum excitatur, vel in exercitio eius diuersimodè instruuntur, vel pro eo facilius exercendo priuilegia, & exemptiones ipsis conceduntur, vel circa alia huc spectantia. De erectione talium Inquisitorum ad quos pertineret, dicetur commodius infra lib. 1. Regularium multiplicium. De laboribus verò Franciscanorum in exercendo offitio S. Inquisitionis similiter etiam cum sanguinis, & vitæ profusione, vide Paramum lib. 2. tit. 1. cap. 5. & Fratrem Didacum Morillum, post citandum. Idem Paramus de Inquisitoribus ex aliis Religionibus diuersis, maximè ex Religione Hierosolymitana, ob hac enim insignes actus Inquisitionis Guadalupi anno 1485. celebrati, & iuxta sententias in his latas, cremati duo millia Iudæorum, & Apostatarum, &c. lib. 2. tit. 2. cap. 2. ex traditis itaque toto hoc Prolegomeno, & originem Tribunalium Sanctæ Inquisitionis per solam delegationem Pontificiam, & magnum eorum progressum habemus: sed maiorem iam inquirimus.

PROLEGOMEN. IV.

De maiori progressu Officij S. Inquisitionis per Tribunalia delegatione Pontificia à Tribunalibus Episcopalibus separata in tota Hispania, & alibi erecta, & dotata in communi contra hæreticam, & apostaticam prauitatem.

1 DEFECTIBVS Episcoporum quoad negotium S Inquisitionis, quod aliis magnæ considerationis, & necessitatis pro regimine suarum Ecclesiarum, & Diœcesum negotiis sint meritò semper intenti, (tametsi nullum magis necessarium, nec maioris considerationis illo) supplementum satis oportunum, & sufficiens videbatur adductum per prædictos auxiliarios, nempè per Inquisitores delegatos à Sede Apostolica, siue Dominicanos, siue Franciscanos, siue alterius Religionis: & sic dictum negotium Inquisitionis ingens incrementum, & magnum valdè progressum per spatium ducentorum annorum, & amplius accipere in dies manifestè apparebat. Verum cũ tales Inquisitores fidei vix tũc fixam sedẽ haberent, & pro casuum occurrentium vrgentioris necessitatis ratione iuxta errores contra fidem in variis partibus, & prouinciis Christianitatis emergentes; iam huc, iam illuc excurrerent, seu potius à Summis Pontificibus, vel à suis superioribus velociter mitterentur; itaut illud Isaię cap. 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant*, quod communiter de Euangelicis Prędicatoribus exponitur, huiusmodi etiam Inquisitoribus maximoperè quadrare videatur; quo ad partes remotiores aliquarum Prouinciarum, præcipuè in Hispania officio Sanctæ Inquisitionis nequaquam plene satisfacerent, neque defectus Ordinario-

nariorum supplerent. Hoc autem vel inde innotescit, quod tempore Regis Ioannis II. in Castella veteri ad damnandum Henricum Marchionem Villenæ Magiæ crimine diffamatum, vt attingit obitèr Torreblanca ibidem num. 16 ab ipso Rege fuerint electi duo Iudices (crederem quæ erat tūc, & fuit semper Regum Castellæ pietas, & reuerentia erga Sedem Apostolicam non sine licentia, vel potius commissione Summi Pontificis) & eorum alter Alphonsus ab Spina in libro à se ædito, cuius inscriptio *Fortalitium Fidei*, statim in præfatione grauiter quæritur, nullum eo sæculo pro illis locis existere Inquisitorem.

Verum; *quæ est infinita, & peculiaris pro singulis casibus emergentibus Dei prouidentia attingens à fine, vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter* Sap. 8. sic permissum, seù dispositum fuit, vt Reges Catholici Ferdinandus V. & Elisabetha eius vxor successores immediati d. Ioannis II. post vniuersalem illam expulsionem iuxta decretum Concilij Toletani anno Domini 638. celebrati, can. 3. factam ex omnibus suę ditionis Regni Iudæorum nolentium conuerti ad Fidem Catholicam (ob quod facinus æ regium præcipuè, vt interim de alijs sileam, titulum Catholicorum sibi, & suis successoribus in perpetuum meritò obtinuerunt) aduersus conuersos, si qui reiudaizarent, & aduersus alios hæreticos, & apostatas, aut de vtrouis suspectos, si aliqui fortè ibi reperirentur ad erigenda, & fundanda Tribunalia S. Inquisitionis in singulis suis Regnis perpetua, imò, & dotanda, seù ad procurandos redditus, quibus pro dignitate, & pro ipsorum incremento sustētari possent, efficacius, & ardentius excitarentur. Valde itaq. solliciti de Fidei puritate integra seruanda, & de errorum extirpatione contra ea vbicumq. insurgentium, primo circa fundationem supremi Tribunalis S. Inquisitionis; quod in ipsa curia Regia, vt in plurimum resideat, ac præsentia, & authoritate ipsorum Regum immediatè protegatur, & à quo reliqua Tribunalia in multis pendeant, non diutius cogitant, sed quamprimū deliberant. Vndè anno 1483. ab Incarnatione Domini, gubernante Ecclesiam Sixto IV. huic mentem suam, ac desiderium quoad omnia prędicta exponunt, & ab eo enixè postulant, vt in Hispania vnus Inquisitor Generalis instituatur, cum potestate alios Prouinciales Inquisitores creandi, prout sibi visum fuerit. Cui postulationi Summus Pontifex non solum libentissimè annuit, transmisso diplomate Pontificio, sed deliberata etiam maximè laudat, ad eorumq. quam citò executionem valdè hortatur: ita ex Paramo lib. 2. tit. 2. cap. 4. refert Fr. Didacus Morillus Prædicator insignis ex familia Sancti Francisci in opere suo fundationis Capellæ Sanctæ Virginis Deiparæ Pellerij, &c. Tractatu secundo cap. 21.

3 Obtenta igitur à Summo Pontifice Sixto huiuscemodi facultate erectum fuit statim auctoritate Papæ, & Regum supremum hoc Tribunal Fidei, quo nihil rectius, nihil sanctius; quodq. successu temporis cum experientia ipsa constaret, ingentes ex eo in dies percipi fructus circa causas Fidei semper magis, magisq; auctum, atq. maiori iurisdictione, & potestate munitum, ita vt hodie ad summum fastigium euectum videatur, concurrente perpetuo vtraq. dicta auctoritate, & iugi dependentia à Sede Apostolica. Quamuis enim ab ea idem Rex Catholicus paulò post etiam obtinuerit, vt iudicatum in hoc supremo Tribunali, & ad vltimam sententiam deductum tantæ sit firmitatis, ac roboris, vt ad nullum aliud Tribunal etiam sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Vrbis conceditur recursus, seù appellatio: Quamuis item Sixtus V. in Bulla incipiente, *Immensa æterni Dei*, tribuens maiorem auctoritatem huic sacræ Congregationis Vrbis, & subijciens ipsi quoscumq. Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & Inquisitores totius Christianitatis, quocumque illi priuilegio suffulti sint, addat statim limitationem per sequentia verba. *In his autem omnibus nostra est intentio, nec in Officio Sanctæ Inquisitionis in Regnis, & Dominijs Hispaniarum Sedis Apostolicæ, auctoritate Superioribus temporibus instituto, ex quo vberes in agro Domini fructus in dies prodire conspicimus, Nobis, aut successoribus nostris inconsultis aliquid innouetur*: sic ibi, vide Paramum vbi antea cap 1. ex his tamen vltimis verbis; *Nobis, aut successoribus nostris inconsultis*, dependentia supremi Tribunalis Hispaniæ à Summis Pōtificibus manifestè apparet, & qui eam deneget, malè de Fide sentire cēseretur negando auctoritatem, & potestatem Papæ: imò priuilegijs multis hoc supremum Tribunal spoliaret, quæ à Summis Pontificibus ei conceduntur varijs cōstitutionibus, tum id communi, cum alijs simul Tribunalibus Fidei; tùm in particulari; aliquibus ad ipsum tantum directis, vt illa Leonis X. ad Adrianum Cardinalem Inquisitorem Generalē Hispanię, incipiente: *Intelleximus quod &c.* Quid quod quoscumq. Generales Inquisitores pro Regnis Hispaniarum, tametsi à Rege Catholico nominentur, & eligantur, à Summis tamen Pontificibus per Breuia, aut Diplomata Apostolica confirmari patebit extradendis paulò post: nec dubium de simili confirmatione Inquisitorum Generalium pro Regnis Lusitaniæ, vt constabit ex dicendis Prolegom. VIII. n 6. & 7

4 Ad petitionem Regum Catholicorum, & iuxta Diploma à Sixto IV. ad eos transmissum, prima institutio huius supremi Tribunalis facta est in persona D. Fr. Tomæ Turrecrematæ de Religione Prædicatorū, viri singularibus virtutibus & doctrina præstantissimi, atq. in negotio S. Inquisitionis iam valdè experti. Et meritò quidē ille huius supremi Tribun. Primus Inquisitor Generalis creatur, & postea anno 1485. die 3. Februarij ab Innocentio VIII. successore immediatè Sixti IV. confirmatur, qui eius Institutionis primus fuerat omnium auctor: ipse namque Catholicis Regibus hanc mentem sepius iniecerat, teste Morillo citato cum alijs, vt ad extirpandos errores ex conuersatione cū Iudæis, & cum Mauris de nouo ad Fidem conuersis maiores in dies etiam inter Christianos veteres grassantes, talis institutionem Tribunalis à Pontifice Romano obtinerent. Huius insignis viri vitā,

præstantissimas virtutes, & valde eximiam sanctitatem, atque doctrinam, extendit aliquantulum Ludouicus Paramus lib. 2. tit. 2. cap. 5. præcipuè idem rarum humilitatis, seu contemptus ambitionis exemplum, quod noluerit vnquam dignitatem vllam admittere, tametsi à Regibus Catholicis; Archiepiscopatus Hispalensis fuerit ei oblatus, maiores dignitates ipsi pollicentibus: quos omnes & alia munera amplissima prompto animo, & hilari vultu semper aspernatus est, vno excepto munere Inquisitoris Generalis, quod licet dignitas eminētissima sit, ipsum tamen, vt onus grauissimum libenter suscepit; eo quod immensis laboribus, & periculis præcipuè in eius ortu ob ingentem hæreticorum, & penè infinitum Iudæorum numerum, esset admixtum. Ipsum nihilominus cum inenarrabili fructu Fidei Catholicæ, & extirpationis hæresum per multos annos humeris giganteis viriliter sustinuit. Verumtamen biennio ante obitum se podagræ doloribus impeditum, munere Inquisitoris Generalis abdicauit; curauitq. ad hoc eum promoueri, quem magis aptum, & dignum iudicabat. Sed quisnam iste eius immediatus successor? quinam item post mediati successores? cum Ludouico Paramo citato ad rem non dubito facit seriem istorum hic apponere; adiuncto circa singulos vno, vel altero verbo, sed prius in communi illud tantum de omnibus simul videtur posse dici, semper fuisse creatos ad hoc excellentissimū munus exercendum Viros litteris, præcipuè sacra Theologia, vel Iurisperitia, virtutibus item non vulgaribus præstantissimos eximia in primis prudentia, & iudicij maturitate, atque pro meritis, vel ad eminentiores Dignitates iam euectos, vel statim euehi paratos; tales denique, vt vno verbo dicam, quales excellentia, & prærogatiua tanti officij Generalium videlicet Fidei Inquisitorum exigere in talibus causis videbatur.

5 Præfato Fratri Patri Thomæ à Turrecremata successit, & fuit secundo loco Inquisitor Generalis ab Alexandro VI. die 1. Decemb. 1498. creatus D. Pater Magister Frater Didacus Deza Taurinus ex eadem familia Prædicatorum, Ioannis Principis Catholicorum Regum filij Præceptor, ac morum formator, virtutibus eximijs, & litterarum cognitione præstans: ad Archiepiscopatum Hispalensem tandem euectus: item antecessoris sui exemplo ob senium, & aduersam valetudinem muneri Inquisitoris ante mortem libenter cessit.

Tertius Inquisitor assignatur à Paramo D. Frater Ioannes de Enguerra Valentinus, Episcopus Dertusensis: sed ipsemet Paramus ait solum in Regnis Aragoniæ, seu Coronæ fuisse Inquisitorem.

Reponitur quarto loco sanctissimus ille Vir, & litteris præstantissimus D. Frater Franciscus Ximeneus Cisneros, Religionis Seraphicæ alumnus. De hoc duo præcipua ex eius vita, omissis innumeris alijs adfert, primum quod fuerit maximus contemptor Dignitatum; nam Bullam Alexandri VI. Summi Pontificis, in cuius dorso inscribebatur *Frater Ioannes Archiepiscopus Toletanus*(viduata enim tunc erat illa Ecclesia) à Regina Elisabetta, cuius audiebat confessiones sibi traditam, valdè contristatus statim in terram proiecerit, è conspectuque Reginæ aufugerit: quamquam idem Pontifex ei alia Bulla illam Ecclesiam sine vlla mora admittere iussit: Postea vero Papa Iulius Secundus anno 1507. ad Cardinalatum titulo Sanctæ Balbinæ ipsum promouit, & Inquisitorem Generalem pro Regnis Hispaniæ creauit. Secundum quod oblationem octingentorum millium aureorum à nouiter conuersis, dummodo testes in Tribunali Sancti Officij publicarentur Carolo Quinto Imperatori factam iam iam ad acceptandum propendenti despicere persuaserit, idque exemplo maximè ipsius Aui Ferdinandi Sexti Regis Catholici, qui similem oblationem, etiam tempore quo pecunijs valde indigebat, omnino contempserat, perpendens hanc conditionem publicandi testes esse Tribunalibus Fidei, & Ecclesiæ Catholicæ vniuersæ admodum perniciosam, vt per se patet.

Quintus Inquisitor Generalis fuit Ludouicus Episcopus Dertusensis, cuius cognomen sicut, & nomen varium, nempè Ludouicus Mercator, & Petrus Ioanguen ac Ioannes Pol. Sed hic similiter tantum in Corona Aragoniæ functus hoc munere Inquisitoris teste Paramo citato.

Occupat sextum locum D. Adrianus, qui à Leone X. Pontifice Maximo anno 1516. postridie Idus Nouembris, Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Siciliæ; postea ab eodem Pontifice anno 1518. die 6. Martij Regnis etiam Castellæ, & Leonis Inquisitor Generalis præficitur. Hic Adrianus tandem ad apicem Apostolatus ascendit.

A præfato Adriano VI. anno 1523. Idibus Septembris pro Regnis Hispaniæ septimo loco creatur Inquisitor Generalis D. Alphonsus Mãriquez Archiepiscopus Hispalensis.

Ad eandem dignitatem anno 1530. die sexta Nouembris à Paulo III. Summo Pontifice in Regnis Hispaniæ promouetur D. Ioannes Tauera Archiepiscopus Toletanus.

Nonus Inquisitor Generalis ab eodem Paulo Tertio instituitur D. Garzia de Loaysa Archiepiscopus Hispalensis anno 1546. Martij 11. Kalendas.

Decimum tenet locum circa munus Inquisitoris Generalis pro Regnis Hispaniæ ipso Paulo Tertio promouente anno 1547. 13. Kal. Febr. D. Ferdinandus de Valdes Archiepiscopus Hispalensis, post alias dignitates, & munia honorificentissima, de hoc vide plura apud Lodouicum Paramum vbi supra.

A Pio V. sanctæ memoriæ anno 1566. ab Incarnatione Domini sexto Idus Septembris D. Didacus de Espinosa supremo Regis Senatui Præfectus, Cardinalis, & Episcopus Seguntinus, in offitio Inquisitionis Generalis Coadiutor, & futurus successor Ferdinando de Valdes merito designatur.

Duodecimo loco Gregorius XIII. die 29. Nouembris anni 1572. D. Petrum Pontium de Leone Episcopum Placentinum ad idem honorificum munus Inquisitoris Generalis pro

Regnis

Regnis Hispaniæ promouit;sed antequam illud exercere inciperet,è vita discessit.

Ingentibus celebrat Encomijs Ludouicus Paramus insignem illum virum D. Gasparem à Quiroga Archiepiscopum Toletanum, qui à Gregorio XIII.anno 1573. supremus Inquisitor in Hispania, & anno 1578. S. R. E. Cardinalis creatur.

Quirogæ successit, sic disponente Papa Clemente VIII. anno 1591. die 6. Maij D. Hieronymus Manriquez Episcopus Abulensis, & prius Inquisitor Mulgensis: qui vix limen attigit in exercendo munere Inquisitoris Generalis; cum Kalendis Septembris eiusdem anni mortuus sit.

6 Decimo quinto loco ad dignitatem Inquisitoris Generalis à Clemente VIII. Pontifice Maximo euectus est D. Petrus Portocarrero Lusitanus Villanoua de Fresno natus: Possessionem dictæ dignitatis adijt primo Idus Iunii 1596.de huius viri excellentiis vide plura apud eundem Paramum;pauci qui hic desunt,successores Portocarreri facile adiungi possunt.

Ab eodem Clemente VIII. per Breue peculiare fuit constitutus decimus sextus Inquisitor Generalis Illustriss. D. D. Ferdinandus de Niño, & de Gueuara Archiepiscopus Hispalensis, S. R. E. Cardinalis.

Obtinuit decimo septimo loco hanc dignitatem Generalis Inquisitoris annuente ipso Clemente VIII. per diploma Pontificium Illustriss. D.D. Ioánes de Zuniga Episcopus Cartaginen.

Sequitur decimus octauus Inquisitor Generalis nempè Illustriss. D. Ioannes Baptista de Azeuedo Episcopus Valedolitanus per Breue peculiare Pontificium.

Ascendit decimo nono loco ad excellentissimum munus Inquisitoris Generalis Illustriss.D. D. Bernardus Rojas, & Sandoual Archiepiscopus Toletanus, & S. R. E. Cardinalis premomouente Papa Paulo V.

Vigesimus Inquisitor Generalis assignatur D. Frater P. Aloysius de Aliaga ex Illustrissima Religione Sancti Dominici Confessarius Regis Philippi III. & Archimandrita in Regno Siculo Papæ Pauli V.

Designatur vigesimo primo loco Inquisitor Generalis D.D. Andreas Pacheco Episcop.Cōchensis per Breue peculiare Papę Gregorij XV. anno 1622.

Eligitur vigesimus secundus Inquisitor Generalis D.D. Antonius Zapata Archiepiscopus Burgensis, & S. R. E. Cardinalis; consentiente Sanctissimo D. Nostro Vrbano Papa Octauo anno 1627.

Promouetur tandem ad eandem dignitatem Inquisitoris Generalis D. Fr. P. Antonius de Sotomaior Dominicanus Archiepiscopus Damascensis,& Regis Philippi Quarti Confessarius per diploma eiusdem Vrbani Papæ VIII. En seriem Inquisitorum Generalium illius supremi Tribunalis S.Inquisitionis Hispaniarum: si aliquis fortè intermissus fuit, veniam dabit ipse, benignus Lector.

Verum ad primum ex omnibus, si lubet, reuertamur. Iuxta potestatem in diplomate Sixti Quarti sibi traditam statim se accinxit nouus Inquisitor Generalis Fr. Thomas Turrecremata ad creandos Inquisitores Prouinciales, non sine consultatione, credo,directione, ac voluntate Regis Catholici,& ad instruenda noua Tribunalia Sacræ Inquisitionis firma, & perpetua in Metropoli, vel præcipua Ciuitate cuiusque Regni, seu Prouinciæ Ditionis eius, vt Hispalis quamprimum pro Bettica Prouincia, Cæsaraugustæ transacto ferè biennio pro Regno Aragoniæ (de hoc copiosius toto ferè Prolegomeno sequenti) in Ciuitate Iulobrigæ non multo post pro Regno Nauarræ: de his tribus mihi lucem præfert idem Morillus ibidem: de alijs taceo, ne in errorem incidam; cum mihi haud innotescat, quænam in particulari, præter illa tria à Turrecremata,quænam vero ab eius successoribus fuerit creata. Si mihi quis circa aliqua lumen indiderit, maximè circa tempus, & circa auctorem erectionis purgatum faciet, & addam libenter, si alitèr non potest, in margine quæcumque suggesserit. Hoc vnum saltem omnino certum non omnia ab illo Tribunalia, neque à primis eius successoribus fuisse fundata, maximè quoad Regna, seu Prouincias post mortem Ferdinandi Quinti,& Isabellæ, Fratisq. Thomæ Turrecrematæ, & aliorum acquisitas, atque Regnis Castellæ coniunctas; vt patet omnibus manifestè in Tribunalibus Fidei nouissimæ institutis in vastissimis Regnis, ac Prouincijs noui Mundi,seu Americæ, Peruanis,& Mexicanis, atque in Insulis Philippinis tempore Inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti, & prudentia, zeloque Religionis Christianæ propagandæ valdè conspicui Regis Philippi Secundi inuentis, & iure iusti Belli oppugnatis, & victis, sub eorumque ditione adiunctis. De fundatione denique Tribunalis Sanctæ Inquisitionis in vicino nobis Regno Siciliæ postea dicemus peculiari Prolegomeno.

7 In laudem, & encomium non exiguum istorum omnium Tribunalium simul in communi tria mihi indicanda restant, nec quidem possum quin indicem abstinere: Primum quoad. Tribunalia in Prouincijs, aut Regnis particularibus,illud idem quod iam de Tribunali supremo,& omnibus vniuersali in hoc Prolegomeno num.4. fuit dictum, scilicèt non solum in prima erectione cuiusq. Tribunalis S.Officij,sed etiam in quauis substitutione, aut prouisione alterius Inquisitoris, vel ob casum mortis, promotionisue ad maiorem dignitatem, vel ob cessationem ab officio ex quouis capite, perpetuo solitum regimen eorum tradere personis, omni in primis exceptione maioribus; dein doctrina plusquam ordinaria sacræ Theologiæ, aut iurisperitiæ, atque cuiusque virtutis excellentia præstantissimis. Noui aliquos alicubi similia Tribunalia gubernantes, in quibus ista maximoperè elucescebant; adeò vt ipsi digni Tribunalibus, & hæc digna illis apparerent. Vtinam series eorum qui vnicuique Tribunali præfuerunt, ad manum haberem, vt expressis hic nominibus, agnominibus, titulis, & gradibus Dignitatum, si aliquibus insigniti fuissent; memoria eorumdem quoquomodo æterna

maneret, & numquam obliuioni traderetur. A qua obliuione immunes sunt illi, licèt pauci, qui aliquid circa materiam causarum Fidei, & regiminis officij S. Inquisitionis elaborarunt, & ad vtilitatem posterorum in lucem ediderũt. De Ludouico Paramo iam dixi Prolegomeno 1. nu. 2. & aliquid addam sub fine Prolegomeni 9. Quid dicam de Arnaldo Albertino Mayoricẽsi I. V. D. in hoc etiam Trinacriæ Regno prius Inquisitore aduersus apostaticam, & hæreticam prauitatem, post Episcopo Pactensi dignissimo? Tractatum aureum protulit de agnoscendis assertionibus Catholicis, & hæreticis. Quid item de Ioanne Rojas V. I. Licentiato Tribunalis S. Inquisitionis in mea Ciuitate, ac Regno Valentino meritissimo Inquisitore per multum tempus? & postea in Regno Siciliæ, vt infra exprimetur? preter singularia in fauorem Fidei, hæresisque detestationem, de quibus iam supra in Præfatione; Egregium elaborauit tractatum de hæreticis, cum quinquaginta Analisticis assertionibus. In primis autem summis laudibus afficiendus D. Fr. P. Magister Nicolaus Eymericus Ordinis Prædicatorum, qui circa annum Domini 1358 ad officium Generalis Fidei Inquisitoris in Regnis Aragoniæ euectus est: ipsumque per quadraginta quatuor annos continuos pro eximia eius doctrina Theologiæ simul, & Iurisperitiæ valdè laudabiliter, & fortiter contra Fidei hostes exercuit. Opus item edidit de hac materia Sanctæ Inquisitionis; cui admodum cõgruè Directorium Inquisitorum nomen indidit. quod eo ipsi, & quicumque ministri, atque officiales S. Officij in causis Fidei pertractandis, & expediendis, tenebrisque errorum fugandis non solum vti face valdè accensa; sed etiam vti lucidissimo sole dirigantur, maximè adiunctis, eruditissimis Francisci Peñę Commentariis, nosq. infra in extruendo toto opere nostro Regularium multiplicium pariter dirigemur.

Pro Encomio D. F. P. M. Camilli Campegij sufficiant à nobis dicta Prolegomeno præcedẽti num. 9. sine adiunctione alterius cuiusquã, ne si huius, & aliorum similium Encomia tenme diutius exhibeam, nimiæ diffusionis in hoc loco merito accuser, vnde iam.

8 De secundo vnum verbum, de Maiestate videlicet, & auctoritate horum Tribunalium, de summo rigore, & terrore, perterre factioneque indicibili in modo procedendi, & expediendi causas Fidei, in executione sententiarum absq. remissione vlla circa pœnas inflictas, quę taliter quouis tempore se habuerunt, vt ex quo huiusmodi Tribunalia in tota Hispania, & alibi fundari cæperunt, vsque ad præsentiarum per spatium ferè centum quinquaginta annorum, nullus vnquam diminutionis, sed maioris iugiter incrementi eis accessio facta fuerit. Quamuis enim commune sit ipsis cum alijs quibuscumq. Tribunalibus Fidei, in casibus spontaneę comparitionis, absque præuentione vllius legitimi inditij, vt iam in Præfatione attingi, fiat expeditio causæ absque carceratione, tortura, & pœna vlla, his tamen exceptis, sola simplici vocatione alicuius Inquisitoris in Hispania, ait Morillus citatus, per aliquem eius ministrum ad negotium fortè particulare non pertinens ad Inquisitionem Fidei, absque eo quod vocati, sciant ad quid vocentur; adeo perterrefieri homines soleant; vt aliquibus statim necessariò decumbere, & præ nimio dolore febri superueniente emori contigerit. At quid in casibus vbi datur præuentio per accusationem, aut denuntiationem, & agitur de repentina captura & de carceratione rigidissima, ac secretissima, vt taceam de alijs, quæ hanc consequuntur, quanto magis perterrefiant capti, & carcerati? quanto maiori horrore afficientur? quoad spectacula addidit idem Morillus, quæ quandoq. in loco valdè publico fieri solent ab Inquisitoribus, præcedente in solemni processione, Cruce coloris viridicis, quæ sola iam omnibus maximum terrorem incutit comitantibus non paucis, etiam ex Proceribus Ciuitatis, eductis multis simul reis iudicandis, sententiandis, & puniendis, &c. Heù miseris. quid horribilius ipsis, & quibusuis alijs aspicientibus, quid maioris stuporis? quid, quod magis populo terrorem inducat? quid, quod expressius in hac vita formam, seu statum futuri Iudicij in fine mundi repræsentet? Haud credo aliud reperiri poterit. Mirantur valdè hæc nostra Fidei Tribunalia cum tanta auctoritate, tantoque rigore fundata exteræ nationes, quoties huc oculos conuertunt: sed vtinam ex hac oculorum mentis conuersione, & rationabili administratione fructum aliquem caperent, Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent, vtinam scilicet amplectendo normam, & rigorem nostrorum Tribunalium in suis Regnis, & Fidei Diuinæ, & ipsorum Regnorum amissionem omnino propellerent: ad vtrumque enim, etiam ipsis exteris testibus, quis dubitatur inseruire? quis non videat fructus alios inenarrabiles inde emanare? sed heù fragilitas maxima humanæ naturæ, id quod directius, & strictius refugimus, licet conuenientius, & opportunius ad bonum commune, & priuatum iudicemus.

9 Illud autem valdè dolendum, quod etiam in diuersis Regionibus, & Prouincijs, quæ sunt sub ditione Regum Catholicorum perfricata fronte, & obdurato animo, quandoque etiam excitato populi tumultu à subditis eorum ibi inhabitantibus obsistunt maximopere, & impeditum, ne introduceretur Officium Sanctæ Inquisitionis, & strictiori forma, & rigore maximo, quibus introductum, & stabilitum in Regnis alijs Hispaniæ, Lusitaniæ, & Indiarum; sed laxioris iuris forma, aut nulla pœnitus, sic obstitum in Regno Neapolitano, sic in Statu Mediolanensi, sic in alijs, præcipue in Belgio contra voluntatem, & conatum inuictissimi Imperatoris Caroli Quinti, & prudentissimi Regis Philippi Secundi, quod quia egregiè, & dilucidè, licet longiusculè narratur à nostro Famiano Strada Romano vbi supra, congruentius existimaui totidem ipsius verbis aliqua particularia referre, intermissis generalibus, & alijs, de quibus nos alibi in his Prolegomenis, sic iam ille.

Vna

Vna omnium, inquit, *maximè turbauit, conciuitq. Belgarum Populos suspitio primum, dein conatus Inquisitionis aduersum hæreses instituendæ, placitisque Caroli Cæsaris firmandæ. Quæ res quoniam vulgò visa est aperuisse in Belgio belli fores, operæpretium faciam, si quidquid hoc est paulò accuratius reuoluam, &c.* Et post multa subsequitur. *Carolus Imperator cuius in primis auxilium spectabat læsa Religio (à Lutero scilicet, & ab alijs hæreticis) veteri Cæsarum exemplo leges sibi statuendas per Imperij, & Belgij Prouincias illico duxit aduersus Catholicæ Fidei corruptores. Quare dum his ab Hispania per Belgium, Germaniamque summa mortalium gratulatione, plausuque, ac toto illo iam tum blandientis fortunæ strepitu vehitur, ac Imperij Sedem, Vormatiæ in celeberrimo Procerum Conuentu Martinum Lutherum ob Romano Pontifice damnatum, ipse quoque septemnium Augustalium, Imperijque Principum, atque Ordinum suffragijs damnat, proscribitq. & proscriptionis edicta eodem anno, quis fuit vigesimus primus supra sed qui millesimum per omnes Imperij, ac Patrimonij sui Prouincias proponit. Cum vero nihil propterea malum remitteret, imo (vt flagitia impetu valent) intra paucos menses ea contagio florentissimas Ciuitates afficeret, & afflaret, Cæsar, & reis alicubi supplicio affectis, & nouis vbique amplioribusque septies repetijt edictis, medicinam conatus facere furenti, volaticoque morbo. Quin etiam cum postulasset à Pontifice Censores Fidei, accepissetq. eorum auctoritati, securitatiq. cauens multa sanciuit, quæ anni millesimi quingentesimi quinquagesimi Placito præscribuntur. Verum noua illi iudicij facies plus terroris secum attulit in Belgium, quam obseruantiæ. Nametsi alicubi suscepta res est, Barbantini tamen, quod in eo carpi libertatem suam dicerent, commodum nacti, imposito se se onere liberarunt sub eius anni quinquagesimi finem, quo tempore partim Augustana commiti, Tridentinumque Concilium, partim Bella continenter alia ex alijs nata per Numidiam, Pannoniam, Italiam, Germaniam, Galliamque alio distraxere Cæsaris curas. Et quamquam Philippus Rex, vbi in Belgij possessionem intulit pedem, statim paternas ea super re leges nouo edicto firmauit; rem tamen haud promouit, implicitus repente bello, quod eo ipso, quo edictum proposuit anno, tribusq. in sequentibus acerrime cum Gallo gessit. Donec anno quinquagesimo nono quamprimum a bello nactus est otium, reuocauit illico animum ad Religionem stabiliendam, discedensque a Belgio mandata sorori Gubernatrici, atque Antistiti Grauellano dedit, enixè curarentur, vt Caroli Placita, & cautiones, quas ipse Rex pro Pontificijs Quæstoribus confirmarat exquisite seruarentur.* Hactenus Famianus.

Vide reliqua, si placet, apud ipsum Famianum, ea omitto, ne nimis longè abire videar; quibus ille tandem concludit, vulgi sermones fuisse varios aduersus inquisitionem Fidei, & Edicta Cæsaris; tandem tumultuatum per maximè à populis cum summa libertate, & contemptu, atq. detrimento Religionis, & Fidei Catholicæ, deniq. denegantibus obedientiam ob introductionem Inquisitionis in Regnum Belgiorum, grassante iam magis inpenè inter ipsos Lutheranismo, &c.

10 Verum vnde nam, vt vltimum ex illis tribus breuiter adijciam, hæc tanta in nostris Hispaniæ Tribunalibus Fidei incrementa? Vnde hanc vsque ad summũ eorundem euictionem? Vnde? Quis non videat inde, quod auctoritate, & protectione Regia non exigua nitantur? Et sic semper valdè fulcita maneant. haud equidem dubium. Iam rursus vnde nam quod ad ea tantopere protegenda, & ad tale fulcimentum eis præstandum Reges Hispani perpetuo inducti fuerint? Diuinare cuius facile erit, absque eo, quod testamenta eorum tempore mortis edita percurrat; nempe iure quodam hęreditario hoc de protegendis sic, & fulciendis Tribunalibus Fidei translatum esse de Patribus ad Filios, imo istis tempore mortis, aut prius, ab illis maximopere commendatũ. De commendatione à Philippo II. facta filio suo Philippo III. constat clarè ex epistola ipsius ad Cardinalem Colona Proregem in Regno Aragonico, in qua cum diuersa pro cõfirmandis traditis in laudem nostrorum Tribunalium Fidei attingantur, visum est eius exemplar, vt se habet in originali, lingua vulgari Hispanica hic integrum apponere.

LITTERAE PHILIPPI III.

MVY Reuerende en Christo Padre Cardenal Colona, mi muy charo, y muy amado amigo. Nuestro Lugartiniente y Capitan General. Ya sabeys lo mucho que Dios nuestro Señor es seruido, y nuestra santa Fè Catholica en salcada por el santo Oficio de la Inquisicion, y de quanto beneficio ha sido à la vniuersal Iglesia à mis Reynos, y Señorios, y naturales dellos, despues que los SS. Reyes Catholicos de Religiosa memoria mis Rebisaguelos lo pusieron, y plantaron en ellos, con que se han limpiado de insedelidad de hereses, que han venido con el castigo, que se las ha dado en tantos, tan grandes, y tan insignes authos de Inquisicion, como se han celebrado, que les ha causado gran temor, y confusion, y à los Catholicos singular gozo, quietud, y consuelo. de que (como veys) por carezer desta gracia otros Reynos, han padecido, y padecen grandes desturbos, ynquietudes, y dessosiegos, de que damos grandes gracias à nuestro Señor, que assi lo và encaminando haziendo tan gran bien a estos, y a si por esto, como por hauermelo encomendado affectuosamente el Rey mi Señor, y Padre, que este en el Cielo, como por lo que yo lo estimo, deuocion, y aficion que le tengo, y obligacion que à todos los fieles corre de mirar par el, que sea amparado, defendido, y honrado mayormente en estos tiempos, que tanta necessidad ay, y ser vna de las mas principales cosas que se os pueden encomendar de mi estado Real; os encargo mucho que assi à los Venerables Inquisidores Apostolicos de esse Reyno, como à todos los Oficiales, Familiares, y Ministros del dicho Santo Oficio les honreys, y fauorescays, dandoles de nuestra parte todo el fauor, y ayuda, que se os pidiesse, y fuere necessario, guardandoles, y haziendoles guardar

todos los priuilegios, esemciones, y libertades, que les estan concedidas assi por drecho, concordias, cedulas Reales, como de vso, y costumbre, y en otra qualquiera manera; de suerte que el dicho Santo Oficio se vse, y exerca con la libertad, y authoridad, que siempre ha tenido, y yo desseo, que tenga, y no hagays, ni permittays, que se haga otra cosa en manera alguna; que de mas que cumplireys con lo que soys obligado como Catholico Christiano, y con el cargo que teneys en esse Regno, y que a nuestro exemplo haran otros lo mismo, me tendre de vos por muy seruido, y a lo contrario no tengo de dar lugar y sea muy Reuerendo en Christo Padre Cardenal muy charo, y muy amado amigo. Nuestro Señor en vuestra continua guarda.

Ita citatus Morillus cap. 23. effert hoc exemplar litterarum Philippi III. Quæ nullum dubium valdè vtiles, & proficuæ Tribunali Sanctæ Inquisitionis Aragonensi fuerint, excitarintque illum Cardinalem Proregem ad porrigendas manus fauorabiles, & adiutrices pro eius defensione, atque pro augmento, & maiori ipsius Progressu: sed de hoc ex professo Prolegomeno immediatè sequenti.

PROLEGOMEN. V.

De origine Officij S. Inquisitionis in tribus Regnis Coronæ Aragonensi, Valentino, & Gotolano, & de maiori eius progressu contra apostaticam, & hæreticam prauitatem, & de martyrio Primi Aragoniæ Inquisitoris.

1 HVC vsque de origine, & magno progressu Tribunalium officii S. Inquisitionis tantùm in genere; iam de eisdem in specie quid dicendum? percurrendum ne nobis per omnia, & vbi nam erecta videndum? origo vniuscuiusque vna cum progressu eius, fortè hic inuestiganda? procul valdè hoc à mentis nostrę proposito, ne nimis huiuscemodi Prolegomenis diffundamur, & iniicere manum ad libros Regularium multiplicium diutius, quam par est retardemur. Inuenies totũ id de origine & progressu singulorum ferè Tribunalium totius Christianitatis egregiè elaboratum apud Ludouicum Paramum lib. 2. tit. 2. à cap. 7 vsq. ad 34 qui in vnoquoque, istorum capitum originem, & progressum non solum alicuius particularis; sed sæpius etiam plurium simul perpendit. De Romano inquirit in Italia, (quasi totum Prolegomenum decimum nos pro hoc explicando trademus,) de Neapolitano etiam de Veneto, & de pluribus in tota Lombardia institutis. A Toletano incipit in Hispania; & ibi diuersa inuestigat, pręcipuè illa Regni Nauarrę, Ballearum Insularum, &c. De institutis in Gallia, Germania, Austria, Flandria, & Atrebato cũ Insulis vicinis non tacet: inde Vngariam, Poloniam, Dalmatiam, Græciam, Armeniam, VValachiam vtramq. & alias nationes ipsis propinquas adit, atque in eis quædam erecta S. Inquisitionis Tribunalia prospicit. Quin ad partes valdè remotas Africæ, præcipuè Imperii Presti Ioannis, & ad multo remotiores vtrarumque Indiarum Orientis, & Occidentis transgreditur, ibique quæcumque olim, ac denuò nostris temporibus instituta rimatur. Oculos etiam cõiicit in Tribunalia Insularum Fortunatarum, vulgò Canariæ in mari Oceano, & in Sardinia in mari Mediterraneo: illudque in primis maritimum contemplatur, vti admodum singulare, & rarum ad instantiam maximi Zelatoris Fidei Regis Hispaniarum Philippi II. super Triremibus, aut alijs nauigijs pro tempore Naualium Bellorum fundatum per particulare Breu. Apostolicum Sanctissimi Papæ Pij V. ad Cardinalem Didacum de Spinosa Inquisitorem Generalem, incipiens, *Dilecte fili noster,* VC. vbi conceditur ei facultas, quoties occurrerit casus creandi Inquisitores particulares in Triremibus, & nauigijs, & fundandi illud: expeditum fuit prę. dictũ Breue die vigesimaquarta Iulij annt 1571 tandem exactissimus Ludouicus Paramus, vt vno verbo dicam, omnia totius Orbis Tribunalia S Inquisitionis diligentissime perlustrat, & nullum intactum relinquit.

2 Sed quid nos? num intacta è contra cuncta hæc relinquemus? nequaquam, imò in præscrutanda origine, & exprimendo progressu Tribunalis S Officij istius Insulæ Melitæ, cum locis ei adiacentibus, per quatuor integra Prolegomena aliquantulum longiuscula diu immorabimur: cum reliqua in cæteris, Prolegomenis tradita, & tradenda huc dirigantur, vt via muniatur ad inuestiganda, & pertractanda quæcumq. ab hoc Melitense Tribunal spectantia, circa dictam originem, & progressum, & circa præstantia DD. Inquisitorum, & Officialium, qui ei præfuerunt, & præsunt, adiuncta ipsorum serie, ne obliuioni ferè omnino tradita maneant, sed vt sic firmius memoriæ prodita ad posteros transmittantur. Præterea visum est, prius de paucis alijs in specie aliquid dicere, vt nostro Melitensi associentur, & vt lumen ei quoquomodo præferant: primo de expressis in titulo huius Prolegomenis; non solum ob præclarum, & admodum insigne martyrium primi Inquisitoris Regni Aragonię (circa hoc enim non pauca alia Tribunalia S. Officij excellunt, quorum primi Inquisitores maximè ex Illustrissima Familia Prædicatorum, vt tradit Paramus citatus, similibus martyrijs pro Fide Catholica triumpharunt) sed etiam ob peculiarem affectum aliquali propriam Prouinciam, & Patriam honore afficiendi; ne obligationis à natura iniunctæ circa natiuam originem prorsus oblitus videar. De Tribunalibus item in particulari pro Regnis Lusitaniæ peculiari Prolegomeno aliqua attingenda ob valdè singularem, & extraordinarium modum, quo S. Offitium Inquisitionis illuc dicitur introductum: vt tunc videbimus. Tandem ob vicinitatem Regni Siculi, & ob communicationem legum eius, tàm quoad Ciuile, quàm quoad Criminale regimen cum his Insulis, tametsi non ipsi, sed Africæ adiacentibus oppor-

opportunum duxi originem, & progressum S. Inquisitionis officij in hoc Regno peculiari similiter Prolegomeno inuestigare: sed iam de Tribunalibus in Regnis Coronæ.

3 In reliquis huius Prolegomenis quinti præter Ludouicum Paramum citatum cap. 8. tanquam fax accensa præibit nobis sæpius adductus P.F. Didacus Morillus, (laudabile admodum statim confiteri per quam profeceris) & quæ ille de origine, & fundatione stabili officij S. Inquisitionis, maximè in Regno Aragoniæ cum Paramo lib. 2. tit. 2. cap. 8. & de gloriosissimo martyrio primi eius Inquisitoris vulgari lingua Hispania aliquantulum copiosè extendit; ad pauca pro nostro instituto, Diuino fauente Numine reducemus. Sed inchoandum ab eo, quod firmam fundationem Aragonensis Tribunalis S. Inquisitionis præcedit, huc etiam spectans. Anno itaq. 1232. die 6. Maij Rex inuictissimus D. Iacobus; vulgò appellatus Hispanicè *el Conquistador*, zelo Religionis, & Fidei puritatis adductus, suadente id suo Confessario S. Raymundo de Peñafuerte ex familia Dominicana à Pontifice Summo Gregorio Nono tunc Nauiculam Petri dirigente anno 1233. Bullam obtinuit, incipientem, *Declinante iam Mundi vesper, &c.* qua iniungebatur Archiepiscopo Taraconensi, Esparrago nomine, & eius suffraganeis, vt per se ipsos, & per Religiosos S. Domini contra hæreticos tunc in illis locis doctrinas erroneas contra veram Fidem seminatores procederent. Quod mandatum Papæ non à Esparragone morte præuento, sed à successore eius in Archiepiscopatu D. Gullielmo Monguin, cooperante etiam D. Bernardo Episcopo Illerdensi, fuit executioni mandatum: Primo in Ciuitate Illerdensi ad idem cooperantibus similiter alumnis Dominicanæ familiæ, præcipuè ipso S. Raymundo, etiam in multis alijs locis Coronæ; semper tamen absque Sede fixa, & absq. Tribunali stabili, vt iam dictum Prologomene præcedenti num. 1.

4 Verum post 257. annos, & post duos à fundatione supremi Tribunalis Fidei nempè 1484 Rex Catholicus Ferdinandus V. ad celebranda Comitia in Ciuitate Turiasonensi trium simul Regnorum Coronę, vt semper fieri consuetum (nunc audio vniuscuiusq. Regni separatim celabrari) in Aragoniam venit, Generalem Fidei Inquisitorem Fr. Thomam Turrecrematam, vt ait Morillus (etsi Hieronymus Zurita tom. 4. lib 20. c. 65. asserat tunc Inquisitorem Generalem fuisse N. Priorem S. Crucis, fortè successorem illius primi iam demortui) secum illuc adducit, & de fundandis fixis, & perpetuis Fidei Tribunalibus in quouis Regno Coronæ in ipsis Comitijs tractat. non indicat Morillus qui nam fuerint electi primi Inquisitores pro Regnis Valentino, & Gotolano, fortè quod non faceret hoc ad eius institutum, verum Zurita expresse affirmat fuisse electos pro Regno Valentino, Petrum de Epila Religiosum (non exprimit cuius Religionis) & Martinum Inigum. Supponendum tamen, vt omnino certũ ibi tunc fuisse electos duos etiam pro Regno Gotolano, sicut & alios duos pro Regno Aragoniæ exprimẽdos num. 7. & missos respectiuè Cæsaraugustam, Barchinonem, & Valẽtiam, vt Metropoli cuiusque Regni nouum Tribunal Fidei fixum, & perpetuum instituerent, ac munus Inquisitorũ exercerent, cum ea auctoritate, & forma, cum eo rigore, & irremissibilitate, de quibus iam dictum Prolegomene præcedenti num. 7. 8. & 9. Neque occurrit nunc aliud, quod possimus hic adiungere pro Tribunalibus Regni Gotolani; & Valentini simul, præter communia paulò ante pro omnibus iam tradita, si quis quid suggesserit circa ea adiungam libentissimè; cum videã ferè vt id propriæ Patriæ non exiguum honorem apportet.

5 Quamquam pro Tribunali Valentino idem Zurita ibidem addit die 7. Nouembris 1384. à præfato Petro de Epila habitam fuisse concionem de Fide in Ciuitate Valentina pro erigendo Tribunali firmo S. Inquisitionis; atque huic erectioni ex parte status militaris magnam excitatam fuisse oppositionem hancq. durasse per tres tantum menses, & postea ab omnibus libẽter receptum, & amplexum fuisse hoc sacrum Tribunal, vti rem huic Regno Valentino valdè proficuam. Cæterum multo plura adducit Paramus, qui vt postea aduerti, ex professo tractat peculiariter ibidem toto cap. 9. de nostro Tribunali S. Inquisitionis Valentino; traditis tamen iam ex Zurita non contradicit. Summa omnium hoc est, quod vt Valentiæ testantur annales ad instantiam Regis Alphonsi V. & ipsius Regni Valentini anno 1420. Martinus Papa V. per Bullam incipientem *Romanus Pontifex &c.* Dominicanorum Prouinciali iniũctum fuerit, vt ex sua Religione pro Regno Valentiæ de Inquisitore prouideret, sicut iam ex vi Bullæ Papæ Gregorij IX. pro Regnis Cathaloniæ, & Aragoniæ multò prius fuerat prouisum, vt diximus supra num. 3. Primo itaq. loco creatur Fidei Inquisitor Valentinus R. P Fr. Andreas Ros, & huic muneri summa cum laude, & ingenti fructu spatio quatuordecim annorum præfuit: ad eandem Dignitatem ex eadem familia Dominicana sex viri insignes successiuè vnus post alium ascendunt: postea duo simul in ipsa constituti, nempè Fr. Ioannes Ortes, & Frater Christophorus Gualbes anno 1474. qui tũc Prouinciam Inquisitorum sibi commissam nõ rectè, vt debebant, administrantes, meritò à Summo pontifice abrogantur, imò prædictus Fr. Gualbes à concionandi ministerio abdicatur: atque ad petitionem Regum Catholicourm Ferdinandi, & Elisabethæ Generali Inquisitori R. P. M. Fr. Thomæ à Torrecremata eiusdem Ordinis S. Dominici anno 1483. Octobris 17. à Papa Sixto IV. conceditur facultas amplissima eligendi Inquisitores pro Regno Valentino, absq. eo quod astringeretur, vt ex familia Prædicatorum deberet eligere, sed quos vellet ex quauis Religione, seu statu, dummodo essent in sacra Theologia Magistri, vel Doctoris I. V. Vnde ipse statim die 17. Nouembris eiusdem anni simul elegit duos Inquisitores pro Regno Valentiæ, nempè D. Magistrum Martinum Enigum Theologum, & Canonicum Valentinum, ac Magistrum D. Fr. Ioannem de Epila Dominicanum

imò

imò postea successu temporis pedetētim Dominicanis, & Religiosis cuiusuis alterius familiæ omninò ferè exclusis, Inquisitores, vel Theologiæ, vel I. V. DD. vt plurimum ex solo statu Clericorum sæcularium, non solum pro Valentino; sed pro quibusuis etiã Regnis Hispaniarũ instituuntur. Tandem ab eodem Ludouico Paramo citato, breuissimè accipe seriem omnium, fere Inquisitorum, qui Valentino Tribunali præfuerunt, cum expressione temporis, seu anni, quo electi.

6 Primus itaque iam dictus P. Frater Andreas Ros anno 1420.

Pater Ftater Arnaldus Coiro, Magister sacræ Theologiæ, anno 1434. qui etiam fuit lector in Ecclesia Valentina, vt in veteribus eius Constitutionibns habetur fol. 87.

P. M. Frater Martinus Tillus anno 1459. ab Incarnatione Domini.

P. M. Frater Raphael Garçia Inquisitor Valentinus eligitur anno 1461.

P. M. Frater Franciscus Pinetus antea Prior Cœnobij S. Dominici, post Inquisitor Valentię eodem anno 1461. vsq. ad annum 1569.

A pręd icto anno per quinquēnium fere quis præfuerit Tribunali Valentino non reperitur memoriæ proditum.

Dein P. M. F. Didacus Borellus anno 1474.

Hunc sequuti sunt illi duo simul, qui non benè se gesserunt in hac administratione, vt num. præcedenti dicebamus.

His duobus abrogatis eodem anno per Generalem Inquisitorem Fr. Thomam à Torrecremata creati simul Magister Martinus Inigus Theologus Canonicus Valentinus, & P. M. Fr. Ioannes de Epila Dominicanus.

Anno 1486. Licentiatus Petrus Sanctius à Calancha Canonicus Palentinus, & Licentiatus Ioannes Lupus à Cigales Theologus, & Canonicus Conchensis, post Inquisitor Abulensis.

Doctor Franciscus Soler Iurisperitus, Canonicus Illerdensis, & P. M. Fr. Michael de Monte rubeo Dominicanus anno 1488.

P. M. Fr. Didacus Madalenus etiam Dominicanus anno 1489.

Licentiatus Ioannes Monasterius Iurisperitus Canonicus Burgensis electus Inquisitor anno 1492.

Licentiatus Rodericus Santius à Mercado Canonicus Samorensis institutus Inquisitor anno 1500.

Doctor Iustus à S. Sebastiano anno 1505. Inquisitor prius Valētinus post Cæsaraugustanus.

Magister Gaspar Puteus Theologus eodem anno 1605.

Doctor Gisbertus Ioannes Remoilus Canonicus, & Fræpositus Illerdensis anno 1510.

Doctor Andreas à Palatios ab eodem anno per decennium, & post cum non esset in sacris, omisso munere Inquisitoris ad statum Matrimonii transiuit; sed in hoc Assessor fuit in dicto munere Cardinali Adriano Generali Hispaniarum Inquisitori.

Ioannes Caluus I. V. Bacalaureus anno 1514.

Licentiatus Ioannes à Churraca Cantor Almeriæ anno 1520.

D. Arnaldus Alberti Canonicus Mayoricensis anno 1527. qui ad Episcopatum Patiriensem, & post ad Mayoricensem ascendit.

Frater Antonius de Calcena in Regnis Aragonum pro Franciscanis Visitator Generalis, dein Valentinus Inquisitor creatus anno 1534. & postea Episcopus Dertusanus.

Cum præcedenti simul, & eodem anno Magister Antonius Ramirus de Haro Abbas, de Arbas ob negotia Maurorum ad Fidem cōuersorum pro muneris Inquisitionis exercendo ad Ciuitatem Valentiæ missus.

Licentiatus Sanctius Peretius ab Spelunca Canonicns Pacis Augustæ eodem anno 1534.

Licentiatus Gundisaluus à Munebrega anno 1535. deinde Archiepiscopus Taraconensis.

Doctor Blasius Ortitius Canonicus Tholetanus anno 1540. post Referendarius Adriani Papæ IV.

Antonius Ramirius ab Haro eodem anno 1540. qui postquam diu Valentiæ munere Inquisitoris functus est, maximè contra nouiter conuersos Mauros, ad Episcopatum Calaguritanum, postea ad Segobiensem euectus pro meritis.

Doctor Azebeus Canonicus Burgensis eodem anno 1540.

D. Ferdinandus Loasez Inquisitor Valentinus anno 1541. dein Episcopus Illardensis, inde Dertusensis, post Archiepiscopus Taraconensis, tandem Archiepiscopus Valentinus, & Patriarcha Antiochenus.

D. Franciscus à Nauarra Canonicus Regularis electus Episcopus Mirobreguensis Inquisitor Valentinus maximè contra Mauros conuersos constituitur anno 1541. & post Archiepiscopus eiusdē Ciuitatis Valētię meritò creatur.

Doctor Alphonsus Peretius Institutus Valentiæ Inquisitor anno 1544.

Doctor Martinus Peretius ab Ortega eodem anno 1544.

Licentiatus Gregorius à Miranda anno 1548.

Doctor Ramiretius ex Tribunali Inquisitionis Lerenensi ad Valentinum ascēdit an. 1562.

Doctor Alphonsus à Sotomayor Gallegus anno 1562. qui ad Episcopatũ Granatensem iam electus è vita discessit Valentiæ anno 1564.

Licentiatus Bernardinus ab Aguilera Canonicus Coriēsis Inquisitor institutus anno 1564.

D. Hieronymus Manrique ex Murciano Tribunali S. Inquisitionis ad Valentinum promouetur anno 1566. qui postea primus Inquisitor Triremium creatus, ac tandem ad Episcopatum Abulensem erectus.

D. Licentiatus Ioannes à Rojas pro excellēti sua doctrina merito Inquisitor Valentinus anno 1567. & inde in Regno Siciliæ Episcopus Agrigentinus præficitur.

Licentiatus Andreas Sancius à Tribunalibus Inquisitionis Mayoricensi, & Cordubensi ad Valentinum adducitur anno 1568. & post alias dignitates ad Archiepiscopatum Cæsaraugustanum peruenit.

D. Sotus Calderon prius Murciæ, deinde Valentiæ Inquisitor anno 1569. & ibi obijt iam Canonicus, & Archidiaconus Pacis Augustæ.

Licen-

Licentiatus Martinus à Sauaterra primo Lerenæ post Valentiæ Inquisitor, anno 1575. tandem Episcopus Segobiensis.

Licentiatus Didacus ab Ahedo anno 1572. inde Episcopus Agrigentinus, post Archiepiscopus Panhormitanus.

Licentiatus Petrus à Zarate prius Inquisitor Murciensis, post Valentinus anno 1573.

Licentiatus D. Ioannes à Stunica prius Inquisitor Valentinus anno 1574. deinde Toletanus, ac tandem electus Episcopus Insularum Fortunatarum.

Licentiatus Ferdinandus Cortes Inquisitor Valentiæ anno 1579.

Licentiatus Alphonsus Ximenes à Reynoso anno 1580.

Licentiatus Ioannes Llano de Valdes Inquisitor Valentinus anno 1581 prius; postea Cæsaraugustanus, deinde Hispalensis.

Doctor Franciscus ab Arganda à Conchensi Inquisitione Fidei ad Valentinam promouetur anno 1582.

D. Petrus Guttierez à Flores Ordinis Alcantaræ, Inquisitor Valentinus anno 1584.

Licentiatus D. Petrus Giron ab Inquisitione Fidei Lerenensi meritò ad Valētinam ascendit.

D. Philippus à Tassis prius Barchinone, postea Valentiæ Inquisitor merito constitutus.

Tandem Licentiatus Guordazar Valentiæ munus Inquisitoris diligenter exercet & inde ad Inquisitionem Pinceanam adducitur. Atq. hactenùs de serie Inquisitorum Tribunalis Valentini, iam denuò ad Aragonense Tribunal conuertamus.

7 De duobus Inquisitoribus electis pro Regno Aragonensi, maximè de altero eorum tractat ex professo idem Morillus citatus cum Hieronymo Zurita vbi supra, & copiosius Ludouicus Paramus loco citato cap. 8. Hi fuerunt Frater Gaspar Inglar ex familia S. Dominici Magister Theologus, & Petrus Arbues Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Cæsaraugustanæ, & eodem gradu Magisterij in Theologia sacra insignitus. Creatio illorum in Inquisitores Apostolicos iuxta Diploma Sixti IV. facta est per Inquisitorem Generalem, qui ad formandam institutionem eis tradendam, & obseruandam in regimine Tribunalis S. Officij, in modo procedendi, & tractandi causas Fidei adhibuit, in consultationem varios simul viros graues admodum doctos, præcipuè Vicecancellarium Regni, D. Alphonsum vulgo della Caualleria, & D. Alphonsum Carrillum hominem valdè insignem, &c. & ex resolutis in hac congregatione, atque in alia eodem anno die 29. Nouembris Hispalis habita, satis benè instructi hi duo Inquisitores, sicut & alij Cæsaraugustana profecti, cum litteris ad Magistratus, & ad præcipuos eius Officiales: quibus iniunctum à Rege, & ab Inquisitore Generali de emittendo iuramento Canonico præbendi fauorem, & auxilium, Inquisitoribus in rebus, & causis Fidei, maximè quoties ab ipsis Inquisitoribus fuisset requisitum. Quod iuramentum adeo solemniter 19. Septembris in Ecclesia Metropolitana fuit emissum, vt nihil solemnius excogitari posse videatur, Iurauit primo loco dignitas prima, quæ quasi æquiparatur Proregi, nempe Iustitia de Aragon, vt dicitur, & eius Locumtenens; Calmedina, dein, & vnus ex deputatis Regni. Iurarunt item Consules Ciuitatis; Regens Cancellariæ Regiæ Magister rationalis, & Merinus Ciuitatis, &c. Post hoc solemne Iuramentum, publicatum fuit edictum ab Inquisitoribus cum obligatione reuelandi, seu denunciandi, sub pœna excommunicationis &c. Tunc ipse Rex Catholicus, seu nomine eius Prorex, aut tunc ibi ipsius Locumtenens, non solum suum fauorem, & auxilium Inquisitoribus liberalissimè obtulit, sub suaque protectione, tàm ipsos, quàm vniuersum Tribunal, nempè ministros eius, familiares, & cæteros suscepit, sed etiam de præstando fauorem, & auxilium, ac de assistendo perpetuo eisdem Inquisitoribus, cum exhibitione talis protectionis, & Regenti officij Generalis Gubernationis, & Iustitiæ, quæ se tenet ex parte Regni, seu vulgò de Aragon, & reliquis officialibus strictissimè mandauit.

8 Hæc omnia perpendentes recenter conuersi ex Iudaismo, aut ex Mahometismo, & in Fide Catholica nequaquam adhuc stabiles, his tantum principijs iam valdè perterriti, cogitantes hac via contra se arma, ligna, & ignem parari, vti re vera probabantur; adeò vehementer in nouos Inquisitores, & in Ministros eorum excrudescunt, tantoque in eos odio afficiuntur, vt diuersimodè ipsos prosequi, atque de medio tollere inter se omnino decernant: præcipuè sanctum Canonicum Petrum Arbues, & Martinũ à Raga Assessorem S. Officij; vt notauit Zurita adductus, eo quod in exercendo vigilanter, & exactè sub munere Inquisitoris Fidei, & Assessoris, maximopere excellerent. Verùm priusquam ad gloriosissimum illius martyrium calamum extendam; vnum verbum de qualitate, & origine, & de educatione tanti viri præmittere liceat; neque quis mihi vitio tribuat, quod sic extra chorum saltare, & à proposito recedendo diuersicula quærere videar; cum propositum nobis sit originem, & progressum maiorem in Regno Aragonico Officij S. Inquisitionis inuestigare; & hinc fiat, vt magis radicitus primæua eius origo inuestigetur, & clarius appareat iam ab vtero Matris, peculiari Dei prouidentia præparari eum virum in Inquisitorem Fidei, qui campum Ecclesiæ Aragonensis proprio sanguine abundè admodum irrigaret, & inde ex eo Officium S. Inquisitionis maiores, & altiores radices emitteret; vnde communis hostis inferni ministerio dictorum hominum peruersorum eas penitus euellere intendebat: sed id frustra, vt ex dicendis apparebit.

9 Ad euitandam autem æquiuocationem nominis, atque vt de identitate Personæ non maneat dubium: hoc primo loco notandum; cum oriundus esset ab insigni Oppido, seu Villa nomine Epila, sub ditione Comitum Arandæ constituta, & postea vt dixi, gradu Magistri in sacra Theologia insignitus, hinc factum, vt etiam apud multos nomine proprio Petri in Baptismo ei indito, & cognomine, Arbues à Parente, & Proauo recepto obliuioni traditis, aut nunquam auditis

auditis, communiter ab omnibus Mastre Epila per abbreuiationem appellaretur, neque in præsens vix vlla appellatione alia agnoscitur, nisi hac: sanctus Mastre Epila, beatus Mastre Epila: ab honestioribus illius populi Epilæ, nullaque labe infectis Parentibus natus; istorum peculiari cura, & vigilantia in timore Dei, & quouis virtutum genere spretis vitijs oppositis, iam à pueritia educatur; dein studijs traditur litterarum Theologiæ sacræ in primis; in quibus adeò excellentes progressus fecit, vt nullus ex coëtaneis reperiretur, qui ei cõparari posset: sicque factus dignus qui in Religionem Canonicorum Regularium, quorum obseruantia maxima tunc erat, ex omnium suffragio admitteretur. Anno 1476. die 9. Februarij qui que post nouem annos multo maiori virtutum, ac litterarum incremento in statu Canonici Regularis acquisito, ad Inquisitorem totius Regni modo dicto eueheretur.

10 Vt necem facilius inferant huic sancto Viro conuersi nuper ad Fidem, iam secreto reiudaizantes, vel in apostasiam lapsi; & vt nex post ei illata, potius grata vniuersaliter populo, quam iniucunda, & abhorribilis existeret, odium quã maximum contra Inquisitores, & contra Tribunal S. Officij in animis Ciuium diuersimodè excitare conantur. sic gratantes in aures particularium occultè susurrant, quod publicè non audent, videlicet huiusmodi Tribunal, modumque eius procedendi esse valdè perniciosum toti Regno, quod confiscatione bonorum adeò rigorosè puniat, vt filij cuiusque inquisiti nudi perpetuò maneant; quod sine nominatione testium quorumcumque procedat, & hinc contra quemuis innocentem falsa delicta denunciari, & probari possint: quod priuilegijs Aragonensium (fueros ipsi vocant) nihil curet. Postea in ipsorum fauorem nonnulli ex nobilioribus Ciuitatis litteras exemptionis à Iustitia de Aragon dicto, obtinere tẽtant, ne sint subiecti dicti nouiter conuersi huic sancto Tribunali: quin etiam maxima pecuniæ summa oblata, id effici illi curant, vt Legati ad Regem Catholicum mittantur, qui cum eo tractent de ablatione talis Tribunalis, priuilegijs Regni omninò contrarii. sed nihil, quod Deo sit gratia, effectũ, nihil persuasum, nihil prorsus obtentum. Hinc in vltimã rabiem, & furorẽ versi, de efficaciori remedio, etsi atrociori sæpius inter se consultantes tandẽ cõcludũt cum illo Sapientię 2. *Occidamus iustũ* (nempè Inquisitorẽ Mastre Epilã Fratrem Gasparum Iglar, aut Martinum à Raga) *quia inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, &c.* Vnde statim sine vlla mora curam exequendi adeò atrox, & horrendum facinus facinorosissimo homini Ioanni de la Abbadia dicto committunt. Qui vt negotium hoc tanti momenti, tantæq. apud eos expectationis infallibilem citius sortiretur effectum, quinque alios eiusdem farinæ homicidiarios sibi associat, seu eis omnibus simul, vel singulis separatim curã sibi commissam, vtrumque scilicet Inquisitorem, & Assessorem S. Officii occidendi, quoad potest subdelegat, & commendat.

11 En Inditia Dei abyssus multa, qui consilia impiorum, quandoque vt vult, dissipat, quandoque verò nequaquam, sed executioni mandari, saltem ex parte permittit; vti permisit in casu præsenti circa occisionem tanti viri; sed proh sceleratissimorum hominum audaciam, & ferocitatem; cum iam noctu iacentem in lectulo, & somno deditum Mastre Epilam intra Monasterium occidere tentassent, & ab aliis Religiosis adhuc vigilantibus tacitè impediti fuissent: sequenti nocte circa horam 12. seu circa medium cursum eius in ipso Templo Metropolitanæ Ecclesiæ Monasterio adiunctæ, sub suggesto, vbi Epistola decantari solebat, genibus flexis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum adorantem, & se sic disponentem ad decantationem matutini iam inchoati, dùm decantaretur versiculus ille, *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi semper hi errant corde, &c.* tanquam ouem mansuetissimam lupi illi rapacissimi aggrediuntur, & tribus vulneribus letalibus in ceruice, & in medio corporis transmisso ense iacentem iam mortuum putant à vulnerando amplius, quamuis cuperent, desistunt, & aufugiunt. Dùm vulneratur hæc vox semper in eius ore: *Laus IESV Christo Domino, quod pro Fide sancta morior*, & hæc eadem itera ab eo sæpius per biduum, dum post vulnera accepta vixit, nempè à die Iouis vsque ad Sabbatum 17. Septembris 1485. vt tradit idem Morillus, quamuis Zurita 4. parte lib. 20. cap. 65. asserat percussum die Iouis, die autem Veneris mortuum, & Sabbato sepultum: vtrumuis sit, sanctissima illa anima ad superos euolauit, ad fruẽdum pro meritis eximijs Beatitudine sempiterna, ad capiendã gloriosissimi martyrij Laureolam: sed ne hic incompræhensibili, & infinito præmio recepto nimis scrutantes opprimamur à gloria.

12 Vertamus oculos ad corpus eius etiam admodum gloriosum; mortuum ne dicam? an potius viuum? quodammodo viuum dixerim, saltem quoad sanguinem ab eo effusum in terram, qui post duos dies à tempore effusionis, dum illud in loco valdè honorifico pro sepultura reponeretur, ita in rubeum colorem renouari, atque ebullire visus est; vt è viuo adhuc corpore quasi diffluere tunc appareret, obstupescentibus cunctis, vel præsentibus, vel audientibus ob prodigij magnitudinem: vnde meritò ad testificationem eius in perpetuum, instrumentum manu Notarij publici confectũm. Sed en multo maior prodigiorum accessio, de qua similiter confectio instrumenti per publicum Tabellionem statim secuta; primò quòd transactis iam duedecim diebus à vulneratione sancti Viri, eadem renouatio, & ebullitio sanguinis in loco vulnerationis euenerit, in tanta quantitate, vt non solum papyro, sed linteaminibus etiam appositis valde madefactis, clamare coram Domino sicut iusti Abel, postulando vindictam videretur; (hinc homicidiarij, qui aufugerant diligenter quæsiti; ac tandem capti, probationeq. delicti atrocissimi præcedente, vltimo supplicio affecti) Item quod Tintinnabulum prodigiosum Oppidi Vililla Regni Aragonici non tantum in

Hispa-

Hispania; verùm apud exteras etiam nationes valdè notum, quod quandoque occurrentibus certis casibus extraordinarijs, absq vllius cooperatione per se ipsum sonare consuescat, in præsenti spatio anni integri continuò insonuerit, vt refert idem Morillus vbi supra.

13 Miraculis non paucis venerabilis MastreEpilæ sepulchrum Deus Opt.Max. gloriosum valdè & honorificum reddere non tardauit: Hinc factum, & sequenti anno 1486. die 28. Septembris festum exequiarum admodum solemne maximis lætitiæ signis, quasi iam esset ab Ecclesia declaratur Martyr per canonizationem celebratur. Item transactis quatuor annis, Consulibus Petro Torellias, Laurentio Molon, & Alberto de Oriola, decreto, seu quasi voto publico, & communi stabilitum fuit, teste Zurita ibidem, vt ad sepulchrum perpetuo accensæ appenderentur; sicuti semper appensæ manent ad sepulchrum, seu sanctuarium innumerabilium Martyrum.

Dein post aliquot annos Inuictissimus Imperator Carolus V. enixè postulauit à Summo Pōtifice Paulo III. vt de mandato ipsius examinarētur miracula per venerab. MastreEpilam operata: Quo in numero Sanctorum Martyrum quamprimum reponi possit. Exemplo sui Aui, & precibus Ciuitatis Cæsaraugustanæ, totiusq. Regni Aragoniæ inductus pijssimus Philippus Tertius idem enixius à Papa Paulo V. efflagitauit, & obtinuit; Vnde iussu ipsius Pontificis remissoriæ Apostolicæ statim expeditæ, ac missæ ad tres Episcopos, nempe Turiasonensem, Oscēsem, & Terelensem, lectæ tandem publicè Cæsaraugustæ, & vbi de iure requiritur, ad conficiendum, vti solet primum canonizationis processum. Facit Deus quamprimum canonizatum ab omnibus Tribunalibus S. Inquisitionis vti Aduocatum, & Patronum simul cum Sancto Petro Martyre Dominicano, suscipi, & coli videamus. Pro coronide huius Prolegomeni liceat mihi apponere hic Encomium poeticum Venerabilis MastreEpilæ lingua Hispana, incerti auctoris, credere tamen Fr. Didaci Morilli, qui illud adducit, & suum esse dissimulat.

AL SANTO INQVISIDOR MASTRE EPILA.

SONETO.

INuicto Inquisidor, de cuyio zelo
Da testimonio fiel la sangre santa,
Que deramaron con infamia tanta
Cinco enemigos de la tierra, y Cielo.
La Inquisicion, que para bien del suelo
Entonces comencò qual tierna planta
Nòhay qui espantar, si al Cielo se leuanta
Regada con tal sangre en tan buen suelo.
Suelo sagrado quiso Dios que fuesse,
El que en si recogio el licor precioso.
De vuestra sangre con crueldad vertida
Monstrando en esto el, Cielo estar zeloso,
de que en profano suelo no cayesse
Prenda tan digna de la eterna vida.
Y para descubrir quan encendida
De la llama de amor Diuino, ardiente
sale, siendo por Christo derramada:
Aun estando del Cuerpo separada.
Hierue en la tierra como quien se siente
De ver que han infuriado
Del Santo Oficio el Tribunal sagrado
Por esto clama, hiruiendo de tal suerte
Y no, por la venganza de su muerte.

Ecce Venerabilis MastreEpilæ, seu Petri Arbues, (ne eius proprium nomen, & cognomen in sepulchro obliuionis perpetuo maneat) Encomium metro Hispanico egregiè expressum: cui quæcumq licèt encomia, vel laudes adiunxeris, pro meritis eximiarum virtutum sanctissimi Viri, & pro excellentia prærogatiuę singularis martyrij propter defensionem Fidei, & hęresum extirpationem recepti, nunquam satis laudatum putes. Cæterum vera laus, & celebratio Sanctorum ab Incolis huius mundi eis exhibenda, est sincera, & perpetua imitatio ipsorum, teste Diuo Augustino serm. 47. de Sāctis. *Ab eis, inquit, Sanctorum Martyrum in veritate festiua gaudia celebrentur, qui ipsorum Martyrum exempla sequuntur; vt imitari non pigeat, quod celebrare, seu laudare delectat.* Inducamur igitur quicumq. ea scientes ad exempla Venerabilis MastreEpilæ virtutum imitanda; præcipuè tamen DD. Inquisitores, & Ministri quilibet, seù Offitiales Tribunalium S. Inquisitionis ad munus nostrum, quodcumq. sit legitimè, & exactè exercendum, etiam cum profusione sanguinis, & vitæ, si ita opus fuerit tali exemplo maximoperè excitemur.

PROLEGOMEN. VI.

De origine Officij Sanctæ Inquisitionis in Regnis Lusitaniæ, atque in India Orientali, ac de maiori progressu eius, contra apostaticam, seu hæreticam prauitatem.

1 ADVENTVM S. Apostoli Iacobi Maioris in Hispaniam (de quo apud quoscumq. rectè sentientes, sed præcipuè apud nos Hispanos nullus equidem manet dubitandi locus, nisi quis velit id quod apud innumeros fere auctores citatos ab Augustino Barbosa de officio, & potestate Episcopi tit. 3. cap. 8. ipsa meridiana luce clarius est, negare) à Deo Opt. Max. fuisse intentum, & directum, vt tempestiuè, vel de initio nascentis Ecclesiæ Christianæ, semen Fidei Diuinæ, atque salutaris doctrinæ Euangelicæ in Campo illo fertilissimo Regnorū Lusitaniæ spargeretur, vti re vera sparsum fuit immediatè per ipsummet Apostolum, sicuti cōmuniter creditur ex traditis per eundem Barbosam ibidem, vel saltem mediatè nempè per eius

eius discipulum nomine Petrum, ibi ad Fidem conuersum, & electum,& consecratum Episcopum ab eodem Diuo Iacobo Ciuitatis,& Diœcesis Bracarensis, quis est qui id in controuersiam vertat?

2 Atque hinc hæc Ecclesia non sine firmo, vt ipsa sentit fundamento Primatum Hispaniarum attenta temporis prioritate sibi assumit; tametsi ei Taraconensis, & Toletana maximoperè opponentur. inter quas etiam circa idem non exigualis iam quidem excitata, quæ adhuc sub Iudice manet. Prædictum autem Fidei semen receptum,& fotum in visacribus terræ, idest in cordibus antiquorum incolarum illius Regionis adeo magnas, & profundas misit radices, vt ipsorum posteri, quæ est Lusitanorum ad verũ, & bonum quodcumque amplectendum innata propensio, ingentes hinc pietatis Diuini cultus, & quarumcumq. virtutum prçipuè Theologarum fructus quouis tempore perceperint. neq. equidem credo pro retinenda Fide Catholica semel recepta, ab erroribus, seu hæresibus intacta, & munda seruanda remedio, seu medicamine Tribunalis Sanctæ Inquisitionis vnquam indiguissent, nisi cum exteris nationibus; maxime cum Africanis, & Septentrionalibus, iam errorum multitudine infectis communicassent; nisi item Iudæis, ex Regnis Castellæ, & aliundè expulsis facilem aditum, & remansionem apud se diuturnam præbuissent. Post hanc tamen remansionem, post hunc aditum, & illam communicationem propter conuersos, præcipuè ex eis ad Christianismum apostatantes, & peruersè reiudaizantes, peropportunum valdè, & omninò necessarium, tanquam propugnaculum aduersus hæreticam, & apostaticam prauitatem firmissimum ac munitissimum dictum Tribunal Sanctæ Inquisitionis Regnis Lusitaniæ semper fuit iudicatum, cum illo rigore, & forma strictiori, quibus in reliquis Hispaniæ Regnis iam fuerat institutum, vt paulò ante diximus.

3 Cæterum qualiter in Lusitaniam hoc Tribunal S. Officij cum dicto rigore introductum? quænam huius introductionis origo? hoc admodum controuersum inter auctores video, & in hac controuersia aliquantulum discutienda nobis non nihil immorandum; priusquam ad progressum ibi huius sacri Tribunalis gradum faciamus. A labore indagandi primam originẽ Officij S. Inquisitionis per delegationem tantũ Apostolicam, & exprimendi progressum ipsius maximum in Regnis Lusitaniæ, & in Indijs Orientalibus videbatur prima fronte nos omninò liberare posse Admodum Reuerendus Pater Fr. Antonius de Sousa Vlisipponensis Ordinis Illustrissimi Prædicatorũ, sacræ Theologiæ Magister, Regis, & supremi S. Inquisitionis Consiliarius: quandoquidem in suo de Aphorismis Inquisitorum eruditissimo opere recenter edito anno scilicet 1633. initio eius antequam ipsos tradere incipiat, de hac materia ex professo tractat, & refutatis prorsus aliorũ grauium Scriptorum falsis dictis,& sententijs, vt ipse iudicat, veram historiam se proponere testatur;

4 Cæterum, vt verum fatear, laborem & anxietatem circa originem dictam Sanctæ Inquisitionis in illis Regnis nobis potius adiungit, quàm ab istis nos liberat: cum ipsemet statim in frontispicio suæ tractationis ingenuè fateatur, quòd vix speret veritatem huius rei suadere hominibus posse; sumpta etiam equidem non exigua luce ex Archiuijs Regijs, seù ex Bibliothecis, vulgò Torreido Tombo nuncupatis, atq. etiam ex supremæ Sanctæ Inquisitionis Tribunalis, & particularium Inquisitorum scrinijs, supposito, quod error, & modus narrandi hanc historiam multò alitèr, quam se habet, iudicio ipsius Sousę, non solum in reliquis partibus Hispaniæ, sed apud exteras etiam nationes, maximas egerit

5 radices. † Quòd si tantus vir, tamq. exactæ eruditionis, & diligentiæ in veritate huiusce rei inuestiganda, in diffidentiam maximoperè ducitur suadendi id, quod verum se ostendisse affirmat; quid ni ego tantillus omnino circa idem diffidam, cum non aliud lumen in hac via ad securè ambulandum mihi porrigatur, quam quod ipsemet Sousa præfert. Quare opportunius duxi, vt ab omni anxietate liberer, hinc, inde quæ ab vtraque parte scriptorum adducuntur fidelitèr proferre, & iudicium circa verum quodnam sit; Lectori beneuolo, & accurato relinquere.

6 Ludouicus Paramus lib.2. de origine Sanctæ Inquisitionis tit.2. cap.12. Illiescas in Pontific. tom.2.lib.6.cap.4. Petrus de Salazar,& Mendoça in Cronica Eminentissimi Cardinalis Domini Ioannis Taueyra, cap.37. Alphonsus Fernandez Placentinus in concertatione Prædicatoria anno 1541. num.2. & quotquot de hac materia scripserunt Classici Auctores, (vno excepto, quod legerim Fr. Antonio de Sousa, partis aduersæ defensore) quamuis circa modum,& circa aliquam aliam circumstantiam non tanti momenti aliqualis existat discrepantia inter dictos Scriptores, in substantia tamen rei prorsus conueniunt, & hoc vti certum, & indubitatum tradunt per quemdam N. Sahauedram (Mendoça vocat ipsum Ioannem Perez de Sahauedra; contradicit verò Paramus affirmans sic vocari Patrem eius, vel vnum ex fratribus, non tamen ipsum) Officium Sanctę Inquisitionis in Regnis Lusitaniæ fuisse Tribunal intraductum, qui falsis litteris, seu Bullis Apostolicis se ipsum Cardinalem Legatum instituerat, & à Summo Pontifice illuc missum simulabat, vt à se dictũ Tribunal Sanctæ Inquisitionis, eadem ibi forma institueretur, qua priùs in Regnis Castellæ,& in alijs Dominijs Regis Hispaniarum per Catholicos Reges ex concessione Sixti IV. per Bullas particulares fuerat institutum.

7 Addunt item Paramus, & Mendoça erectum iam Tribunal S. Officij per spatium sex mensiũ ab eodem Sahauedra ficto Fidei Inquisitore fuisse administratum, & magnis fructibus ex eo interim perceptis in bonum spirituale animarum illius nationis Lusitaniæ, inductum fuisse pijssimum eius Regem ad ipsum libenter acceptandum, & amplectendum id, quod prius acceptare, & amplecti renuebat; atque transactis illis sex mensibus relicto sufficienti successore, illuc discessisse, & in Castellæ Regno cognitum, ac carceratum, detecta iam simulatione, & falsifi-

falsificatione Bullarum Apostolicarum apud Lusitanos facta detecto etiam alio simili delicto falsificationis litterarum, quibus à Rege Catholico Philippo Secundo, Commendam Diui Iacobi obtinuerat, ad triremes fuisse condemnatum: item hæc omnia per confessionem propriam, & scripturam quemdam ipsiusmet Saauedræ constare affirmat idem Paramus, quem si lubet pro maiori intelligentia videas quæso, non displicebit.

8 Insurgens vero contra prædictos omnes Frater Magister Antonius de Sousa, prius quam ad refutandum ipsorum assertum descendat, quasi ab ouo ledeo incohans, narrat qualiter occasione expulsionis, atque discessionis Iudæorum iussu Regum Catholicorum à proprijs Regnis Hispaniæ, intra certum tempus assignatum exequendæ sub pœna amittendo libertatem, innumeri penè eorum in vicinam Lusitaniæ Regionem se receperint, annuente Ioanne Secundo Rege ex pietate quadam, & compassione per aliquod etiam tempus destinatum, sub eadem pœna seruitutis ni discederent ipso transacto. Verum multi eorum non curantes de dicta pœna, maluerunt venundari in seruos, vti passim non pauci venundebantur, quàm è Regno Lusitaniæ discedere, ita delitiæ Regionis illius ipsis cordi erant.

9 Regi autem Ioanni Secundo, successit Rex Emanuel, magnus ille Indiæ Orientalis triumphator; hic similiter discessum à suis Lusitaniæ Regnis anno Domini Millesimo quadrigentesimo nonagesimo septimo, Iudæis iniunxit sub eadem pœna amittendæ libertatis post terminum temporis determinatum. Quo tamen transacto ob clementiam ipsius Regis non fuit pœna executioni mandata in illis.

10 Immo ex ipsis quamplures tum pro effugienda dicta pœna, tum quod benignitatis climatis, & abundantia Regionis illius allicerentur, fictè petierunt admitti ad gremium Ecclesiæ Catholicæ per Sacramentum Baptismi, dummodo viginti annorum spatio contra ipsos circa res Fidei inquiri non possit: atque sub hac conditione, & baptizati fuere.

11 Rex Emanuel successorem habuit in sua Monarchia Lusitania, anno Christi Domini Millesimo quingentesimo vigesimo primo, Regem Ioannem Tertium, qui aduertens, quod Iudaismum in suis Regnis inter recenter baptizatos ex dictis Iudæis nimis grassaretur, & hinc inter Christianos etiam veteres negocium Fidei Catholicæ in peius rueret, à Clemente Septimo tunc Ecclesiam Matrem nostram gubernante, Tribunal Officij Sanctæ Inquisitionis in suis Regnis erigi obnixè postulauit: Et quamuis Summus Pontifex postulatis non illicò annuerit, immo potius diu, & sæpè eis restiterit (haud equidem deerant, qui partes Iudæorum apud Summum Pontificem, & apud Regem Lusitannm defenderent; quod forte ipsis defensoribus tale Tribunal esset valde iniucundum, & omnino inuisum) eius erectionem ægrè tandem concessit anno Domini 1531 in forma tamen iuris, & non illa strictiori apud alias Regiones Hispaniarum recepta, & libenter executioni mandata.

12 Cæterum quamuis hæc concessio suum effectum sortita fuerit; duos tamen post annos omnis facultas Inquisitoribus Fidei suspensa procedendi contra prædictos Iudæos baptizatos; atque ipsis de quibuscumque debitis contra Fidem Catholicam commissis generalis Indulgentia elargita fuit ab eodem Clemente Papa Septimo. Quo mortuo eius successor Paulus Papa Tertius ob importunas preces, & assiduam negociationem defendentium Iudæos conuersos, vt diximus, vtramque simul, & suspensionem, & indulgentiam executioni mandauit, anno Christi Domini Millesimo quingentesimo trigesimo quinto, ea sine dubio intentione, vt experientes Iudæi conuersi ad nostram Fidem, & pariter non conuersi summam Sedis Apostolicæ, & Romanorum Pontificum benignitatem, libentius ex corde Religionem Christianam amplecterentur. Qui effectus minimè inde secutus; sed potius ei contrarius, nempè laxiorem vitam in Iudaicis ritibus ducendi, & vt Iudaismus magis in dies per illam Regionem serperet.

13 Quare offensus malitia eorum præfatus Summus Pontifex alia Bulla priuilegia illis concessa omnino reuocauit. Dominus verò Rex Ioannes Tertius nequaquam hoc contentus, zelo Fidei Diuinæ, quam maximè adductus, institit diu apud eundem Papam Paulum Tertium, quantum potuit, & maiori sollicitudine adhibita Tribunal Officij Sanctæ Inquisitionis strictiori forma pro suis Regnis efflagitauit. Concessit tandem libenter Summus Pontifex alia Constitutione Apostolica, anno Christi Domini 1536. & ex eo tempore per centum, & octo iam annos strictius, quam quouis alio in loco, cum suo Inquisitore Generali, à quo Pontificia auctoritate alij Inquisitores Prouinciales creantur, hoc sacrum Tribunal in Regnis Lusitaniæ, ac etiam in India Orientali hucusque viguit, & Deo adiuuante semper in eisdem locis vigebit.

14 Præposita numeris præcedentibus traduntur ab Admodum Reuerendo Patre Antonio de Sousa, & quidem videntur vniformiter, & verisimiliter dicta circa fundationem Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, in illis Lusitaniæ Regionibus, modo, & via, quibus ipse exprimit; maximè cum citauerit duas Bullas Pontificias ad zelantissimum Regem Dominum Ioannem Tertium de prædicta fundatione Tribunalis Sanctæ Inquisitionis taliter exequenda disponentes: & adiungat alias duas eiusdem Summi Pontificis Pauli Tertij postea concessas, & missas ad Dominum Henricum fratrem ipsius Regis, Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & secundum Generalem Inquisitorem in supremo Tribunali Sancti Officij Lusitaniæ, pro maiori progressu, & fructu aliorum quorumcumque officium Tribunalium Sanctæ In-

rquisitionis ibi fundatorum, dictaumque Constitutionum exemplaria in Regijs Archiuijs & in Sanctæ Inquisitionis scrinijs asseruari affirmet: atque hoc lumen non sane exiguum in materia adeo graui, & dubia dictus Antonius de Sousa nobis præfert; hocq. sub quemuis prudentem lectorem contentum esse debere ipse iudicat.

15 Si quis autem Patri Magistro Sousæ obijciat, quod debuisset, ad præbendum lectori maius lumen, & ad tollendam prorsus difficultatem omnem, asserere se dictas Bullas vidisse, & legisse; quin etiam ipsarum exemplaria ex asseruatis in præfatis Archiuijs, & scrinijs extracta, & apud Curiam Regis Philippi Quarti, aut aliam extraneam (vt sublata appareret quæuis suspicio fraudis, seu doli) authenticè legalizata in hoc suo opere de aphorismis Inquisitorum à Typographo vt execuderentur, diligenter curare.

16 Sic obijciens, gratis quidem conatur fidem derogare Patri Antonio de Sousa affirmanti asseruari duorum Romanorum Pontificum Constitutiones de fundatione Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Lusitaniæ in Archiuijs Regijs, & scrinijs Sancti Officij. Vnde enim ipsi obijcienti contrarium constat, nisi quod ab Antonio Sousa non sint conspectæ, & lucidonatæ? ac hoc argumentum negatiuum est nihil sane euincens; cum dictum mille negantium, vt est in communi proloquio Iurisperitorum contra vnum solum affirmantis nequaquam præualeat, ergo proposita obiectio hinc prorsus reijcitur.

17 Rursus si idem incredulus obiiciat, nullibi prædictas Constitutiones ab Antonio de Sousa citatas reperiri, nisi vbi ipse affirmat; nam adhibita non exigua diligentia in euoluendis Bullariis, nulla mentio de illis reperitur apud vllum ex auctoribus, qui in colligendis, & tradendis simul Summorum Pontificum Constitutionibus suam operam impenderunt. Nulla apud Franciscum Peñam, qui in fine Directorij Inquisitorum quascumque inuenire potuit, ad Sanctum Officium spectantes reponit præcipuè non paucas Clementis Septimi, & Pauli Tertij Summorum Pontificum.

18 Nulla apud Laertium Cherubinum exactissimum Collectorem inter alios recentiores Bullarum Apostolicarum quatuor voluminibus locupletissimis. Adducit tamen illam, incip. *Illius vices in terris &c.* qua ipse Paulus Tertius suspensionem, & indulgentiam, de quibus populo ante cum Sousa à nobis dictum, Iudæis nouiter conuersis concesserat: & ibi in margine meminit illius, quà Clemens Octauus Tribunal Sanctæ Inquisitionis pro Lusitaniæ Regnis in forma tantum iuris ordinaria, & mitiori fieri voluit; atque hoc insuper ab eodem Pontifice postea suspensum, vt diximus cum eodem Sousa: De Bullis verò quas hic citat pro fundatione Tribunalis cum rigore maximo, quo nunc existit, nullum prorsus verbum Laertius Cherubinus citatus, ergo &c.

19 Respondetur totam hanc obiectionem etiam spectare ad argumentum negatiuum, & consequenter nihil per eam de auctoritate, & fide Patris Magistri Antonij de Sousa derogari, cum neutiquam valeat argumentum, nec Cherubinus, nec vllus alius collector Apostolicarum Constitutionum illas ab Antonio Sousa citatas adducit, ergo non extant: & inde apparet non valere, nec quidquam concludere; quia si omnes à Summis Pontificibus, hucusque editas quis colligere conaretur, quod quasi impossibile communiter iudicatur, non quatuor solum vt Laertius Cherubinus, sed plusquam decem fortè volumina in lucem proferret.

20 Vnde cum illius auctoritas, & fides integra atque firma remaneant, resque tota hinc, inde, sit a nobis completè proposita campus, valde latus ad ferendum circa eam iudicium, lectori curioso relinquitur. Quod vt æquius, & iustius ferat, precor diligenter videat, & attento animo perpendat omnia per Antonium de Sousa adducta: maximè illud de computatione annorum ad ostendendam oppositæ sententiæ repugnantiam, & falsitatem: interim nos ad exprimendum progressum Tribunalis Sanctæ Inquisitionis in Regnis Lusitaniæ, & Indiæ Orientalis gradum faciamus.

21 Primus Inquisitor Generalis Sancti Officij (loquar semper in reliquis proponendis in hoc Prolegomeno secundum mentem, & certam doctrinam Patris Magistri Antonij de Sousa) fuit Pater Frater Didacus de Sylua, Illustrissimus Septæ Episcopus, eiusdem Domini Regis Ioannis Tertij Confessarius; qui ex vi supradictæ Bullæ Papæ Pauli Tertij, qua Inquisitor Fidei constitutus, ad Archiepiscopatum simul Bracarensem tunc etiam ascendit, & munus vtriusque Dignitatis per tres annos, & mensem cum dimidio, summa cum laude, & fructu animarum sibi subditarum exercuit. Postea verò tam ob ingrauescentem iam ætatem, tum propter negocia vrgentia suæ Ecclesiæ, Dignitati Inquisitoris Fidei sponte cessit, vt iuxta dispositionem citatæ Constitutionis ipsa ad libitum Regis, alteri personæ dignæ illius statim conferretur.

22 Dein opportuno tempore pro potestate sibi tradita in Diplomate Pontificio præfatus Dominus Didacus de Sylua Inquisitor Generalis post erectionem supremi Tribunalis, seu Concilii, vt ibi vocant, S. Inquisitionis, pro quibuscumque Regnis Regi Lusitaniæ subiectis, communis, & vniuersalis (de sociis, seu Consiliariis sibi adiunctis opportunius dicetur Prolegomeno 9. ad solum Tribunal Fidei Eborense sequenti anno, nempe 1537. manum iniecit: nam publicata Ebore Bulla, seu Edictum Sanctæ Inquisitionis propositum fuit, monitorio generalis gratiæ propalato, assignatis etiam Consiliariis, seu Deputatis, vt ibi vocantur; Notario item, & Promotore fiscali electis, primum eius Inquisitorem pro meritis instituit Dominum Ioannem de Mello, iuris canonici Doctore, & Consiliario supremi Tribu-

Tribunalis assumptum: qui primo ad Episcopatum Algarbiensem, postea verò ad Archie-
23 piscopatum Eborensem ascendit. Eius autem successores in officio Inquisitoris Fidei in dicto Tribunali Eborensi, à diuersis Inquisitoribus Generalibus creatos triginta quatuor enumerat, & exprimit sigillatim idem Pater Frat. Magister Antonius de Sousa vbi supra §.3. apud ipsum legat, cuicumque gratum existit illos, ipsarumque qualitates, & promotiones ad meliorem gradum agnoscere.

24 Vnum restat discutiendum circa primum Inquisitorem Generalem, prædictum Dominum Patrem Frat. Didacum de Sylua, nempè cuiusnam primo Religionis alumno fuerit? ex familia ne Minimorum Sancti Francisci de Paula? an verò Minorum S. Francisci Assisiensis? discutit optimè dubium hinc, inde idem Antonius de Sousa, decisionem apud ipsum videas, quam ego libens relinquo, quod ad rem præsentem nequaquam faciat, & ne tibi fastidium pariam.

25 Munus Inquisitoris Generalis secundo loco administrauit Sereniss. Lusitaniæ Infans Henricus frater ipsius Domini Regis, Cardinalis titulo Sanctorum Quatuor Coronatorum, & in Regno Lusitaniæ Legato à Latere, Bracarensisque Archiepiscopus; atque id munus ad petitionem, & electionem prædicti Regis suscepit, iuxta dispositionem Constitutionis citatæ Pa-
26 pe Pauli Tertij. † Qui post octo annos nempè 1548. alia Constitutione Apostolica ipsum Dominum Cardinalem Henricum in iniuncto sibi munere Generalis Inquisitoris confirmauit potestatemque procedendi in causis Fidei, & creandi alios Inquisitores Prouinciales de nouo abundè concessit. Verum ex concessione, & potestate primi Diplomatis Pontificij, zelo cōmotus, quoadmodum ardebat extirpandi Iudaismum, & quoscumq. errores quia iam prius, quam maximos in dicta administratione progressus fecerat; ipso primo eius anno nempè 1539. defraudando Vlisipone nouo Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis cogitauit, statimque feliciter executus est, & ei primum Inquisitorem Fidei præfecit eundem illum Dominum Ioannem de Mello, qui easdem vices in Eborensi Tribunali Sancti Officij gerebat, vt dictum
27 à nobis numero præcedenti. Nec defuit alius sufficienti doctrina præditus, qui hoc gubernaret, vt tantus vir, tàm diuturnæ experientiæ in causis Fidei Vlisiponensi præficeretur. Huic dein successit ex electione eiusdem Serenissimi Infantis prædicti Dominus Frater Magister Gregorius à Sancto Iacobo Ordinis Prædicatorum Parisiensis Doctor Theologus, postea Argensis Episcopus. Vtriusque successores in Tribunali Sanctæ Inquisitionis Vlisiponensi triginta sex enumerantur per dictum Antonium de Sousa à diuersis Generalibus Inquisitoribus creati, vide eum § 4.

28 Transactis duobus ferè annis 15. Octobris 1541. vertit se idem Serenissimus ad erigendum Tribunal Inquisitionis Conimbricæ, pro quo non vnum tantum, sed duos simul præstantissimos viros Inquisitores assignauit, nempè Dominum Fr. Bernardum de Cruce ex Ordine Prædicatorum Sancti Thomæ Episcopum, & Conimbricensis Vniuersitatis Rectorem, atque D. Gomezium Alphonsum, Iuris Canonici Baccalaureum, & Collegiatæ Ecclesiæ Vimarensis Priorem. His in officio Sanctæ Inquisitionis Emanuel de Quadros canonicè Licentiatus, & Ludouicus Aluares de Oliuera Pontificij iuris etiam Licentiatus, & alij successores 23. ab eo-
29 dem Fr. Antonio Sousa exprimuntur. † Vltimo loco idem Serenissimus Inquisitor Generalis Ciuitatem Goæ, caput Indiæ Orientalis, & loca ad ipsum spectantia Tribunali Sanctæ Inquisitionis tanquam propugnando firmissimo muniuit: inde inductus, quod per litteras ad Regem Ioannem III. 10. die Nouembris 1545. missas à Sancto Francisco Xauerio de nostra Societate Iesu, illarum Regionum, & præcipuè Iapponiæ meritissimo Apostolo, Fidem tunc ibi mirificè propugnante id increbuisset Iudaicam perfidiam in illis partibus magis, ac magis in dies serpere, & de nouo conuersis ad Fidem Catholicam non parum momenti adducere. Primus Inquisitor in hoc Tribunali Goensi fuit Alexius Dias Falcao, post hunc Franciscus Marquez Botello, & alij vsque ad quatordecim, quos videas, si lubet apud eumdem Sousam. Ecce quam sollicitus, & quanto zelo fidei accensus tantus vir, tot gradibus multo præeminentior cæteri, vno excepto Rege, munus suum Generalis Inquisitoris contra apostaticam, & hæreticam prauitatem exerceret, mirantibus omnibus, & maximoperè obstupescen-
30 tibus. † Verum adiungam tamen id, quod omnem admirationem, & stuporem superat, videlicet, quod cum hic Serenissimus Princeps in Lusitaniæ Regnorum administratione Sebastiano Regi, nepoti suo, anno Domini 1578. hæreditario iure successisset, non statim Generalis Inquisitoris munus deposuerit; sed adhuc per quindecim fere menses eo functus fuerit. Vnde vt Rex Regno præerat, vt Inquisitor Generalis officium Inquisitionis summa cum fidei vtilitate administrabat: illa enim Dignitas huic non exiguam auctoritatem tribuebat; ad quod ostendendum in præceptis, aut legibus pro bono Sanctæ Inquisitionis ferendis, ac vtebatur forma incipiens; *Ego Rex tanquam Inquisitor Generalis præcipio &c.* Itaque hic vnus erat simul Rex Sacerdos; (& quidem nō raro eo tempore celebrabat) Cardinalis Legatus à Latere, & Generalis Inquisitor, quod nulli forte alteri contigisse reperietur.

31 Post hunc tantum Inquisitorem Generalem promouentur ad hanc dignitatem nouem successiuè vnus alteri loco cēdens, omnes valde insignes, quos adducit idem Sousa, & visum est sub hoc numero breuiter exprimere.

Tertio loco fuit assignatus Illustrissimus D. Emanuel Menezius Conimbricensis Episcopus; cum prius Infantis Cardinalis Henrici Coadiutor fuisset, cum futura successione in hac dignitate Inquisitoris Generalis ex vi Diplomatis Gregorij XIII. die 24. Februarij anni 1578. sed obijt adhuc viuente dicto Infante prius quam hoc munus exercuisset.

32 Ascendit quarto loco ad officium Generalis Inquisitoris Illustrissimus D. Gregorius de Almeyda Vlisipponensis Archiepiscopus, Archiabbatiæ Abbas, Lusitaniæque Gubernator, secundum dispositionem similiter alterius Bullæ eiusdem Gregorij Decimitertij 27. Decembris anno 1579.

33 Quinto loco fuit Generalis Inquisitor per Constitutionem Sixti Papæ V. die 25. Ianuarij 1586. Serenissimus Cardinalis Albertus titulo S. Crucis in Hierusalem Legatus à Latere in Lusitania, Archidux Austriæ, Imperatoris Maximiliani filius, atque eodem tempore eiusdem Lusitaniæ Gubernator.

34 Huic successit sexto loco ex vi Bullę Clementis VIII. 12. Iulij 1596. Illustrissimus D. Antonius de Mahos de Noronha Episcopus Heluen.

35 Septimus supremi Tribunalis, seu Consilii S. Inquisitionis enumeratur Præses ex beneplacito eiusdem Clementis VIII. anno 1600. Februarii die 7. Illustrissimus Vicensis Episcopus D. Georgius de Attayde, Capellanus Maior Ordinarius Capellæ, & Domus Regiæ, totiusq. Curiæ Lusitaniæ, & Archiabatiæ Præfectus Commendatarius, Philippi Lusitaniæ Regis I. ex supremis Consiliariis non infimus in Regia Hispaniæ Curia, sed à præfato Rege negocijs magni momenti in Castella impeditus, possessionem muneris Inquisitoris Generalis, nunquam suscepit.

36 Declaratur octauo loco ab eodem Clemente anno 1602. 29. die Iulij Generalis Inquisitor D. Alexander Potentissimi Regis Emanuelis Pronepos, Archiepiscopus Eborensis.

37 Eodem munere noni Inquisitoris Generalis fungitur Illustrissimus Episcopus Leiriensis, prius Angrensis D. Petrus de Castillo Regiæ Capellæ Philippi II. Lusitaniæ Regis Capellanus maior, ordinarius Capellæ, Domus Regię, & totius Curiæ Lusitaniæ, ac bis eiusdem Regni Prorex iuxta eiusdem Clementis VIII. beneplacitum 24. Augusti anni 1604.

38 Huic decimo loco successit in officio Generalis Inquisitoris ex dispositione Papæ Pauli V. die 4 Iulij 1616. Illustrissimus D. Ferdinandus Martins Mascharenhas Albergensis Episcopus, supremi Consilij Status, vt vocant, Regis Philippi Lusitaniæ Tertij Consiliarius.

39 Tandem vndecimus Inquisitor Generalis nominatus est à Regia, Catholicaque Maiestate, & creatus à S. D. N. Vrbano Octauo Illustrissimus D. D. Franciscus de Castro Egeditanensis Episcopus, olim Conimbricensis Academiæ Rector, & Tribunalis Conscientiæ Præfectus.

40 Atque hæc de origine, & magno progressu Tribunalium S. Inquisitionis in Regnis Lusitaniæ, & Indie Orientalis à nobis dicta sint satis: qui plura de hac materia scire desiderat ad multoties citatum Adm. Reu. Patrem Antonium de Sousa recurrat.

PROLEGOMEN. VII.

De prima origine, & magno progressu Trib. S. Inquisitionis in Regno Sicilia, contra apostaticam, & hæreticam prauitatem.

1 QVEMADMODVM hoc nobis vicinum Trinacrię Regnum in naturalibus vberrimum, ac fertilissimum, quoad multiplicitatem temporalium terrę frugum, & cuiuslibet ferè generis annonæ abundantiam inter cętera totius Orbis, etiamsi illa noui Mundi in vtraq. India reperta adiungas, tantopere excellit, vt pauca ei, credo adæquari possint, adeòut horreum Populi Romani meritò antiquitùs diceretur, teste Marco Tullio contra Verrem; ita pariter hoc idem in moralibus, & ciuilibus, frugiferum valde, & abundantissimum quoad multitudinem mediorum, & diuersitatem Tribunalium, pro morum totius Populi correctione, pro conuenienti Reipublicę regimine, pro omnimoda Iustitiæ administratione, atq. pro directione animarum ad salutem æternam, inter alia Regna adeò mirabiliter præeminet, vt vix illi

2 cedere donetur. † Omitto nunc reliqua ad id conducētia, & hoc vnum tantum attingo; quod ad nostrum institutum viam disponit, reperiri scilicet in hoc Regno Siciliæ tria Tribunalia admodum singularia, primo Tribunal Monarchiæ, vt vocant, Tribunal item S. Cruciatæ, quod vtrumq. forum internum, & externum complectitur, pro casibus in vtroq. occurrentibus decidendis, ad multiplicia, & ingentia priuilegia se extendens. Tandem Tribunal Officij S. Inquisitionis cum eo rigore, & forma strictiori, quibus similia Tribunalia in Regnis Hispaniarum instituta administrantur: non est locus quidquam addendi circa primum, & secundum; de tertio verò peculiariter nobis agendum, originem, & progressum eius breuiter perquirendo.

3 Non inuestigamus hic in particulari originem, seu fundationem, atque progressum Tribunalis S. Inquisitionis pro Regno Siculo, sicut non inuestigauimus pro Regnis Coronæ Aragoniæ, neque pro Regnis Lusitanię per solam iurisdictionem ordinariam Episcoporum, quam à iure Diuino, & humano habent, ad effugiendam in his nostris Prolegomenis nimiam prolixitatem; contenti propositis in communi Proleg. 2 n. 3. & reseruantes id præstare Prolegomeno 10. pro istis Insulis Melitensibus circa Tribunal earum S. Inquisitionis, quādoquidem huc reliqua à nobis tradita, & tradenda proleg. om. dirigantur.

4 De fundatione itaq. & progressu per solam iurisdictionem delegatā futurus est nobis sermo: & quoad hac valdè antiqua etiam iudicatur prima origo Trib. S. Inquisitionis in Regno Sicilię fortè ab eodemmet tempore, quo officiū S. Inquisitionis per Apostolicam delegationē in Ecclesia Catholica exerceri cępit contra hæreticos Albigen. vt vidimus supra Proleg. 4 n. 2. nempè circa an. 1215. vt tradit Param. lib. 2. tit. 2. c. 11. n. 7. vel melius secundū R. P. Campeg. vt ibidē dictū, an. 1206. aut paulò ante, secundùm alios.

Vnde

5 Vnde initium talis antiquitatis Tribunalis Regni Siculi non est fundandum in eo, quod asserit Onuphrius Panuinus lib. de Creatione Cardinalium, nempe ab Vrbano VI. Summo Pontifice Anno Domini 1378. fuisse euectum ad dignitatē Cardinalitiam Nicolaum Misinum ex familia Dominicana, tunc Siciliæ Inquisitorem: neque ex prolatis in extrauagante, incipiente, *Cum Matthæus, &c.* inter communes, tit. de Hæreticis, edita à Ioanne XXII. circa annum 1318. contra quemdam Matthæum de Pontiano eiusdem Ordinis Prædicatorum, eodem tempore in Regno Siciliæ munus Inquisitoris Fidei exercentem, (quæ à nobis alibi attinguntur) sed omnino fundari debet in transumpto insigni illius priuilegij ab Imperatore Frederico anno 1224. dum esset Panormi Inquisitoribus Siculis concessi, cuius tenor, vt est in originali, sic se habet.

Transumptum Priuilegij ab Imperatore Federico Anno 1224. Inquisitoribus Siculis concessi.

FREDERICVS *Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, & Rex Siciliæ, Vniuersis, & singulis nostro Imperio, & ditioni subiectis gratiam nostram, & bonam voluntatem. Dignum arbitramur, & omni consonum æquitati, vt qui subditos habere meruimus in terris, ei subiecti simus, qui omni creaturæ præsidet eminentius; quia tanto celsius sublimabimur, quanto eius obsequijs humilius nos reddiderimus subsequentes, & ei nos sibi fatebimur digna obedientia famulari, quo eiusdem cultus, velut Fidei sacrosanctæ primarij zelatores, obsequia famulatus, & & assistentiæ dignis seruulis præstiterimus, vt tenemur. Cum igitur Fidei Ortodoxæ, negotia sint vndique omni penitus prosequenda fauore, pro eo quod ex eis salus peruenit vniuersorū, ac hominis vtriusque quibus nedum contemptis, verū etiam neglectis, parumper tendit ædificium quodlibet in gehennam. Propterea his vigilanti cura intendentes, propensius singulis vestrum, cuiuscumque fulseritis tituli claritate, siue officij potestate, nostro tamen Imperio, & ditioni submissis, maximè in Regno nostro Siciliæ citra Pharum nostris præsentibus in perpetuum, & futuris fidelibus prædilectis sub nostræ indignationis fulmine præsenti edicto districtius præcipiendo mādamus, quatenus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt suum libere officium prosequi, & exercere valeant; prout decet, omne quod potestis impendatis auxilium, consilium, & fauorem, quia tanto nobis præstabitis assistentias promptiores, quanto vbi, & quando tāti negotij vtilitas persuadet (nostris, & proprijs postergatis agendis) eorum fauoribus intendetis, qui Dei negotia satagunt exercere feruentius digna laude. Quia vero bona Schismaticorum Patarenorum, & à Fide Apostatantium hæreticorū statutis quibusdam Fisco communiter applicantur, Fiscus enim gaudet omnibus bonis prædictorum, nil de bonis ipsis Inquisitoribus prælibando, pro parte eorum merito laborem prosequentium, quod tanquam alienum à ratione ducimus cum vario se exponant discrimini, tam periculorum quam etiam laborum, & expensarum: propter quod digna mercede totum eisdem merito deberet ascribi, cum nemo teneatur proprijs stipendijs militare, & licet hoc opus Dei propter spem retributionis æternæ esset principaliter peragendum, tamen volumus, & præsenti edicto perenniter statuimus, vt attributa Fisco tertia solummodo parte bonorum huiusmodi, & tertia Apostolicæ Sedi reseruata, alia pars tertia absque obstaculo contradictionis cuiusquam eisdem Inquisitoribus assignetur, ne sua mercede spiritualis agricula defraudetur, & propter necessariorum carentiam inquisitio tam salubris ex inopia noxie ommittatur, quibus etiam propter eorum vigilantem solertiam, vitæ modestiam, necnon & affluentiam litterarum: quoniam nostra interest, & Ecclesiæ nobis iura permittunt, committimus inquirere diligentius Iudæorū excessus, atq. Infideliū aliorū non solum contra nostram sanctissimam Fidem existentes, ad quos tenentur ex debito delegationis eorum: verum etiam damnatos concubitus eorundem cum persona fideli, excessus eorumdem, qui sunt contra bonos mores, & quibus Christianorū religio scandalose videtur offendi, quorum correctionem prædictis concedimus per præsentes, pœna tantummodo sanguinis ipsis totaliter interdicta; cum sint Diuino cultui perpetuo mancipati, & sanguine plenæ manus à Dei sacrificio sint exclusæ: mandantes propterea præfatis Infidelibus, & Hæbræis sub nostræ indignationis incursu, quatenus Inquisitoribus supradictis, & socijs eorumdem toties, quoties fuerint in prosequutione ipsius Inquisitionis officij, & ipsos transire contigerit per eosdem, de omnibus necessarijs personarum, & animalium de proprijs prouideant, pariter & disponant semel tantum in anno, prouidentes eisdem de aliquo subsidio competenti, iuxta qualitatem, & quantitatem degentium personarum in locis per quæ transitum fecerint inquirentes: ita tamen quod nemo ex prædictis Iudæis ad amplius teneatur eisdem, quam ad vnum grossum communem per quemlibet exoluendum. Dat. in nostra felici Vrbe Panhormi, Anno Dominicæ Incarnationis 1224. anno vero Romani nostri Imperij in Germania octauo, & in Sicilia vigesimo tertio feliciter. Amen.*

7 En priuilegium Imperiale, in quo cuius boni spiritualis, aut temporalis officio S. Inquisitionis in Regno Siciliæ iam in prima ferè sui origine accessio facta fuerit, per se manifeste patet, nec requiritur, vt aliqualis commentatio nostra id clarius ostendat, neque occurrit peculiare aliquid, circa quod dubitari possit.

8 Per subsequentes autem Reges Sicilię, supradictum Priuilegium Inquisitoribus Siculis concessum, multoties fuit confirmatum: quæ confirmationes, cum progressum Sancti Officij in hoc Regno Siciliæ, quem indicare intendimus, non parum manifestent; haud erit abs re, si hic per summa saltem capita, sine expressione quandoque totius textus Regalium litterarum apponatur. Ipsum primum confirmauit Serenissimus Rex Alphonsus ad petitionem, & instantiam R. P. Fr. Henrici Lugardij de Panhormo

Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Magistri, & hæreticæ prauitatis in dicto Regno Siculo Inquisitoris; qui ab eo litteras confirmationis obtentas Proregi Lupertio Vrrea pro exequutione tradidit, atque hic officialibus Regni, & respectiuè quibusuis alijs strictissimè præcepit, vt contenta in eis adunguem obseruarent, & cõsequerentur.

9 † Litteræ autẽ sic incip. *Alphonsus Dei gratia Rex Aragonum, & Siciliæ, &c. Vniuersis, & singulis præsentium seriem inspecturis, tàm præsentibus, quam futuris, licet adiectione plenitudo non egeat, nec confirmationẽ exiget, quod est firmum, &c.* Priuilegium verò præcipuè confirmant, ibi: *Nos vero, &c. Imperiale Priuilegium præinsertum, & contenta in eo sic, & prout ipse Inquisitor, suiq. in officio prædecessores eo melius hactenus vsi sunt, de certa nostra scientia tenore præsentium approbamus, laudamus, acceptamus, & confirmamus nostræq. confirmationis, & approbationis munimine roboramus.*

10 *Mandantes propterea, &c.* Desinunt tandem istæ litteræ hoc modo: *In cuius rei testimonium præsentes fieri, & nostro sigillo communi impendenti iussimus communiri. Dat. in Turriri Octauiæ, die 17. Augusti xiiij. Indictione anni 1451. Regni huius Siciliæ citra Pharum An. Decimoseptimo, aliorum Regnorum nostrorum vigesimo sexto. Rex Alphonsus.*

11 Præterea Ferdinandus V. & Elisabetha, dum essent Hispali, se iam Reges Siciliæ appellantes, tametsi Ioannes Aragonum Rex, & dicti Catholici Regis pater adhuc viueret, non solum prædictum Priuilegium ab Imperatore Federico cõcessum approbarunt, & confirmarunt anno 1477 vt constat manifestè ex libris Archiuij Inquisitionis generalis fol. 131. sed ex tunc etiã quasi nouum Inquisitionis Fidei Tribunal fixũ, & perpetuum in hoc Regno Siciliæ erigi curarunt, cum non exigua dotatione, cum eo maiori rigore, cum strictiori illa forma, cum amplioribus illis Priuilegijs, iurisdictionibus, & prærogatiuis; quibuscum in multis alijs Hispaniarũ Regnis, ac dominijs iam diuersa fuerant erecta. Prefatorum autem Regum Cattholicorum iussu id peropportunè exequutioni mandatum, vti omnino requisitum, & absolutè necessarium ad Fidem Cattholicam cum puritate retinendam, ad propellendum periculum ingrediendi multiplices errores, seu varias hæreses in hanc Siciliæ Insulam, quod maximum quidem erat, attento eius situ, & hominum externorum concursu; attentis item incolarum moribus, attenta denique in primis magna vicinitate Calabriç, vbi in rebus Fidei, vt ait hisce verbis Ludouicus Paramus lib. 2. tit. 2. cap. 11. *Non parum viuitur licentiosè, cum non multis ab hinc annis pestifera Lutheri secta publicè coleretur, aliquantulum Siciliæ contaminata; cum huius Insulæ incolæ nouitatibus natura seruiant:* hactenus verba Ludouici Parami.

12 Deinde supradicta Priuilegia Inquisitoribus Siculi per Reges Siciliæ antecessores suos concessa perlibenter confirmauit Inuictissimus Imperator Carolus V. anno 1525. imò hic exemplo aui sui Ferdinandi V. maximoperè excitatus ad fouendas res Fidei Cattholicç, & ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis in hoc Regno Siculo protegendum, & multo magis honorificandum, atque progressum eius in dies augendum, amplioribus prærogatiuis, priuilegijs, & exemptionibus ipsum affecit, vt constat manifestè ex litteris Imperialibus pro dicta confirmatione, & approbatione, ac multò magis pro executione ad Proreges, & Capitaneos Generales: quarum primæ non erit credo tibi molestum, si hic integrè apponantur, vt se habent in originali.

Litteræ Caroli V. ad Proreges Siciliæ in fauorem Officij Sanctæ Inquisitionis.

ILLVSTRIS Prorex. ac Capitaneus Generalis renunciatum nobis est, nonnullos officiales nostros, se de causis officialium S. Inquisitionis istius Regni contra eius priuilegia, libertates, prærogatiuas, ac antiquam consuetudinem intromittere. Quod si ita est, nobis multum displicet, cum nostra voluntas, quam vobis per alias declarauimus, iustitiæ consona sit, vt S. Officium, ac eius ministri ab omnibus officialibus nostris adiuuentur, ac etiam foueantur, quo nullum accipiant detrimentum. Quare vobis dicimus, ac expresse mandamus, vt illicò prouideatis, ne officiales nostri directè, vel indirectè de rebus ad S. Officium pertinentibus se aliquatenus intromittant, sed ea Inquisitoribus, iuxta iustitiæ ordinem decidendo remittant, vt liberè tàm in causis ciuilibus, quàm criminalibus omnibus prærogatiuis, exemptionibus, ac gratijs perfrui possint quibus felicissimi Catholici Regis Ferdinãdi Aui, ac Domini mei (cuius anima in gloria requiescat) perfruebantur.

14 *Insuper summæ vobis solicitudini esse mandamus, vt Inquisitores, officiales, atque ministri S. Officij liberè, ac sine alicuius contradictione sua valeant munera exercere, quemadmodum vobis confidimus, facietisque decretum securitatis, ac regalis protectionis, quod in fauorem S. Officij ac eius offitialium concessimus in omnibus, & per omnia, sub pœnis in eo contentis custodiri, omnibus tergiuersationibus adito præcluso, sic enim Dei cultui, nostroque seruitio, ac bonæ iustitiæ administrationi conducere existimamus, contrariumq. nobis (quod non credimus) Vos facturos, accideret per molestum. Dat. Toleti 22. Octobris anno 1525.*

EGO REX.

15 Alijs præterea litteris 1534. idem Carolus Imperator prædicta priuilegia primo confirmat, & post specialiter Inquisitoribus Siculis indulget, vt hi, vbi primum in Insulam appellunt suæ commissionis, in potestatis Apostolicæ litteras Regias sibi traditas non teneantur ordinarijs registris inserere facere; sed statim suum munus absque vllo obice exercere possint

46 † Eodem item anno 1634 idem Cæsar prouidit, & declarauit, quod officiales, & familiares Sancti Officij fruantur omnibus, & quibuscumque immunitatibus; quibus Clerici fruuntur, & eodẽ modo, à Iudicibus ordinarijs sæcularibus sint

sint exempti: cum id illis de iure competat, ex capitulo *Significasti*, & ex cap. *Si diligenti de foro competenti*, & tractat copiosè Andr. Gail. in practica, obseru. 37. & Ferdinandus Bonior-
17 nus conf. 92. lib. 4. Tandem † dum esset Panhormi ipse Cæsar anno 1535. diuersa S. Officij Priuilegia corroborauit, vt circa prærogatiuam officialium, & familiarium ferendi arma prohibita; circa remittendos ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis quoslibet carceratos quacumq. causa ex dictis officialibus, familiaribus, & commensalibus eorum per ministros à Proregibus, vel à quouis alio de mandato istorum constitutos, & circa diuersa non pauca ad illos spectātia
18 † Vide Paramum citatum num. 13. & 14. qui pro executione, & obseruātia prouisiones duorum Proregum, nempe Ducis Montelonis, & Ioannis à Vega per Ciuitates & Oppida totius Regni opportunè missas, immediatè post per extensu adiungit.
19 Ecce quam feliciter quantoque cum progressu, & lucro negotium Fidei Cattholicæ in hoc Siciliæ Regno procederet, ecce quam prospero cursu, quamquam fortunata totius, haud dubium Sanctissimæ Trinitatis afflante aura in isto tranquillo mari Trinacrio nauigium Tribunalis Sanctæ Inquisitionis à Nautis, idest ab Inquisitoribus peritissimis dirigeretur; cum repente inopinata, & improuisa suborta tempestas adeo periculosa, adeo vehemens, & tremēda, vt ipsum paulò post cum ingenti ruina, seù verius cum totali naufragio ad scopulos, vel syrtes allisisse iudicatum fuerit.
20 Sed vnde nam hæc tam repentinæ mutationis occasio? vnde huiuscemodi tempestatis origo? præter inuidiam Diaboli, quæ & mortis, vt ait Scriptura sacra Sap. 2. tam spiritualis, quam corporalis cuiusuis mali, totius Orbis fons perennis, nescio quid falsæ, & sinistræ informationis susurratum in aurem Cæsaris, quo adductus prædicta priuilegia Officij Sanctę Inquisitionis, præcipuè ad iurisdictionem temporalem spectantia per quinquennium suspendit: quo transacto, dum esset in Ciuitate Grandauensi eandem priuilegiorum suspēsionem per aliud quinquennium confirmauit: hinc Tribunal Sancti Officij, cuius antea amplissima erat in eo Regno auctoritas, & iurisdictio, illorum præsidio prærogatiuarumq. fulcimento, cui prius innitebatur, omnino destitutum, maximè quoad qualitatem familiarium ex nobilibus præeminentioribus, & titularis totius Regni ita eneruatum, & ad talem debilitatem reductum, vt grassantibus multiplicibus erroribus perniciosissimis, etiam inter ipsos nobiliores Siculos, DD. Inquisitores resistere non valerent, seu potius cōtra hos, & contra quoscumque alios insurgere non auderent. idque ob diuersos atrocissimos casus, summæ impietatis, & multiplicis contemptus S. Officij, qui tunc temporis acciderunt, & à Paramo vbi supra exprimuntur.
21 Primo accidit, cum D. Inquisitor Bartholomæus Sebastianus visitandi Regni causa Panhormo egressus, editum Fidei in Ciuitate Xaua publicare iussisset, multi perditissimi homines Domum vbi cum familia sua receptus fuerat, admoto igne concremare tentarunt, hocq. tam immani mortis genere, aut forte crudeliori ipse vna cum suis de medio sublatus fuisset, nisi cognita fraude secreto ab Vrbe valdè festinanter aufugere curasset, non exiguam D. Baronissa de Florita ex Genere Leofante per suos familiares, & necessarios opem ferente: atque ob illud egregium pietatis facinus præfatæ Baronissæ, & omnibus eius Illustris familiæ fœminis hæc singularissima prærogatiua concessa, vt foro Sancti Officii perpetuo fruantur.
22 Præterea non multo post à similibus sceleratissimis hominibus contra Sanctum Officium Inquisitionis ita tumultuatum est, vt omnes saccos benedictos, qui in Ecclesia S. Dominici ad perpetuam hæreticorum ignominiam appēsi manebant, summo Sanctæ Inquisitionis dedecore abstulerint, nullo resistere valēte, nec permiserint vnquam, vt ipsi in eadem Ecclesia, vel in alia denuò appenderentur.
23 Item cum ab Inquisitoribus missus est Alguazirius ad opidum Sancti Marci, vt quosdam hæreticos caperet, alij eiusdem impietatis, ac feuitiæ homines eum aggressi, plures ex eius comitatu, occiderunt, atque ipsum Alguazirium semimortuum, seu pro mortuo, humi procumbentem multis vulneribus confessum reliquerunt.
24 Tandem non pauci ex prædictis amore omnimodæ libertatis circa negotium fidei, quasi in furiam versi, Inquisitorem omnino è Regno eijciunt, & nauim, quæ iam è portu soluerat cōscendere compellunt, atque animo penitus illinc euellendi hoc Sanctæ Inquisitionis Tribunal eius Cartophylacium; seu Archiuum petulanter incendunt. Quamquam quoad hoc quasi totaliter decepti, cum in Archiuo Generalium Inquisitorum, seu supremi Consilij trasumpta scripturarum præcipuè, cuiusq. causæ in quouis Tribunali inferiori ei subiecto decisæ, imo ipsarum quandoque originalia asseruari soleant, ita Paramus vbi supra.
25 Interim decennium suspensionis prædictæ ferè decursum, & versus finem anni 1543. audiens Cæsar qualiter Officium S. Inquisitionis in Regno Siculo ad extremum infelicitatem, & ruinam esset reductum; perpendensq. quanta inde damna spiritualia in perniciem animarum, cum amissione Fidei Catholicæ, & multiplicatione errorum contra ipsam ibi euenire possent seu quòd iam euenissent; de eo prorsus instaurando cogitat, atque suspensa, seu reuocata priuilegia denuo concedit, & valdè corroborat, maximè quoad iurisdictionem circa causas temporales tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus officialium, & familiariū Officij S. Inquisitionis, idque nō obstante Capitulo Inquisitionis, quod Proregibus quando veniunt ad Regnum Siciliæ datur. Verum totum hoc ex ipsis litteris Imperialibus, quibus sic disponitur, clarius apparet: quas non possum non integras hic apponere, cum per eas S. Officium Inquisitionis in Regno Siculo, quod re vera demortuum penè fuerat, reuiuiscere videatur.

Litteræ

Litteræ Caroli V. quibus ſuſpenſa Priuilegia S. Officij, denuo ei conceduntur, & corroborantur.

NOS CAROLVS Diuina clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex Alemaniæ, Ioanna eius mater, ac ipſe Carolus Reges Caſtellæ, Aragoniæ, Legionis, duarum Siciliarum, Hieruſalem, &c. Quoniam diebus elapſis cum in Regno Siciliæ eſſemus, ad ſupplicationem trium Brachiorum, aut Stammentorum dicti Regni, qui nobis humiliter ſupplicarunt, mandauimus, ac prouidimus, ne Inquiſitores dicti Regni intra quinque annorum curriculum de aliquibus cauſis, in quibus pœna mortis infligenda eſſet contra regnicolam dictæ Inſulæ cognoſcere poſſent, atque deinde, cum eſſemus in Ciuitate Grandauenſi, alia noſtra prouiſione decreuimus dictam gratiam ad aliud quinquennium prorogare ad prædicti Regni petitionem, vt latius in dictis prouiſionibus continetur, ad quas habeatur relatio. Et quoniam exercitium S. Officij in dicto Regno ita impeditum eſt, vt propter hanc cauſam delinquentes remaneant impuniti, ac noſtræ voluntatis eſt, vt Inquiſitores, qui ſunt, vel deinde fuerint in dicto Regno de cauſis omnibus cognoſcant, quæ familiares, officiales, atque miniſtri dicti S. Officij pertingunt iuxta inſtructiones, quæ ſuper hoc Inquiſitoribus datæ ſunt, ita vt libere, ac ſine alicuius contradictione iuſtitiam adminiſtrare, & ſua valeant vti iuriſdictione, in quo officiales noſtri Regij huius Regni aliquatenus non ſe intromittant. Idcirco cum decreto, & deliberatione noſtri Regij Conſilij, tenore præſentium ex noſtra certa ſcientia, ac auctoritate Regia mandamus, Illuſtri Ferdinando à Gonzaga Principi Malfettæ cognato noſtro Proregi, ac Capitaneo Generali in prædicto Regno, ſpectabilibuſq. & magnificis Conſiliarijs noſtris Regijs, Magiſtro Iuſtitiario, ac eius Locumtenenti, Iudicibus noſtræ Magnæ Curiæ, Magiſtris rationalibus, Theſaurario, ac Conſeruatori noſtri Patrimonij, Aduocato, & Procuratoribus Fiſcalibus, ac omnibus, & quibuſcumq. Regijs officialibus noſtris, cuiuſcumq. ſint conditionis, ſub iræ, & indignationis noſtræ incurſu, ac pœna duodecim millium vnciarum exigendarum, ac noſtris Regijs ærarijs inferendarum à quocumq. qui contrarium facere attentauerint, vt tranſacto termino in dicta noſtra prorogatione contento, permittatis, ac conſeruatis libere Inquiſitores prædictos cognoſcere, ac determinare ſupradictas cauſas, ac quaslibet alias, quarum cognitio ad eos ratione ſuorum officiorũ ſpectat, contra omnes, & quaſcumq. perſonas dicti Regni iuxta inſtructiones, quas ſuper his habent, nec ſuper eis ſe intromittant, nec intromittere valeant noſtri Regij Regni officiales, ita vt poſſint dicti Inquiſitores iuſtitiam adminiſtrare ſic, & quemadmodum ante dictas noſtras prouiſiones fecerunt. In hoc namque Dominus noſter coletur, & S. Officium conſeruabitur; cauendo attentè, ne faciatis, aut permittatis contrarium aliquatenus fieri, nec vos intromittatis in aliquo quod huic noſtræ prouiſioni contrarietur, ſi gratiam noſtram charam habetis, ac cupitis ſupradictam pœnam euitare. In quorum omnium fidem, ac etiam teſtimonium præſentes fieri mandauimus noſtro ſigillo ſecreto, ac Sanctæ Inquiſitionis in earum dorſo ſignatas. Datum Matriti 27. Februarij 1543.

EGO REX.

27 Reſtat tandem breuiſſimè oſtendendum qualiter prudentiſſimus, & piiſſimus Philippus II. prædictis priuilegijs in fauorem S. Officij à Patre ſuo Carolo Imperatore modo tradito de nouo conceſſis, confirmatis, & corroboratis, non ſolum maiorem confirmationem, & corroborationem, ſed ampliationem etiam non exiguam addiderit. Quoad primum, cum adhuc eſſet tantum Princeps confirmat, & corroborat ea per efficacem prouiſionem præinſertis in ipſis ſuprascriptis litteris Patris ſui Caroli V. incipientem *NOS PHILIPPVS DEI Gratia Princeps Auſtriarum, atque Gerundiæ, &c.* & deſinentem. *In quorum omnium teſtimonium præſentes ſigillo Regio ſecreto*, & in dorſo *ſigillo Sanctæ Inquiſitionis munitas expediri iuſſimus. Datum Matriti 16. Iunij anni 1546.* Item ad vtrumque ſimul corroborandum, ſcilicet, & ampliandum Tribunal S. Inquiſitionis Siculum, idem Princeps ſcripſit ſigillatim Titulatis, vel Magiſtratibus, ac Baronibus totius Regni, mandans, vt honore, fauore, atque omnibus modis S. Officij Inquiſitoribus, Miniſtris, ac rebus eius omnibus auxiliarentur. Atque hinc feliciter effectum, vt Magnates, Barones, & Principaliores Regni, non ſolum circa dictum S. Officium, de quo prius malè ſentiebant, benè affecti poſtea extiterint, ſed etiam officiales, aut familiares eius eſſe curarint, quorum fulcimento innixi Inquiſitores maiori cum auctoritate, & iuriſdictione ac ſine timore tumultuationis Populi munus ſuum exercuerunt. Vide Ludouicum Paramum citatum à num. 20. vſq. ad 23.

28 Iam ad Coronam Regnorum ſuorum Philippus aſcenderat, cum diſſidia varia inter Proreges, & Inquiſitores Siculos exorta aduertens, maximè circa iuriſdictionem in cauſis temporalibus familiarium Sancti Officij, ad concordandos eos animum applicuit anno 1581. ad idque cum ſatisfactione vtriuſque partis iuridicè afficiendum, delegit quatuor inſignes, ac doctiſſimos Viros, nempe Licentiatum Salazar, & Licentiatum Timinum, ex Senatu ſupremæ Sanctæ Inquiſitionis, item Regentem Hamondetta, & Regentem Caraiaial ex Italiæ Conſilio. Qui concordata diuerſorum capitum per excellentiam inter partes tunc admiſſam ediderunt.

29 Litteræ autem prouiſionis Regiæ pro eis exequendis ad Proregem, ſic incipiunt. *PHILIPPVS DEI Gratia Rex Caſtellæ, Leonis, Aragoniæ, vtriuſq. Siciliæ &c. Illuſtris Marco Antonio Coloña Conſobrino noſtro Proregi &c. Notæ tibi ſunt diſcordiæ, & contentiones, quæ inter te, & Venerabiles Inquiſitores Apoſtolicos iſtius Regni excitatæ ſunt de diuerſis articulis ad iuriſdictionem ſpectantibus &c.* Deſinunt vero ſic: *Hæc nobis cordi ſunt; is qui contraierit, iram, & indignationem noſtram ſe nouerit incurſurum*

ſurum

surum. Dat. in Vrbe Pacis Augustæ (vulgo Badajoz) quarto die mensis Iulij anno 1581.

30 Non adduco hic integrum tenorem harum litterarum, neque concordatorum; inuenies si lubet legere apud Paramum loco citato nu. 24. eo quod immutata ista, & sæpius variata tempore eiusdẽ Philippi II. & filij sui Philippi III. Regis fuerint, imò à Philippo IV. nunc feliciter regnante noua concordata inter dictos Proreges, & Inquisitores Regni Siciliæ edita audio: quæ ad manum hactenus habere nequiui, licèt citò, sim, vt spero habiturus.

31 Cæterum non prætermittam vltimo loco lectori tradere prouisionem Regis Philippi II. in fauorem Consultorum S. Inquisitionis Regni Siculi: quamuis ignorem, an omnia, quæ in ea disponuntur, vel saltem aliqua in præsentiarum obseruentur.

Litteræ prouisionis Regis Philippi II. in fauorem Consultorum Sanctæ Inquisitionis in Regno Siculo.

PHILIPPVS DEI Gratia Rex Castellæ, &c. Illustri Marco Antonio Coloña, Cognato nostro, Proregi, Locumtenenti, ac Capitaneo Generali in nostro Regno Siciliæ citra Pharum, ac cuilibet nostro alij Proregi Præsidenti, ac Locumtenenti, qui pro tempore erit ac vobis Venerabilibus Inquisitoribus Apostolicis, qui in dicto Regno estis, vel pro tempore fueritis salutem, ac dilectionem. Non vos præterit, quod intellectis dissidijs, atque iurisdictionis controuersijs, quæ inter vos dictum Proregem, ac reliquos nostros sæculares Iudices, atq. ministros istius Regni prædicti cum vobis Inquisitoribus supradictis super officialibus, familiaribus, atq. ministris S. Officij, ac alijs, vt hæc omnia (sicut æquum est) cessarent, ac inter vos illa pax, atque conformitas, quæ decet, reperiretur, mandauimus personas tam Generalis Consilij Inquisitionis, quam alijs Italiæ Regentibus congregari, ac hæc omnia consultari, quo ab illis facto, ac à nobis viso, & approbato die 4. mensis Iulij anni proximè elapsi 1580. Mandauimus dari, ac dedimus prouisionem nostram ordinando, & mandando in ea, quod super prædictis obseruandum imposterum esset, quemadmodum in dicta prouisione fusius continetur. Postea vero nobis expositum est, adhuc inter vos aliam esse contentionem, vel potius hæsitationem, qua scilicet forma Consultores S. Officij eius fori priuilegium vti debeant, & an expediat, vt illo Consultores gaudeant. qui ad præsens sunt, vel post hac fuerint, qui Iudices Magnæ Curiæ esse, vel alia publica munera habere reperiantur, & si dicto foro tanquam familiares, an tanquam officiales gaudere debeant, vobis dicto nostro Prorege allegante non debere, nec posse Consultores prædictos maiori prærogatiua, quam alios similiter S. Officij familiares honorari, scilicet pro suis tantum personis. Eos vero Consultores, qui Iudices Magnæ Curiæ essent, vel alia officia regia haberent, non debere illius fori gaudere præheminentia, ne iurisdictiones confunderentur. Et quoniam pro parte dictorum Inquisitorum prædictos Consultores (cum sint tam insignes, atque præcipui dictæ Inquisitionis ministri) tanquam officiales salariatos illius cum omnibus suis familiaribus debere oti, & quamuis alia publica munera, aut ministeria haberent, vel Iudices Magnæ Curiæ essent, non idcirco iustum videri, vt dicto Priuilegio, ac foro priuarentur, cum nec ob id iurisdictionum confusio, nec aliud inconueniens sequeretur, & alia allegabantur: super quibus pariter easdem personas Generalis Consilij Inquisitionis, & Italiæ iussimus congregari, quæ antea fuerãt congregatæ. His itaque ab illis consultatis, ac diligenter super omnibus habito tractatu à nobis viso, & approbato, quoniam nostræ intentionis, ac voluntis est, vt S. Inquisitionis officium honoretur, ac reuerenter colatur, cum id Dei cultui, nostro seruitio, ac communis nostræ Religionis bono apprimè conueniat, & vt post hac dubitationis omnes, controuersiarum occasio cesset, debito amore mutuo conformes sitis, prout æquum est, dari mandauimus, ac dedimus præsentem, cuius serie, ac tenore declaramus, volumus, & mandamus, vt prædicti S. Officij Consultores, qui modo sunt imposterum fuerunt, gaudeant eodem priuilegio, quod officiales non salariati habent, habere consueuerunt iuxta id quod à nobis prouisum est, atque mandatum in vltima prouisione, atque concordia de qua supra diximus. Quod etiam sit, & procedat quantumuis prædicti Consultores sint Iudices Magnæ Curiæ, vel alijs publicis officijs fungantur, cum tamen circa illorum exercitium non delinquant, quod obseruetur, ac custodiatur pro libito voluntatis nostræ, & Regum successorum nostrorum. Quo circa mandamus omnibus, ad quos dicta prouisio fuerit directa, eam obseruent, custodiant, ac exequantur, sub pœnis in ea contentis, perinde ac si hæc nostra declaratio in illa fuisset inserta, omni obice, ac impedimento cessante Dat. Vlyssiponæ 27. Iulij 1581.

EGO REX.

33 Adiungamus etiam, si placet, alias eiusdem Regis Philippi posteriores litteras, quibus multò magis indicatur maximus amoris affectus tanti Monarchæ erga Sanctum officium Inquisitionis, & quam ardenter huius fructum, ac progressum ingentem pro salute animarum in optatis haberet.

Litteræ eiusdem Regis Philippi ad Proregem in fauorem Inquisitorum Fidei in Regno Siciliæ:

ILLVSTRES Comes, Consobrine noster Vicerex, Locumtenens, & Capitanee Generalis. Honor, & fauor qui Sancto Officio, eiusque ministris, & appendicibus exhiberi debet, adeo vestra religione, ac zelo condignus est, vt minus nobis necessarium videatur, vobis commendare, quanti eius officij obseruantia, & amplitudo intersit. Nam vltra ipsius ministerij momentum, ac etiam dignitatem, quanti apud nos sit, satis videri possit ex dignitate, & auctoritate, quibus in isto nostro

nostro Regno conualuit. Cum tamen quædam controuersiæ, quæ inter vos, & ipsius officij Inquisitores his prope elapsis intercesserunt, nobis delatæ fuerint, visum nobis est has ad vos litteras dare, vobisque mandamus, & dicimus, vt studiosè, ac diligenter omni fauore, atque præsidio in omnibus publicis, & priuatis occasionibus istius Regni Inquisitoribus præsto sitis, omnemque exhibeatis honorem, ac specialiter cum ad vestrum prætorium eos vocabitis, non per apparitorem, sed per familiarem vestrum honoratum, ac per schedulam vocetis, quemadmodum vestri in ipso munere prædecessores fuisse noscuntur, eodem modo abstinendo à guidaticis concedendis personis illis, quæ ciuiliter, vel criminaliter in Sancto Officij Tribunali causas defendunt, ac præsertim studebitis, vt ea quæ in vestra præsentia, vel vobis interuenientibus cum dictis Inquisitoribus conferenda erunt, sub æqua ac debita cautela, quemadmodum talia postulant, pertractentur, ita vt ne dum in hoc, sed in alijs omnibus, in quibus dictis Inquisitoribus auctoritas nostra ad suum ministerium (quod tantum è Dei cultu, ac Christianæ Religione est) confert, illis non deesse appareat, quod à vobis (quia nobis gratissimum est) fieri speramus. Dat. apud Sanctum Laurentium 18. Septembris 1587.

EGO REX.

35 Ex quibus litteris hic vtilissimus secutus effectus, iam supratactus, quo Titulati, & Barones Regni perpendentes singularem amorem sui Regis erga Sanctum Officium Inquisitionis, se præbuerint erga idem valdè beneuolos, ac promptos ad præstandum eidem auxilium, & fauorem, vbicumque opus esset: vti re vera aliquoties præstiterunt, maximè in illo casu admodum singulari; cum circa annum 1592. ex Geneua hæreticæ prauitatis iniquissimo domicilio, quidam pseudo didascali (ministri ibi; & alibi inter hæreticos vocantur) missi fuerunt pro fide, & Religione Catholica penitùs destruenda, & labefactanda in Siciliæ Insula, quod hanc sibi accommodatissimam, & peropportunam Sedem, ad spargendos suos errores iudicaret, cumque eos iam furtim non parum spargere, ac diuersos de populo inficere cæpissent, detecta haud sine Diuino auxilio perniciosissima contagie, curaque commissa Titulatis, & Baronibus illos, & quoscumque infectos inquirendi, & capiendi; ita diligentes, & vigilantes in hac Inquisitione, & captura se præbuerint, vt breui tempore huic tanto malo remedium adhibitum, extinctis, & eradicatis omnino erroribus, si qui iam radices misissent: captus enim præcipuus eorum concionator Iacobus Brutus, qui vt pertinax, & impœnitens viuus igni traditus, alij foras necessario exterminati, infecti vero Ecclesiæ reconciliati.

36 Claudamus hoc septimum Prolegomenum aliquali nomenclatura DD. Inquisitorum, qui huic Tribunali Sanctæ Inquisitionis Regni Siculi præfuerunt, non quidem omnium, cum per combustionem Archiuij, de qua supra num. 6. multorum memoria perierit, maximè ex familia Dominicana.

37 Anno itaque Domini 1490. Ioannes Scalambro Siculus, ex nobilioribus Ciuitatis Leontinorum oriundus, fuit Inquisitor Siciliæ.

Dominus Petrus de Belforado huic Siculo Tribunali S. Inquisitionis præfuit, anno 1500. postea Archiepiscopus Messanensis creatus.

Eodem anno eius Collega, cuius nomen, & cognomen ignoratur, similiter Inquisitor, & inde ad Episcopatum Chefaludensem pro meritis euectus.

Anno 1512. Doctor Alphonsus Bernal huic Tribunali Siculo præfuit.

Eodem anno Doctor Melchior de Ceruera Inquisitor Siculus.

Collega illorum in eodem munere Doct. Didacus de Bonilla eodem tempore.

Anno 1520. fuit Inquisitor Siculus Doctor Tristanus Caluette.

Augustinus Comargus Doctor Scholasticus Carosanensis anno 1526.

Anno 1537. D. Arnaldus Albertinus primo Inquisitor, & post Episcopus Pactansis, ac tunc Præses in Regno Siciliæ.

Doctor Didacus de Oron administrauit Inquisitionis Tribunal Siculum eodem an. 1537.

Bartholomæus Sebastianus Inquisitor Siculus anno 1596. inde Episcopus Pactensis, & Præses Regni, tandem Archiepiscopus Taraconensis.

Anno Domini 1555. Licentiatus Franciscus Orozcus ab arce Carthaginensis ex Tribunali Inquisitionis Fidei Toletano adhuc Siculum venit: & anno Domini 1558. fuit creatus Archiepiscopus Panhormitanus.

Item Ioannes Orozcus ab Arce ex fratre filius dicti Archiepiscopi Panhormitani vno anno tantum, nempè 1562. fuit Inquisitor Siculus, inde ad Episcopatum Syracusanum ascendit, & postea ad Catanensem.

Anno 1563. Licentiatus Ioannes Bezerra per nouem annos munus Inquisitionis Fidei in Regno Siciliæ administrauit, post ad visitandum Tribunal Sanctæ Inquisitionis Gotolanum missus, vbi obijt.

Doctor Ioannes de Ratana Victorianus eodem anno primo per sexennium fuit Inquisitor Siculus, inde Archiepiscopus Messanensis.

Anno 1569. Licentiatus Ioannes Quintanilla Beticus, qui simul Inquisitor, & Inquisitionis Visitator fuit in hoc Regno Siculo, obijt Panhormi.

Licentiatus Bernardus Blasus primo Barcinonæ, post anno 1572. in Regno Siculo Inquisitor fuit, & post Episcopus Mazzariensis demortuus.

Doctor Comes de Carauajal eodem anno primo Collega dicti Licentiati Gasci in officio Inquisitionis Regni Siciliæ, inde ad Tribunal S. Officij Cordubense promotus.

Anno 1574. Antonius Marinus à Pazos Visitator primo, & post Inquisitor Fidei Tribunalis in Regno Siciliæ, inde ad Toletanum redijt tandem Episcopus Cordubensis creatus.

Anno 1577. Licentiatus Ioannes à Rojas primo Valentiæ, postea in Regno Siciliæ fuit Inquisitor, electus Episcopus Agrigentinus, de-

huius

huius viri operibus, & laudibus iam alibi diximus.

Eodem anno Licentiatus Didacus de Haedo Collega dicti D. Ioannis de Rojas in munere Inquisitoris, cum idem prius exercuisset Valentiæ, & Cæsaraugustæ, inde Episcopus Agrigentinus, tandem Archiepiscopus Panhormitanus pro meritis creatus.

Anno 1579. Ioannes de la Peña Capellanus Regis, Inquisitor Siculus, & electus Archiepiscopus Messanensis obijt.

Anno 1580. Licentiatus Ioannes Coruonero Cordubensis præbendatus per nouennium Inquisitor Siciliæ, inde ad Episcopatum Catanensem promotus.

Anno Domini 1584. Doctor Ioannes de Aymar Regni Aragonum ex Tribunali Inquisitionis Fidei Barcinonnesi ad Siculum promouetur.

Anno Domini 1596. Ludouicus de Paramo sæpius à nobis citatus, Archidiaconus, & Canonicus Legionensis per multorum annorum spatium, summa cum laude munus Inquisitoris Fidei in hoc Regno Siculo administrauit.

Doctor D. Lopes de Varaona Thesaurarius Ciuitatensis, Tribunali Inquisitionis Fidei preesse cæpit anno 1587.

Do or Martinus de Olloqui anno 1591. Inquisitor Siculus.

Anno Domini 1591. Licentiatus Dominicus de Ilanes Canonicus Asturicensis, qui sicut & præcedens in munere Sancti Officij Inquisitionis dicti Ludouici de Paramo Collegæ fuerunt.

Tandem post mortem prędicti Martini Olloqui, successit eius loco Licentiatus Petrus de Hoyo anno Domini 1598.

PROLEGOMEN. VIII.

De multo maiori progressu Tribunalium Sanctæ Inquisitionis, ex Institutione Sacrarum Congregationum contra hæreticos, aut recedentes a vera Fide Catholica.

1 AD REM peculiariter, de qua acturi sumus in hoc, & sequenti Prolegomeno, haud dubium claro, & interno mentis oculo prophetico prospiciebat Regius Vates, dum ex tituli aspectu, intimo, & valdè accenso cordis affectu ad confitendum, & laudandum Deum Optimum Maximum, ita excitabatur dicens: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in Consilio iustorum, & Congregatione.* Psal. 100. Quamuis enim Hugo Cardinalis exponat de iudicio Confessionis sacramentalis factæ Deo, & Sacerdoti eius ministro, iustè iudicanti, & Consilium rectum præbenti, iuxta Ritum Congregationis, seu Ecclesiæ Sanctæ, qui videtur sensus tantum accommodatitius, vt ait in hoc loco noster Iannes Lorinus Auignonensis; quod Psalmista loquatur in persona cuiusuis Christiani verè pœnitentis, & legitimè confitentis. Item quauis D. Augustinus Anagogicè interpretatur de futuris iudicibus simul cum Christo Domino in fine Mundi, Apostolis videlicet, & viris quibuscumque Apostolicis, iuxta illud ex ore ipsius Christi Domini: *Amen dico vobis &c. Cum sederit Filius Hominis in Sede Maiestatis suæ, sedebitis, & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Israel.* (omissis Caietani, & aliorum interpretationibus multo minus ad rem nostram facientibus, quas videas, si lubet apud citatū Lorinum) Diuus tamen Chrysostomus, Eutymius, & alij ex textu Græco deducentes coniuncta esse verba sequentia: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius,* cum antecedentibus iam propositis, *in Consilio iustorum, & Congregatione,* iuxta sensum proprium, saltem mixtum, & spiritualem intelligunt hæc de quibusuis Iudicibus simul, & sæpius coniunctis in Consilio, vel Congregatione aliqua, vt in Rota Romana, in Parlamento Parisiensi, Tholosano &c. Causas quaslibet recta intentione, & sublato omni prauo affectu iudicantibus; ab his Magna opera Domini fiunt exquisita, egregia, eximia in omnes voluntates eius, secundum quodcumque ipsius beneplacitum. Quod si de quibusuis Tribunalibus iudicum dicto modo iudicantium, ex mente Diui Chrysostomi, Euthymij, & aliorum intelligenda verba Sancti Regis Prophetæ, quanto magis de Tribunalibus pro causis Fidei, cum in illis multo maiora semper opera Domini, in defensionem eiusdem Fidei peragentur; quam quæ alibi vnquam? Cum hæc item nomina Consilij, & Congregationis peculiari appropriatione nostra Tribunalia Sanctæ Inquisitionis sibi assumpserint, Tribunal Romanum omnium supremum, Sacra Congregatio Sanctæ Inquisitionis Romana dicitur: sic pariter hæc Melitensis, Tribunal Inquisitionis Hispaniæ, & pari modo illud Lusitaniæ Consilium supremum vocatur; tandem quod de multo maiori Tribunalium S. Inquisitionis progressu, & de his excellentibus Domini operibus sub terminis Consilij, & Cōgregationis confitendo, & laudando Deum, fit præcipuè locutus Regius Psalmista, vel inde clarè apparet, quod vt ex alijs notat idem Ioannes Lorinus, verbum Hebręum *Zod* in hoc loco proprietate, intimè perpēsa eius radice significet Consilium secretum, seu quod requirat secretum; & quidem negocia Sanctæ Inquisitionis adeo stricto, & rigoroso secreto geruntur, vt ad ipsum seruandum sub iuramento solemni, & sub pœna excommunicationis reseruatissimæ Summo Pontifice teneamur, quicumque ad ipsa gerenda attendimus, atq. hinc non parum auctoritatis, & reputationis ipsis Tribunalibus Sanctæ Inquisitionis prouenire, ab eisdemque hinc non exiguum timorem, ac terrorem hominibus quibusuis incuti, quis ita cæcus, cui non innotescat? Delectat valdè, iam video, sic in communi maiorem progressum officij Sanctæ Inquisitionis ex institutione Sacrarum Congregationum, & Consiliorum prouenientem

nientem audire; sed in specie ipsorum expressio multo magis delectabit: Vnde iam.

2 Reponenda statim hic institutio Primariæ, & Generalissimæ Sacræ Congregationis Romanæ Sancti Officij, atque huius origo, vti capitis cæterarum omnium diligenter indaganda, maiorisq; incrementi accessio semper ei facta, deinde ostendenda occurrit. Illud autem primo loco in communi aduerto, & habeo, vti omnino certum, Romæ aliquando solum Summum Pontificem pro tempore, aut eius Vicarium Generalem, Inquisitorem de iure Ordinarium, aut alium, vel alios ab ipso Pontifice assignatos pro tractandis causis fidei firmiter, & stabiliter extitisse: quòd si aliquando forte pro aliquo, aut aliquibus casibus occurrentibus, quis ex delegatione Pontificia Inquisitor crearetur, id ad tempus certum, & determinatum, raro tamen in perpetuum fieri solitum. Sed audi totum hoc compendiosius politiori stylo ab ore nostri Famiani Stradę sic loquentis. *Quin & Roma*, inquit, *variatum: nam modo per consuetos, vrbanosq; Magistratus administrata omnia, Quæsitor extra ordinem nullus: modo plures, sed sub vnius, pluriumue regimine Purpuratorum Patrum, donec Pontifex Paulus IV. instituto aliquorum ex his Patribus Collegio, quorum suffragijs hæ controuersiæ finirentur, Augustiori, Sanctioriq; iuditio rem imposterum Romæ stabiliuit*: hactenus Famianus. Qui necessario corrigẽdus circa id, quod in eo asseritur (idem repetitur in eius indice) ex errore haud dubie Typographi fuisse scilicet institutam Sacram Congregationem offitij Sanctæ Inquisitionis a Summo Pontifice Paulo IV.; cum tamen ad hoc ostendendum citetur in margine Bulla, incip. *Licet ab initio &c.* quę re vera est 34. Pauli III. vt in suo elucidatissimo Bullario affert Laertius Cherubinus ex mente omnium: per quem ipse Paulus III. dictam Sacram Congregationem sine dubio fundauit, vt statim num. sequenti extensius dicemus; tametsi Paulus IV Sixtus V. & alij Summi Pontifices eam auxisse, & maioribus prærogatiuis locupletasse dicantur. Dixi ex errore Typographi; non idem Famianus, accuratus historię scriptor, adhuc superstes interrogatus de hoc, candide respondit, non de Paulo IV. sed de III. cogitasse, & scribere voluisse, & scripsisse. Circa idem tamen alij errauerunt; vt patet ex Additionatore ad vitam Pauli IV. Andreas Victorello, qui etiam ibidem addit hoc de fundatione dictæ Sacræ Congregationis per Paulum III. Testatũ similiter fuisse ad vitam eius a Francisco Cabrera vno ex præstantissimis scriptoribus neotericis vitæ, & rerum gestarum cuiusque Romani Pontificis ab initio nascentis Ecclesiæ vsque ad Beatissimum Papam nostrum Vrbanum VIII.

3 Circa annum itaq; 1542 vt iam in particulari, & de re certa loquamur, præfatus Pontifex Paulus III. fel. mem consilio, & suasionibus Sanctissimi Patriarchæ nostri Ignatij, vt in eius vita refert R.P. Petrus Riba de Neyra excitatus, (alij etiam eum ad idem induxisse dicuntur, quod non nego) edidit prædictam Bullam, *Licet ab initio &c.* qua Congregationem Sacram stabilem, & perpetuam plurium Eminentissimorum Cardinalium Generalium Inquisitorum, contra hæreticam atq; apostaticam prauitatem cum amplissima iurisdictione, & auctoritate instituit. Primi autem Inquisitores Gene. à quibus initiũ sumpsit hæc Sacra Congregatio, hic assignantur, & instituuntur ab ipso Paulo III. §. 2. eiusdem Bullæ: *Nos ne*, inquit, *dum ates Concilij* (Tridentini scilicet) *per nos nouissimè indicti expectatur, omnia in deterius labantur, prouidere volentes, ac nequeuntes per suos solos, alijs etiam arduis occupatos curis, omnia exequi; dilectorumque filiorum nostrorum Ioannis Petri Sancti Clementis, Ioannis S. Sixti, Petri Pauli Sanctæ Balbinæ, Bartholomæi Sancti Cæsarei, Dionysij Sancti Marcelli, & Thomæ Sancti Syluestri tit. Presbyterorum Cardinalium fidem, doctrinam, & virtutem perspectas habentes, ac de eis plurimum in Domino confidentes, eosdem Ioannem Petrum, & Ioannem, ac Petrum Paulum, & Bartholomæum, necnon Dionysium, & Thomam Cardinales nostros, & Apostolicæ Sedis in omnibus, & singulis Reipublicæ Christianæ Ciuitatibus, Oppidis, Terris, & locis* (cum limitatatione de qua iam à nobis supra Prolegomen 4 num. 3. & infra iterum) *tam citra, quam vltra Montes, videlicet in Italia consistentibus, ac in Romana Curia super negotio Fidei Commissarios, & Inquisitores Generales, & Generalissimos auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus, & deputamus*. hactenus ex dicto §. 2. iuxta diuisionem Laertij Cherubini.

4 Verum vt constet magis in particulari de amplissima auctoritate, & iurisdictione præfatis Cardinalibus, & quibusuis Inquisitoribus Generalibus Sacræ Congregationis ex vi dictę Bullæ concessa, contenta in ipsa absq; expressione textus per summa capita opportunũ duxi percurrere. Post exordium Bullæ in 1. §. causæ instituẽdi hanc Sacram Congregationem Sancti Offitij denotatur, quòd in dies magis nouę hæreses, & schismata pullularent. De contentis in secundo §. iam dictum. Agitur præterea in 3. §. de facultate procedendi contra quascunq; personas cuiuscunq; qualitatis, status, aut præeminentiæ, & culpabiles repertas legitimis inditijs carcerandi, torquendi, & concluso processu finalem sententiam ferendi, atque pœnas secundum Canones infligendi &c. In 4. §. de facultate eligendi officiales, & assessores, Consultores, Promotores Fiscales, Notarios &c. pro regimine, & complemento huius Sacr. Congregationis. Conceditur item in §. 5. potestas committendi degradationem cuiuscumq. Antistite Catholico cũ duobus Abbatibus, vel duabus personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, quoties ad eam quiuis Presbyter, aut in Sacris constitutus condemnatur iuxta Iuris dispositionem in 6. & 7. §§. agitur de coercendo contradictores, & de inuocando auxilium brachij sæcularis, vbicumq. fuerit necessarium pro negocijs Sanctæ Inquisitionis Item in §. 8. est sermo de facultate creandi nõ solum nouos Inquisitores Apostolicos pro cæteris Tribunalibus Sancti Officij, sed alios etiam ministros ex quibusuis personis Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus ad id idoneis, in quibuscumq. Ciuitatibus locis &c. vbi ipsi Cardinales Generales

Inqui-

Inquisitores iudicauerint necessarium (pro hoc Tribunali Melitensi,& Inquisitores,& Assessores, & Promotores fiscales creare solent, vt infra suo loco) item eos iam creatos ad libitum ipsorum Cardinalium reuocandi causis etiam fidei inceptis, & nondum finitis, & alios eorum loco instituendi, &c. in §. 9. tractatur de appellationibus, quod à priuatis Inquisitoribus ad sacrā Congregationem Vrbis,seu ad Cardinales Generales inquisitores deuoluantur. in § 10.de facultate inhibendi in Curia, & extra eam . in §. 11.de clausula sublata; *Quod sic per quoscumq. Iudices,&c.* in §.12. de derogatione cuiusuis in contrarium facientis, &c. in §. 13. de sanctione pœnali. *Nulli ergo omnino hominum liceat, &c. Datum Romæ, &c.* En contenta in Bulla institutionis Sacræ Congregationis Sancti officij Vrbis:en ad qualem rem tam insignis gloriæ Dei Opt.Max. & tam egregiæ vtilitatis totius Ecclesiæ Catholicæ Sanctus Pater noster Ignatius Paulum III. induxerit:idq vt huic specimē grati animi præberet pro beneficio ingenti ad modum accepto biennio fere antea,nempe approbationis instituti, & Religionis Clericorum Regularium nostræ Societ.Iesu,ab ipso Ignatio fundatæ; per Bullam incipientem,*Regimini militantis Ecclesiæ, &c.*

5 Erecta sic, & firmiter instituta Sacra Congregatione Sancti Officij Vrbis per præfatum Paulum III.(vnde errauit Frater Didacus Morillus asserens vbi supra fundatam fuisse per Sixtum V.) à multis ex sequentibus Pontificibus supremis de maiori indies eius augmento, & de meliori ipsius regimine sæpius cogitatum varijs Bullis Apostolicis ad hunc effectum editis: Quas non possum non sigillatim attingere; quo præsenti huic nostro Instituto, vti expedit,plenius maneat satisfactum. Vnde Pius IV. quoad augmentum, per Bullam incipientem *Cum Nos per nostrum, &c.* meminerit se in Generales Inquisitores sacræ Congregationis octo Cardinales deputasse, nēpe Ioannem, Michaelem S. Anastasiæ Saracenum, & Ioannem Baptistam S.Clementis Cicadam, ac Ioannem Suauium S.Priscæ Reumanid, necnon Michaelem S.Sabinæ Ghyslerium,& Clementem S.Mariæ in Aracæli Monialium,& Ludouicum S.Cyriaci in Thermis Simonetā & Carolum S.Martini in Montibus Borromęum (hic à Papa Paulo V.canonizatus, & in numero Sanctorum repositus) Presbyteros, & Vitellosium S. Mariæ in Porticu Vitellium Diaconum, &c. nunc §.1. adiungit nouum Inquisitorem Franciscum scilicet Alciatum tit. S. Susannæ Cardinalem, &c. Quanquam statim §.2.sic limitat: *Insuper pro faciliori causarum expeditione, & terminatione statuimus, decernimus, & ordinamus, vt quidquid per maiorem partem S.Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui in Congregatione prædicto officio interuenerint, seu cōuenerint, dictum, gestum, statutum, ordinatum, decretum, terminatum, seu sententiatum extiterit, sit validum, & firmum, ita & taliter, quod nullo modo impugnari possit, perinde ac si omnes, & singuli Cardinales prædicti in dicta Congregatione conuenissent, & maior pars consensisset, &c.*

6 Hanc decisionem Pij IV. non multo post approbauit, & confirmauit Pius V. Sanct. mem. sua constitutione incipiente, *cum fel. rec.* in qua infra, rem magis stringendo, totum negotium reducit ad duos tantum Cardinales Generales Inquisitores,ita vt si isti soli intersint Sacræ Cōgregationi, alijs fortè ob aliquam causam impeditis, vel sine ea absolutè non conuenientibus, quicquid ab illis duobus tantummodo resolutum, atque determinatum fuerit, adeò validum, & firmum esse decernit, ac si omnes simul Cardinales S. Officij Inquisitores in Sacra Congregatione conuenissent, & maior eorum pars consensisset, quod prudentissimè præscribit Sanctissimus Pontifex, vt nunquam negotia Inquisitionis pertractari cessent, quoad fieri possit.

7 Quamquam talia negotia quibusuis alijs merito esse præferenda, & primo loco obeunda testatur idem Pius V. tanquam fidei, & Religionis zelantissimus in prima sui Pontificatus Bulla, vt affert Cherubinus incipiente, Sanctissimus Dominus noster, &c. qua primo præcipit quibuscumque suis officialibus in Curia, & extra eam existentibus Gubernatoribus Prouinciarum,&c. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & indignationis Sanctitatis suæ, & alijs arbitrio ipsius, & Cardinalium Inquisitorum Generalium pœnis infligendis, vt eisdem Cardinalibus Inquisitoribus in quibusuis officiis Sanctę Inquisitionis concernentibus prōptissime obediant, deinde Reges, & quosuis Principes sæculares rogat,vt ipsis Cardinalibus Inquisitoribus, & eorum Officialibus auxilium præstent, & præstari faciant à suis Magistratibus in similibus ad Sanctum Officium spectantibus. Denique disponit in eadem Bulla, vt carcerati quicumq. in carceribus non S. Officij pro quibusuis delictis, & delictis etiam atrocibus, si de crimine ad S. Offitium pertinente fuerint delati, aut denunciati, suspensa aliorū criminum inferiorum cognitione,transmittantur sine mora ad eosdem Cardinales,& Inquisitionis carceres, vbi retinendi, vsque ad expeditionem causæ fidei totaliter, & postea remittendi ad priores carceres pro expeditione aliorum criminum, vt fuerit de iure iudicatum.

8 Insuper idem Pius V. alia constitutione inchoante, inter multiplices, &c. reducit ad terminos iuris quascumque litteras Apostolicas in causas hæresis emanatas, & reuocat easdem quatenùs contrariæ sint dispositioni, iurisdictioni, ac stylo Inquisitionis fidei, & declarat,quod sententiæ in reorum Inquisitorum fauorem cōtra dictum stylum, & dispositionem datæ, & ferendæ,nunquam transeant in iudicatum. Vnde concedit facultatem Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus reuidēdi huiuscemodi causas, non obstante, quòd tales sententiæ videantur à Sede Apostolica cōfirmatæ. Inductus est Pius V. sanctæ memoriæ ad sic disponendum, quòd ipse dum in minoribus esset, Inquisitor fuerit, & abusus,de quibus in exordio huius constitutionis, agnouerit, in fine confirmat Bullam Pauli IV. quoad pœnas hæreticorū, & schismaticorū, sed de hoc nos opportunius lib.6. Reg.multipl.

9 Non institutionem, vt volebat Morillus, sed confirmationem huius Sacræ Congregationis Sancti Officij habemus à Sixto V. Bulla incipiẽte, *Immensa æterni* Dei §. 1. in primis de hoc agitur: vbi primo in laudes, & encomia eius prorumpit, & concessa ipsi ab alijs Summis Pontificibus denuo concedit, & corroborat per sequentia verba: *Congregationem S. Inquisitionis hæreticæ prauitatis, magna prædecessorum nostrorum prouidentia, tanquam firmissimum Catholicæ fidei propugnaculum in Vrbe institutum, &c. Nos quoque confirmamus, & corroboramus, illiusq. omnia instituta, omnesq. & singulas facultates à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque authoritatem, & potestatem eis cõmunicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, &c. non solum in Vrbe, & Statu temporali nobis, & huic S. Sedi subiecto; sed etiam in vniuerso terrarum Orbe, vbi Christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Archiepiscopos, &c. confirmamus, &c.* Deinde agitur de indultis circa ministros huius Sacræ Cõgregationis; & proponitur hortatio ad Principes, & ad alios, vt ei faueant, &c. Tandem limitatio circa Tribunalia S. Inquisitionis Hispaniarum, &c. de qua iam supra Prolegomeno 4. n. 3. & infra iterum attingetur.

10 Vltimo loco Clemens VIII. Anno 1601. edidit etiam constitutionem incipientem, *Sanctissimus Dominus noster, &c.* in fauorem, & augmentum S. Congregationis S. Officij in Vrbe erectæ, & consequenter in huius multo maiorẽ progressum; nam postquam in ea sic disponit, vt causæ, & negotia quouis modo spectantia ad S. Inquisitionem cognoscantur, & expediantur omni, qua decet, integritate, amotis quibusuis sordibus, ac pecuniarijs solutionibus, omnes inposterum Patriarchæ, episcopi &c. in causis, & negotijs sancti Officij pro quouis actu, seu quacunq. expeditione nihil omnino exigant, & recipiant, etiam à sponte dantibus; sed gratis omnia expediant: Idem iniungẽs eorum Secretarijs, Cancellarijs, & Notarijs, etiã pro scripturis, seu copijs processuum &c. quæ ad vniuersalem Inquisitionem Romanam mittuntur, nihil exigant, sed gratis illas mittant. Item præcipit statim dictis Ordinarijs, & eorum Vicarijs atq. officialibus, vt quoties aliqua notificãtur, & iniunguntur nomine supradictæ Inquisitionis Generalis, quamprimum iniuncta executioni mandent, complete obediant, & litteris Sacræ congregationis rescribant &c.

11 Ex quibus omnibus, & ex alijs, quæ breuitatis causa omitto, manifestè patet, quanta sit Maiestas, & authoritas, quanta potestas, & iurisdictio, quamq. rectus modus procedendi, seu stylus huius Sacræ Congregationis: sed manifestius ista colligo ex tribus præcipue capitibus, Primo ex quantitate, seu numero, & qualitate personarum, ex quibus constat, nam præter decem, aut duodecim Eminentissimos, & Reuerendissimos DD. Cardinales (tot circiter esse solent, pro celeritate, aut tarditate in præficiẽdis à Papa nouis loco demortuorum, vel omnino discedentium ab Vrbe) & præter Assessorem, ac Commissarium, & Promotorem fiscalem plures Prælati sæculares, & Religiosi valde insignes viri, atque eximiæ doctrinæ, vti Consultores eam ingrediuntur, Generalissimus scilicet seu caput totius Ordinis, & Magister Sacri Palatij quicumque pro tempore existunt ex Illustrissima Religione Dominicana, illi item, qui postquam in aliquo loco, vel Prouincia, vt in hac Insula Melitensi per aliquot annos munus Inquisitoris exercuerunt, permagni æstimãt ad officium Consultoris in ea ascendere, ex quibus fuit D. Illustrissimus Fabius de Lagonessa Archiepiscopus Consanus, & Patriarca Antiochen. D. Illustrissimus Ludouicus Seristorius Episcopus Corthonensis, atque alij huiusmodi. Item

12 colligo ex multiplici iteratione eiusdem Sacræ Congregationis; ter enim singulis hebdomadis cogitur ad tractanda, & maturanda magis negotia S. Officij, die Lunæ, vel Martis conueniẽtibus solis DD. Assessore, Commissario, Promotore fiscali, Consultoribus, & alijs inferioris Ordinis: vbi discutiuntur dubia hinc, inde, sed nihil deciditur: post die Mercurij simul etiam cũ Eminentissimis DD. Cardinalibus veris Fidei Inquisitoribus, & Iudicibus; ac tunc proposita & discussa præcedenti die deciduntur: tandem die Iouis astantibus omnibus prædictis corã Sanctissimo Domino Papa, & decisa reuidentur, & approbantur, vel secùs; & hoc est tertium, & præcipuum ex illis tribus; quid enim honorificentiùs? quid maioris authoritatis huic Sacræ Congregationi, quam ipsi præsidere eũ, qui toti Orbi Christiano præest? sicque exequi nunquam omittit, nisi forte infirmitate aliqua corporis præpeditus, etiam ab antiquo ita vsus tenet ante tẽpus Syxti V. vt patet ex citata sæpius constitutione, *Immensa æterni Dei, &c.* vbi ipse per hæc verba, *Congregationem S. Inquisitionis, &c.* cui ob summam rei grauitatem Romanus Pontifex præsidere solet, &c. Imo hinc crederem eumdem Paulum III. qui hanc Congregationem instituit, ei quãdoq. præesse consueuisse, postpositis alijs negotijs, tametsi caussam instituendi assignet, per hæc verba: Nequentes per nos solos, alijs etiam arduis occupatos curis, omnia exequi. sed hoc de Paulo III. dubitanter dico, idem vero indubitanter assero de Paulo IV. cum citato Additionatore Andrea Vittorello ad eius vitam, qui id desumit ex Pãuinio per hæc verba *Totùm se*, inquit *Inquisitionis muneri dedit, instituitq. vt eius tribunalis causæ, quæ lectorum Cardinalium auctoritate terminari solebant, coram Romano Pontifice die semel in hebdomada statuto cognoscerentur.* hactenus Vittorellus, seu potius Pãuinius. Atque hinc forte occasio erroris Famiani, & aliorum dicentium institutam fuisse sacrã Congregationem S. Officij à Paulo IV. sed aliud est hoc, aliud verò Summum Pontificẽ ipsi præesse; quamquam id valde excellens, & summæ æstimationis. Variæ enim Congregationes institutæ sunt in Vrbe, quatuordecim à Sixto V. per prædictam Constitutionẽ, *Immensa æterni Dei, &c.* duæ à Clemente VIII. altera per Bullam, incipientem, *Pro cõmissa, &c.* altera per Bullã incho-

inchoantem *Iustitiæ,&c.* nouissimè verò vna, & quidem valde celebris de Propaganda fide à Gregorio XV. per constitutionem 26. incipientem *Inscrutabilia,&c.* sola tamen congregatio S. Officij hac valde honorifica, & præexcellenti prærogatiua gaudet, eaq. merito incessanter gloriatur, quòd ipsi Sanctiss. Rom. Pontifex soleat præsidere.

12 Ad imitationem, & exemplum quoquo modo, sed non ad æqualitatem Congregationis S. Officij Vrbis, variæ extra eam in Prouincijs, in Ciuitatibus, & locis, vbi Tribunalia Inquisitionis contra hæreticam, et apostaticam prauitatem erecta sunt, Congregationes etiam ad eundem effectum institutę: omitto nunc hanc Melitensem, quod de ea commodiùs, & plenius infra; de reliquis per Italiam, & alibi dispersis vnum tantum verbum in communi. Nã siue Inquisitor Delegatus à Papa, vel à S. Cõgr. Vrbis, pro Ciuitate, vel Diœcesi v.g. Boloniẽsi per se ipsum solum procedat, vel simul cum Ordinario loci, Episcopo videlicet, vel eius Vicario, aut Commissinoato, quod ibi obseruari audio siue pro formatione totius processus cum examinatione testium, & inquisiti multiplici constitnto, vt in illo, & alijs locis assolet, siue pro sola expeditione causę, & finali sententia, vt alibi obseruatur, semper tamen pro discutiendis articulis, & capitibus pręcipuis cuiusuis causæ Congregatio cogitur ex Consultoribus Theologis, & iurisperitis non paucis, atque ex alijs officialibus complete constans, & quod à maiori parte Consultorum eius approbatur, & deciditur, hoc vt plurimum decisum, & roboratum manet, tam etsi Consultores alicubi votum decisiuum non habeant, de quo postea suo loco. sic à Viris fidedignis, & in materia, ac stylo istarum Congregationum expertissimis, vt ab Illustrissimo D. Paulo Bouio Episcopo Bagnarensi, & ab Illustri admodum D. Iacobo Stirpiano V. I. D. & huius Diœcesis Melitensis, ac prius alterius in Regno Neapolitano, Vicario Generali, atque ab alijs accepi: Quibus omnibus de Institutione congregationum quarumcumq. S. Inquisitionis, & de progressu, fructuq. ab eis percepto, dicta sint satis.

PROLEGOMEN. IX.

De multo maiori progressu Tribunalium Sanctæ Inquisitionis proueniente ex institutis supremis Consilijs, & alijs pro Regnis Hispaniæ, & Lusitaniæ, &c. contra hæreticam prauitatem, &c.

1 **S***Alus autem, vbi multa consilia* Prou. 11. ait Sapiẽtiss. Salomon, & idẽ repetit ferè eisdẽ verbis c. 24. *Et erit salus, vbi multa consilia sũt.* Quæ species locutionis cum vtrobiq. per terminos vniuersales, indeterminatos, ac indefinitos proferatur; licet possit intelligi tã de salute corporali, aut tẽporali cuiusq priuatæ personę, vel etiam totius communitatis, aut Reipublicę, quam de salute spirituali animæ alicuius, vel plurium simul, Christianitatis, aut particular. Ecclesiæ, conducente ad vitam æternam; meritò tamen hic, attento nostro instituto pro hoc secundo potiori, & digniori analogato, seu significato suscipimus, imò pro huius prima, & magis fundamentali parte, nempe pro fide. Primum namque, ac pręcipuum fundamentum Diuinæ salutis est fides Catholica, & cum in tãtum salus in anima existat, in quantum beneplacita est Deo, cumq. *sine fide impossibile sit placere Deo*, vt ait Apostolus Hebręorum 11. à primo ad vltimum clarè deducitur ad salutem spiritualem acquirendam, & conseruandam, atque ad exterminandum id quod ei primario opponitur, hæresim scilicet, necessaria esse multa consilia: optimè itaq semel, atq. iterum affirmat Salomon: *Salus autem vbi multa consilia.* Sed quid de consil js istis? qualis nam interpretatio circa ipsa? num de multitudine Consiliariorum, vel Consultorum ad discussionem capitis cuiusuis, vel articuli in causis fidei? An vero de iteratione eiusdem consilij pro eodem negotio diuersis diebus, vel temporibus? Item numquid qualitas Consultorum hic exprimitur, quod debeant esse capaces præbendi consilium opportunum, & multiplex pro diuersitate

2 rerum, & negotiorum? Ex vniuersalitate, & indeterminatione locutionis, vt dixi & ex proprietate, vel radice verbi Hebræi, & Græci, latissimus his omnibus versionibus, ac interpretationibus ad rem nostram, haud dubiè faciẽtibus, patet campus, quod noster Doctissimus Ferdinãdus Quirinus de Salazar ad cap. 14. Prouerb. bene adducit. Ex Hebręo ad verbum. *Salus autem in multitudine Consilij*, fere idem ex Græco, seu ex Sept. *Salus autem in multo Consilio.* Tandem ex Symmac. & Theod. *Salus autẽ in homine multi consilij*. Ex quibus omnibus iam in communi clarè innotescit, quantus progressus promanarit, & sẽper promanet, quãto item maioris augmenti accessio facta sit, indiesq. fiat officio S. Inquisitionis ex institutis consilijs supremis, & alijs pro Regnis, & Dominijs Hispaniæ, & Lusitaniæ. Cum equidem ad ista in vtroque loco Prouerb. respexisse Salomon videatur, secundum quamcumque versionem illa accipias, sed de ijs in specie, ipsorumque institutione pauca liceat dicere.

3 Iuxta priuilegium in diplomate Sixti IV. Regibus Catholicis concessum, vt dictum iam supra Prolegomeno 4. nu. 4. erectum supremum Tribunal S. Inquisitionis in Regnis Castellæ, & creatus Maior, seu Generalis Inquisitor Fr. Thomas Turrecremata: qui nullum dubium elegerit statim, & adiunxerit sibi consiliarios diuersos, concurrente semper simul circa hanc electionem, & coniunctionem, & circa alia hùc spectantia auctoritate, & bẽneplacito Pontificio, ac Regio, vt per eos vna simul cum ipso negotia S. Inquisitionis maturius tractarẽtur, sicq. iam ex tunc Consilium Officij Inquisitionis pro Regnis, & Dominijs eorumdem Catholicorũ Regum, institueretur, stabilitumq maneret, atque vtraq. d. auctoritate, & diuersorum virorum consilio, & decisione expeditiones causarum fidei maiori cum exactione prout de iure, &

 stylo

stylo prodirent. Quinam autem fuerint primi illi Consiliarij, seu Inquisitores socij Generalis; Quinam etiam istorum successores, nequaquã constat; si equidem mihi constaret, exprimerẽ hic perlibenter eorum nomina; & cognomina, insignia etiam, atque gradus, &c. Quoad numerum verò eos fuisse iam ex eo tẽpore quatuor, seu potius quinque adiuncto Generali Inquisitori, qui constituerent hoc supremum Consiliũ testatur Fr. Didacus Morillus vbi supra tract. 2. cap. 21. vers. *Vease lo que escriue, &c.* cum Ludouico Paramo lib. 2. tit. 2. cap. 4. successu autem temporis, inspectis ingentibus fructibus pro defensione fidei Catholicæ, & extirpatione heresum inde prouenientibus auctoritas huius supremi Consilij, cooperatione Pontificia, & Regia, perpetuo excreuit, auctusq. numerus consiliariorum, seu Inquisitorum, itaut hodie ex septem coalescat, et Paramus loco citato addit duos Consultores cum voto decisiuo, præter nostros inferiores, vt Promotorem fiscalem, & Capitaneum; Item pręter Consultores, & Procuratores pauperum reorum, de quibus numero sequenti agetur.

3 Institutio consiliorum particularium S. Inquisitionis pro Regnis, seu Prouincijs, & Dominijs Regis Catholici clarum est, pertinuit semper ad pręd ctos Cõsiliarios, seu Inquisitores supremi Consilij, sed pręcipuè ad Inquisitorem Generalem iuxta dispositionẽ Diplomatis Sixti IV. & aliarum Bullarnm successorum Pontificum Romanorum, quibus Bullis electi à Rege Inquisitores Generales per ipsos confirmantur, & cõcessa facultate habiles ad id præstandum redduntur. Institutio autem talium Consiliorum S. Inquisitionis fuit executa primo aucto numero Inquisitorum, vbi enim antea vnus tantum, vel duo soli creati, vt vidimus supra, plures dein, ad minus tres, hoc munus inquisitionis ibidem simul exercent sic in triplici Regno Coronæ Aragonico, Gotholano, & Valentino; sic in vicino huic Insulæ Regno Siculo; sic in Bœtico, Granatensi, Nauarrensi, etc. Executa item adiunctis præter ministros Promotorem fiscalem Notarium, etc. varijs doctissimis viris Theologis, et iurisperitis; qui officio Consultorum funguntur; qui etiam ad quęcumque capita cuiusuis causæ fidei tractanda, & expedienda admittuntur. Quod si aliquis ex his procurationem alicuius Episcopi, vel aliquorum habeat, & vt procurator eius, vel eorum sanctæ Inquisitionis Consilium ingrediatur, quoad negotia fidei spectantia ad Diœcesim illius, vel ad Diœceses illorum, votũ decisiuum ferre solet; sicut de iure ferrent idem Episcopi; si Consilium Inquisitionis ingrederentur: (circa hoc peculiare, quod obseruetur in istoTribunali Melitẽsi, opportunius infra Prologomen. vltim. dicetur) Quoad alios autem Consultores, qui Episcopi alicuius procuratione carent, attendendus est stylus cuiusq. Tribunalis seu Consilij Inquisitionis, ad resoluendum an votum decisiuum, vel potius solummodo consultiuum ferant: in Lusitania votum decisiuum habent, vt ait Antonius de Sousa lib. 1. cap. 1. num. 14. sed de hoc statim.

5 Pro Regnis, & dominijs Regni Lusitaniæ, fuit simul institutum supremum Consilium sanctæ Inquisitionis, atque Tribunal erectum, & primus Generalis Inquisitor creatus, nempè D. F. Didacus de Sylua, vt traditum supra Proleg. 8. num. 6. Hic namque postquam die 5. Octobris anni 1536. Dignitatem hanc Inquisitoris Generalis instante Rege D. Ioanne III. acceptauit, (tametsi à Summo Pontifice Paulo III. iam 23. die Maij eiusdem anni ad eam euectus fuerat tamdiu pro eximia animi submissione, & perfectione religiosa, acceptationem eius distulit, seu potius ipsam per tot menses acceptare recusauit) die 10. Octobris transactis scilicet 5. tantum diebus ab acceptatione, quatuor simul Consiliarius, seu deputatos, vt ibi etiam vocat, sibi asciuit, quibuscum omnia Generalis Inquisitionis negotia iugiter perageret, cum voto eorum decisiuo, videlicet Rodricum Lopez de Carauallo V. I. D. Protonotarium Apostolicum, & Ecclesię Eborensis Canonicum: Item Ioannem de Mello Iuris Pontificij Doctorem, qui postea factus est Siluensis, seu Algarbiensis Episcopus, & inde Archiepiscopus Eborensis (hi duo tametsi demortuo Sylua ab exercendo munere Consiliarij destiterint, ad idẽ tamen supremum Consilium Inquisitionis à Serenissimo Cardinali Henrico denuò vocati vt in negotijs fidei valdè practici) tertio Gundisaluum Pinheiro sacrorumCanonum Licentiatum Canonicum Eborensem; quarto Antonium Rodricum de Monsancto V. I. D. En quam in initio supremum hoc sanctæ Inquisitionis Consilium ex his quatuor que iuris adeo insignibus pręter alios officiales institutum vides: & tradit copiosius idem Sousa.

6 Dubitandum autem non est præfatum supremum Consilium exercuisse postea pluribus Cõsiliarijs, saltèm vsq. ad numerum septenarium, vt paulò ante de alio simili Consilio dicebamus vt Lusitania, Castellæ ęmula in nullo ei cederet imò crederem illud maiori Consiliariorum numero auctum, licet non exprimat Sousa, & hoc inde colligo, quod Serenissimus Cardinalis Henricus, statim atque munus Generalis Inquisitoris secundo loco suscepit, breui tempore, pręter quatuor prædictos, quinque alios Consiliarios, seu deputatos sibi adiunxerit: & paulò post ex vi nouæ Bullæ Pauli III. non simul, sed successiuè octo elegerit, & inter hos Gregorium Serrano è nostra Societ. Iesu egregiũ doctrina, & virtutibus virũ. Nec dicat quis loco decedentium è vita hos electos, & illos adiũctos, cũ adynaton fere sit tot eo tempore demortuos, licet aliqui è vita discessissẽt. Notat hic P. Sousa omnes istos Consiliarios, seu deputatos supremi Consilij S. Inquisitionis à tẽpore Sereniss. Infantis Henrici, quo maiori auctoritate munus suũ gererent fuisse etiã institutos Consiliarios Regis & ex tunc vsq. ad pręsens stabilitũ mansit, vt eo ipso, quod quis est Consiliarius supremi Cõsilii Inquisitionis sit etiã Cõsiliarius Regis, & ad ferendũ ipsi Consiliũ admittatur. Post Sereniss. Infantẽ Henricũ ab alijs similiter Inquisitoribus Gẽn. de quibus iã supradictũ, eius successoribus nõ pauci Cõsiliarij, seu deputati pro eod. Cõsilio supremo S. Inquisit. creati fuere, pręcipue tres de Illu-

Illustrissima Familia Dominicana, postquam à Catholico Rege Hispaniarum Monarcha Philippo III. seu Lusitaniæ hoc nomine secundo, istud Priuilegium Prouinciæ Portugalliæ Prædicatorum in perpetuum fuit concessum die 30. Octobris 1614. vt ex ea creari possint in Consiliarios seu deputatos supremi Consilij S. Inquisitionis, & consequenter Regis Consilij supremi. Primo itaq. ab Illustrissimo D. Petro de Castilho nono Inquisitore Generali creatus fuit D. F. Emanuel Coelho Ordinis Prædicatorum S. Th. Magister Regius Concionator, olim librorum censor, & S. Officij Qualificator: deinde ab Illustrissimo D. Ferdinando Martins Mascarenhas decimo Generali Inquisitore electus fuit die 19. Maij 1622. Consiliarius supremi Consilij Inquisitionis D. Fr. Ioannes de Portugal Ordinis Prædicatorum S. Th. Magister, postea Episcopus Vicēsis. Tandem ad eundem gradum Consiliarij supremi Consilij Inquisitionis, & Regij ab eodem Illustrissimo D. Ferdinando Martins pro meritis euectus est die 8. Iunij 1626. D. Fr. Antonius de Sousa ex eodem Ordine Prædicatorum S. Th. Magister deputatus antea S. Inquisitionis Vlyssipponensis: A quo in his paucis exprimendis ex pluribus, quæ circa Consilium supremum Inquisitionis Lusitaniæ, & circa Consiliarios eius tradit, quasi manuducti dirigimur, cui etiā tanquam practico in hac re, & omnino experto adhibenda merito fides in eo, quod affirmat, vbi supra, Consiliarios scilicet, seu deputatos huius supremi Consilij habere suffragium in causis Fidei decisiuum, sicut & ipse Inquisitor Generalis.

8 Quoad alia Consilia Inquisitionis particularia, seu Prouincialia, vt Vlyssipponēse, Eborense, Conimbricense, Goanum in India Orientali, & si quæ sūt alia, nihil si particulari occurrit exprimendum, præterea, quæ de similibus Consilijs Fidei Prouincialibus nu. 3. tradidimus. Cum discrimine tamen inter ipsa ibidem obiter tacto, de ferendo à Consiliarijs, vel Consultoribus suffragio decisiuè, vel secus: in Lusitania enim semper decisiuum habent, teste Antonio de Sousa vbi supra, nequaquam tamen in alijs Cōsiliis S. Inquisitionis Prouincialibus Hispaniarū nisi stylus alicuius rationabiliter ita ferat, aut ipsi Consiliarij, seu Consultores, vti Procuratores Episcoporum Consilium Inquisitionis ingrediantur. Opportunè itaque sapientissimus Salomon Salus autem, vbi multa consilia, idest iuxta lectionem Hebraicam, salus autem in multitudine consiliariorum, seu vt Pagninus, & Caietanus, in multitudine Consultorum. Nam vt est tritum vulgi prouerbium, plus vident oculi, quam oculus. Hinc haud dubiè salus, hinc puritas Fidei Catholicæ, & integritas sarta tecta in Regnis, & Dominijs Regum Catholicorum, vt in plurimum mansit (cum in multis exteris interim ferè omnino deperierit) ex multitudine videlicet Consiliariorum, seu Consultorum, quod pluribus ex his Consilia Inquisitionis sacræ, tam suprema, quam particularia, seu Prouincialia constare consuescant.

9 Iam quoad qualitatem vniuscuiusque istorū Consiliariorum, seu Consultorum ad salutem prædictam, de qua Salomon loquitur, traductio Symmachi, & Theod. Vno verbo exprimit, qualisnam debeat esse; *Salus autem*, inquiunt, *in homine multi Consilij*, apto scilicet, seu prædito qualitatibus, atque excellentiis requisitis ad congruum, & opportunum consilium præstandum, quoties opus fuerit, pro occurrentium negociorum, vel causarum multitudine; & varietate; de quibus qualitatibus, & excellentijs supersedeo aliquid amplius hoc loco dicere (occurret quidem opportunior occasio dicendi infra lib. 1. regularum multiplicium) & tandem huic Prolegomeni finem imponam, addito vno verbo circa iterationem, & diuturnitatem, seu durationem diuturnam prædictorū Consiliorum, attenta versione Chaldæa, & Græca Septuaginta; *Salus autem in multitudine Consilij, seu in multo Consilio*. Quam frequenter ergo hæc Consilia, siue suprema, siue priuata cuiusq. Prouinciæ cogi solent? quamdiu quoties coguntur in eis demorari? Quam frequenter quæris? singulis penè diebus etiam profestis, & vix vllæ conceduntur feriæ. Quamdiu item quæris? per duas horas ante prandium, per duas etiam à prandio, & vix vlla huius morę admittitur relaxatio: sic audio à viris fide dignis, & in hac materia valde expertis: moderatè dixi per quatuor horas, cum Simanchas tit. 34. n. 16. assignet sex. *Sedeant*, inquit, *sex horis quotidie Inquisitores in Tribunali. Si salus multa, & vix aliter vbi multa Consilia; si ex eis ingentes, & inenarrabiles in augmentum Fidei percipiuntur fructus*.

10 Istorum autem fructuum notitia, & certitudo præter experientiam quotidianam, atque admodum diuturnam, & omnibus notam, deducitur manifestè ex Pontificia censura, & attestatione, quam etsi alibi iam traditam, non piget iterum in mentem tibi reducere, quæ etiam inseruiet, tum pro præsenti instituto, tum pro confirmanda denuò dependentia prædictorum Consiliorum à voluntate cuiusq. Summi Pontificis; ita Sixtus V. Constitutione inchoante, *Immensa æterni Dei &c.* hoc affirmat, in his autem, inquit, *omnibus nostra est intentio, ne in officio Sanctæ Inquisitionis in Regnis, & Dominijs Hispaniarum Sedis Apostolicæ auctoritate superioribus temporibus instituto, ex quo vberes in agro Domini fructus in dies prodire conspicimus*, (en qualiter de fructibus Papa attestetur) *nobis, aut successoribus nostris inconsultis aliquid innouetur &c.* Vbi quamuis non exprimat, quo modo auctoritate Sedis Apostolicæ fuerit institutum, qua specie, aut amplitudine Priuilegij concessum; subintelligitur tamen dependenter quouis tempore ab ipsa Sede Apostolica, seu à Summo Pontifice saltem immediatè. Nunquam enim præsumitur, quod in concessione alicuius Priuilegij, maxime in rebus spiritualibus, & Ecclesiasticis spectantibus ad regimen Ecclesiæ, intendat Papa sibi, aut successoribus suis præiudicare circa reuocationem, aut modificationem, vel diminutionem ipsius ex causa sibi beneuisa; nec rationabile videtur, cum inde non exiguum ipsi Ecclesiæ detrimentum proueniat si similia Priuilegia cū omnimoda indepēdentia

à Sede Apostolica concedantur, neque video qua ratione habeat hic locum, id quod audio, in contrarium ab aliquo deduci, nempe fuisse concessum priuilegium in vim contractus pro fundandis Tribunalibus, & instruendis Consilij Sanctæ Inquisitionis in Regnis, & Dominijs Regum Catholicorum. Verum id alijs copiosius discutiendum relinquo; mihi quod verius putò attigisse sit satis, vt iam tandem ad nostrum Tribunal Sanctæ Inquisitionis Melitense accedamus.

PROLEGOMEN. X.

De prima origine Tribunalis Sancti Officij, & de eius progressu ex sola iurisdictione Ordinaria, in hac Insula Meliten & alijs ei adiacentibus contra hæreticam prauitatem.

1 DE Egregio illo Ecclesiæ Doctore Sancto Augustino memoriæ proditum communiter dicitur (quamquam de alio alij referunt) quod tria potissimum aspicere valde in optatis habuerit, & quidem si eorũ aspectu, vel semel frui sibi licuisset, se admodum felicem reputasset, videlicet. *Rrmam veterem triumphantem, Christum Dominum in hoc Mũdo cum hominibus conuersantem, & Paulum Apostolum Gentibus prædicantẽ.* Quidquid sit de huiusce rei veritate, ò te felicissimam Melitam, cui etsi non omnium trium, tertii tamen aspectu, haud semel tantum, verum multoties frui licuit, ò vos ter, quaterq. Beates antiquos istarum Insularum incolas, quibus sorte cõcessum, toto trium mensium spatio, & audire, & videre quotidie Sanctum Apostolum, non solum euangelizantem, sed corda etiam vestra ad veram, & Catholicam Fidem conuertentem? O vos antiquos Melitenses cum posteris vestris, qui adeo humanos, & libera es erga Paulum, & socios naufragos præstitistis, vt expresse habetur in sacro Textu. *Præstabant nobis non modicam humanitatem &c.* & infra, *multis etiam honoribus honorarunt, & nauigantibus imposuerunt, quæ necessaria erant*, Act. Apost. cap. 28. Vos, inquã, adeo fortunatissimos! cur quæso? (percurram breuissime quandoquidem occasio fert) pro beneficiis acceptis multo plura, & sine comparatione maiora beneficia, seu priuilegia à Sancto Paulo Melitensibus repensa; Vnde Arator ita canit.

Mensibus hybernis tribus in Regione Melitæ
Multiplicem dat Paulus opem.

2 Quæ ad septem capita noster Cornelius à Lapide super textum citatum iuxta ibi expressa, & iuxta relationem per Patres nostros Melitẽses, Viros graues, & eruditos acceptam, seu sibi transmissam reducit, cur quæso? audiatis quæso; quod tam tempestiuè, adhuc Ecclesia Matre nostra ferè in incunabilis existente, ad huius gremium Vos Paulus traduxerit; illius enim in vestris oris naufragium à clemẽtissimo Deo huc directum nullus est qui dubitet. Cur item nos fortunatissimos? Quod socios suos naufragos ferè 276. apud vos statim post naufragium baptizauit, vt istorum exemplo facilius sine mora omnes ad baptismum induceremini. Cur etiam? quod ad prædictos effectus cõuersionis, & Baptismi vestri per tres menses cum S. Luca, Sancto Aristarcho, Sancto Trophimo, & cum alijs socijs hic permanserit, & habitauerit in Crypta quadam suburbana Ciuitatis Veteris; quæ proinde vti monimentũ Sancti Pauli, & Sanctuariũ summæ venerationis, vobis, posterisq. vestris, atque simul exteris totius Christianitatis, pro soluendis votis, fundendisq precibus permansit, ac in posterum permanebit. Cur dein? quod scorpiones, & serpentes, & quæuis similia animalia venenosa, seù in hoc vestro solo nata, seù aliunde huc adducta, veneno omnino deponãt; & quod terra, seù lapis Melitensis non solum ex prædicta Crypta, sed ex quouis etiam alio loco sumpta quosuis morsus venenosos, etiam canum rabidorum miraculosè sanet, valeat item contra febres malignas, dyssenteriam, variolas toxica &c. Cur præterea nos, posterosq. nostros fortunatissimos? quod vobis S. Paulus perpetuum se vestrum defensorem obtulerit, præstiteritq. has Insulas sæpiùs defendens ab hostium incursibus; maximè anno 1470. contra Mauros octodecim millia Ciuitatem veterem iam inuadentes, indutus stellata veste, quali depictus hodie visitur in Ecclesia Cathedrali, apparuit equo insidens, gladium vibrans innumera multitudine stipatus, illorum magnam partem fugauit, & partem omnino interemit. Cur sexto tam felix nobis fortuna? quod ad vestram, posterorumq. vestrorum consolationem, & pietatem erga Sanctissimam Deiparam Virginem Mariam eius Immaginem à S. Luca depictam vobis reliquerit. Cur tandem nos, & posteros nostros multo feliciores? Cur? hoc vnum præ cæteris attente audite, & magnificate, quod semen Catholicæ Fidei, aut doctrinæ Euangelicæ in hoc vestro Campo Melitensi à Beato Paulo semel sparsum, ita feliciter radices egerit, vt ex tunc iugiter vsque ad præsens tempus fructus vberes protulerit; dicam clarius, quod Melitenses à Fide Diuina à Sancto Paulo accepta numqnam defecerint, pro quo ingentes gratię Deo reddantur.

3 Verum vnde nam (quæso hæc prærogatiua, hoc priuilegium adeo excellens, & singulare, vni Romæ, & vix alteri Ciuitati, aut Prouinciæ concessum? (Coloniæ Agrippinæ idem à Deo donatum, teste eodem Cornelio à Lapide vbi supra, vt quid valdè rarum ob merita Sanctorum Martyrum Thebeorum, & vndecim millium Virginum, ibidem quiescentium: vnde de ea ita canitur.

Ex quo fidem accepisti
Recidiua numquam fuisti
Ciuitas pernobilis.

Quod egregia quadrat huic nationi Melitensi) Vnde nam quęris prouenerit? nullus sanæ mẽtis negabit, inde originem, quod S. Apostolus non

non solum tunc initio seminatoris; sed quouis etiam tempore veri Iudicis in causis Fidei, vel per se ipsum immediatè, vel per suos ministros, & successores mediatè munus exercuerit, nec permiserit lolium, seu zizania errorum, aut hęresum puro Fidei tritico aliquādiu intermisceri quandoq. si fortè aliquando semina zizaniæ furtiuè sparsa nascerentur, quamprimum euelli curauit, neq. hinc errores contra Fidem omnino prævalere potuerint; etiamsi Mauri, & alij Infideles has Insulas occupauerint, tenuerintq. per trecentos, & amplius annos.

4 Dixi per se ipsum immediatè, quia statim post eius conuersionem Iudex in causis Fidei creatus, vt traditum iam Prolegomeni 1. num. 42. & 43. vbi perpendimus illud Psal. 44. *Constitues eos Principes super omnem terram*: & nequaquam sine fundamēto asseruimus, quod magna pars huiusce principatus in fungendo munere iudicandi causas Fidei, consisteret, quodq. Sancti Apostoli Iudices legitimi dictarum causarum manerent constituti, vbicumque doctrinam Fidei Catholicæ prædicassent, circa illos, qui eam recepissent sacro Baptismo abluti tantum, & non circa alios, *Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? &c. Deus iudicabit &c.* prima Corint. 5. ait ipsemet Paulus. Vnde hic vbi primum ad Fidem Catholicam amplectendam Principem Publium (cuius Pater tunc febribus, & dyssenteria periculosissima, miraculo eiusdem Apostoli sanitati fuit restitutus, sicut similiter restituti alij) & quoscumq. eius subditos, atque incolas vniuersos adduxit, diuinoq. lauacro intinxit, ad Principatum spiritualem istarum Insularum ascendit, & ipsum possedit etiam postquam hinc discessit, quandiu vixit, officiū vigilantissimi Pastoris exercendo Quamuis enim absens corpore, spiritu tamen, & mēte hic semper præsens erat, vt in simili casu idemmet Apostolus causam Fidei pertractans, & expediens de se ipso sic affirmat. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens eum, qui sic operatus est.* 1. Corint. 5. vt eodem Prolegomene 1. supra à nobis traditum.

5 Dixi mediatè per ministros, aut successores suos: quod in primis de Episcopis, ante, & post eiusdem Apostoli mortem, vel per ipsum Sanctum Paulum, vel per alios, quorum Iuris erat, creatis intelligi debere quis est, qui dubitet? Episcopi enim iure Diuino, iuxta iam adducta à nobis Prolegomene 11. num 12. in exequendo munere iudicandi causas Fidei loco Apostolorum succedunt vniuersaliter loquendo: atque proinde in particulari quotquot Episcopi istis Insulis Melitensibus præfuerant, in dicto munere successores D. Pauli sunt. Verum iam de primo; præter septem prædicta num. 1. beneficia, seu priuilegia Melitensibus valdè honorifica, & vtilia à Sancto Apostolo eis concessa, en tibi octauum, non minoris honorificentiæ, & vtilitatis. Quod nam? elegit eisdem in Episcopum, statimque consecrauit, quemnam quæso? Lucam ne? an Aristarchum, & Trophimum? aut alium ex socijs antiquis, qui tunc hic cum ipso erant, iam in Fide valde firmi, & circa eam diuersimodè probati? hoc equidem videbatur expedire; nequaquam tamen; sed vnum ex ipsis Melitensibus, Publium scilicet Principem, aut primum, seu principaliorem inter ipsos, in fide Christiana, vt manifestè apparet, admodū Neophitum, seù Tyronem.

6 In tali autem electione, & consecratione circa annum 59. à Natiuitate Domini executa, absit, quis iudicet Apostolum sibi ipsi contrarium 1. Thimot. 3. scribentem, & assignantem inter multiplices virtutes, & qualitates in persona ad gradum, & ordinem sublimiorem Episcopatus promouenda requisitas, hanc in primis: *Non Neophitum, ne in superbiam elatus incidat in iudicium Diaboli.* Quia etiam tametsi ob causam hanc in sacro textu expressam, & ob alias non paucas de lege ordinaria, & ex iure communi rationabiliter sit præscriptum, vt quicumque Neophiti, seù nouelli in Fide, ad quoscumque alios ordines, & à fortiori ad Episcopatum sint irregulares, vix tamen vlla est lex adeò vniuersalis, & stricta, quæ circa casus particulares non habeat aliquam exceptionem, vti habuit hæc de Neophitorum irregularitate quo ad casum pręsentem. Nam S. Apostolus Principem Publiū per illud breue tempus adeò firmum (quæ est summa eius laus, & maior multo, quam quæ ipsi tribui possit) ita radicatum in Fide Catholica vidit, vt prudentissimè iudicarit fore, vt non solum in se eam esset retenturus, absq. periculo vllo retrocedendi, seù ad Gentilismum, aut ad aliam sectam redeundi, sed de ipsa etiam in istarum Insularum incolis integrè conseruanda diligentissimè curaturus, propulsis hæresibus, vel erroribus quibuscumq. si qui fortè postea pullularent, meritò itaq. Publium suum tanquam valdè dignum, & aptum maturo consilio, & non sine Diuini Numinis afflatu S. Apostolus in Episcopum Melitensibus elegit. Atque de hac electione, & consecratione Sancti Publij, & de translatione eius ex præscripto eiusdem Sancti Apostoli ad digniorem Athenarum Episcopatū, vice Sancti Dionysij Areopagitæ translati Parisios nullus est locus dubitandi; cum constet clarè vtrumq. ex Martyrologio Adon. 21. Ianuarij, & Bedæ 18. eiusdem mensis: de eius verò gloriosissimo martyrio apud Eusebium libr. 4. hist. cap. 23. & apud D. Hieronymum Cathalogo Scriptor. Eccles. in quadrato inuenies, quidquid scire cupis Ex eisdem autem Martyrologijs etiam deducitur successorem Sancti Publij immediatum in hoc Episcopatu Melitensi fuisse consecratum à Sancto Paulo Apostolo, quam quam eius nomen ignoratur, sicut, & annus consecrationis, & quidquid ad ipsum spectat.

7 Aliqui quibus non adhęreo hic ad annum ferè 408. reponendum volunt D. Syluanum Episcopum istarum Insularum, tenentes firmiter, quod hic, & alij 332. Episcopi, vna cum Sancto Augustino Ecclesiæ Doctore (cuius conuersio anno Salutis 390. & mors 437. post 40. sui Episcopatus Hippouensi adnotatur) Consilium Meliuetanum in hoc loco gubernante Ecclesiam Innocentio I. celebrauerint, & condemnandū, vti veri Iudices in causis Fidei Pelagium hæresiarcam, & eius sequaces. Verum sicut valdè dubium

dubium est, & controuersum inter Scriptores, in quonam loco fuerit coactũ dictum Concliũ; similiter dubitari debet circa locum, vel Diœcesim prædicti Syluani Episcopi: & quidem ex Scriptoribus plures, ac melioris notæ sic testatur, intra Africam, scilicet in Oppido, seù Ciuitate similis denominationis fuisse celebratum Concilium Meliuetanum, & non in hac Insula, illi adiacente. Non est tamen meum hic dubia ista amplius discutere; videant qualiter decidẽda, qui ipsa ex professo tractant.

8 De alijs Episcopis Melitensibus, vsq. ad annũ 451. nulla extat memoria: supponendum tamen vti omnino certum, electos fuisse dignos tali dignitate, & in exequendo officio iudicandi dictas causas exactissimos, quemadmodum pro illis principijs requirebatur, vt semen doctrinæ Euangelicæ, & fidei recenter acceptæ radices in his locis altius mittere posset, propulsa quarumcumq hæresum zizania.

9 Circa dictum annum 451. vel secundùm alios 450. celebratum fuit sub Sancto Leone Papa I. Concilium Chalcedonense 630. Episcoporum, vt traditum supra Prolegomene 4 num. 8. inter quos numeratur D. Acacius Episcopus Meliuetanus, qui omnes simul tanquam Inquisitores damnarunt Eutychetem Abbatem Constãtinopolitanum peruersissimum hæresiarcham, vnam tantùm naturam in Christo Domino admittentẽ, vt expressum tibi tradidi loco citato. Circa hunc Acacium fortè quis etiam excitabit dubiũ, sicuti excitatum fuit circa Episcopum Syluanũ ob similitudinem nominis Meliuetani.

Successit Acario anno 501. (aliquo, vel aliquibus intermissis, de quibus ignoratur) D. Constantius, qui dicitur interfuisse cuidam Concilio Romano, & consequenter cum Episcopis ibi congregatis officium Inquisitionis exrcuisse.

Deinde circa annum 592. reponitur inter Episcopos Melitenses Lucillus quidam, cui Sanctus Gregorius Magnus scripsit Epistolam, quæ est in ordine 30. lib. 2. Iste ob aliquos excessus ex prescripto eiusdem S. Gregorij ab hac dignitate depositus fertur.

10 Ex hoc tempore vsque ad initium Dominij Saracenorum in Regno Siculo, & in istis Insulis, tres soli earum numerantur Episcopi valdè insignes, & in officio Inquisitionis sine dubio vigilantes, nempè anno 599. D. Traianus ex Prouincia Valeria, qui priùs Syracusis Abbas, & postea à Clero, & Populo Melitensi Episcopus electus. Eius honorifica fit mentio in epistola: lib. 8. S. Gregorij.

Item anno 868. D. Manos, qui inter Episcopos reponitur celebrantes Concilium Constantinopolitanum 8. in quo ab ipsis vti Inquisitoribus Fides Catholica confirmata fuit, & roborata, damnatis quibuscumque hæresibus contra eam.

Anno tandem 878. fuit Episcopus istarum Insularum sanctissimus Martyr secundum relationem M. S. Monachorum Sancti Basilij, sine expressione nominis: quem captis Syracusis Saraceni catenis astrictum, secum adductum, Panormi in vincula coniectum in odium Fidei Catholicæ, & Officij simul S. Inquisitionis mor[te] affecerunt.

11 Per 300. circiter annorum spatium, quo Sa[r]raceni Siciliam, & has Insulas occuparunt, nul[la] mentio de Episcopis, qui tunc hanc Ecclesia[m] gubernarint, & officio S. Inquisitionis præfu[e]rint: quousq. D. Comes Rogerius expulsis Sar[a]cenis è Regno Siculo, & ab istis Insulis, ipsis[s] Episcopum, & Inquisitorem Fidei præfecit [D.] Goffridum, eidemq. restituit, aut tunc prim[ò] donauit redditus, quibus Episcopi Meliten[]ses nunc fruuntur, adiunctis etiam illis Episco[]patus Leontinensis Regni Siciliæ, vt commun[i] plurimorum voce traditum memoriæ posteri[s] quamquam hanc adiunctionem redditũum Le[]ontinensium factam ab alio Rege eiusdẽ Sicil[iæ] magis recentiori probabilius alij auctores affi[r]mant. Anno 1092. D Biraldus Episcopus M[e]litensis.

Propè annum deinde 1123. in Bulla fund[a]tionis Sacræ Religionis Hierosolymitanæ su[b]scriptus reperitur D. Ioannes Episcopus Me[li]tensis, & de eodem fit mentio, secundũ id, qu[od] probabilius communiter habetur in priuileg[io] quodam concesso à D. Rege Rogerio Comi[tis] Rogerij primogenito filio.

Fazellus item Decad. 2. lib. 7. cap 5. circ[a] annum 1163. meminit cuiusdam D. Ioannis [E]piscopi Meliuetani: iste fit ne idem, an diuersu[s] à præcedente? iudicet quicumq. meliùs sent[ire] videbitur. Anno 1140. D. Stephanus .... Anno 1168. D. Ioannes Secundus. An. 125[] D. Rogerius de Cephaludo.

12 Ab anno 1266. vsque ad annum 1284. du[o] Episcopi floruere, quorum nomina ignora[n]tur, dum Melita parebat Carolo Andegauen[si] Regi Siciliæ. Deinde expulsis Gallis à Petr[o] Aragonio creatus fuit Episcopus ann. 1320. D. Nicolaus ... Anno .. D. Alduinus. Anno 1334. Fr. D. Henricus à Cephaludo Ord. Min. Anno 1342. Fra. Nicolaus II. Boneti S. Th. Mag. Ord. Min.

D. Hilarius Conradus Monachus Benedictin[us] ex M. S. Monasterij S. Benedicti Ciuitatis Ca[ta]nensis, anno 1361.

Anno 1372. die 2. Decembris D. Antonius N. successor dicti Hilarij, & per annum tantum hanc Ecclesiam gubernauit, vt deducitur ex instrumento authentico celebrato per Nicolaum Cardaro die 2. Augusti prædicti anni, & 17. Regis Federici &c.

Anno 1392. D. Fr. Nicolaus Papalla Melitensis: qui creditur esse idemet, cui Rex Federicus anno 1347. concesserat regimen, seu rectoriam Hospitalis Melitensis in Ciuitate Veteri, vt apparet ex libro M. S. Regiç Cancellariæ à fol. 19[] & quod hic fuerit Religiosus Sancti Francisci ex Conuentualibus, indicat aliquo modo coniectura illa, esse scilicet hodie coniunctum immediatè Conuentum istorum Religiosorum dicto Hospitali, & ab ipsis Sacramenta infirmis administrari, licet de licentia D. Ordinarij.

Anno 1394. D. Frater Ioannes à Pino Ord. Minor.

Anno 1397. D. Fr. Maurus Cali. Melitensis Ord. Minor.

Anno

Anno 1399. D. Fr. Andreas de Pace Episcopus Melitensis Ord. Min.

Anno 1404 Eminentissimus Cardinalis Conradus Caracciolus, Neapolitanus, ab Innocentio VII. inter Purpuratos Patres adscriptus, Bononiæ sepultus, vt ex historia Pontificali recenter edita clarè constat.

Anno 1406. D. Fr. Marcus Intrusus, qui Episcopatui statim cessisse dicitur.

Anno 1407. D. Fr. Michael de Litteris ad Episcopatum Melitensem ascendit Ord. Min. Catalaunus.

Successor præcedentis fuit D. Valguarnea annus tamen eius electionis, & consecrationis ignoratur.

Anno 1410. D. Frater Ioannes Ximeno Ordinis Sancti Francisci Conuentualis, Magister Theologiæ, Confessor Comitis Vrgelensis, missus ab eo Legatus Barcinonem.

Anno 1412. D. Antonins II. de Platamone Catanensis Benedictinus.

Anno 1434 D Senator de Melo.

Anno 1445. D. Bernardinus de Paternio Benedictinus.

Anno etiam 1445. D. Sepiatore Episcopus Melitensis, vt constat ex Instrumento census Beneficialis Sancti Nicolai de la Melecha in actis Lucæ de Syllato nono Iulij prædicti Anni dicitur reperiri.

Anno 1447. D. Iacobus Paterno Catanensis Benedictinus.

Anno 1478. D. Antonius III. de Alagona Casanensis Benedictinus.

Anno 1479. D. Ioannes V. Paterno Catanensis Benedictinus.

Anno 1480. Dominus Gerardus Aga electus, & statim mortuus ante captam possessionem.

Anno 1484. Eminentissimus Cardinalis D. Foyx e Gallia oriundus.

Anno 1491. D. Paulus dictus la Caualleria, Pisanus

Anno 1495. D. Iacobus II. Valgualnera Assonensis.

Anno 1497. D. Ioannes VI. Borgia Valentinus Cardinalis,

Anno 1507. D. Antonius Corsetto de Ciuitatem Netinensi, de hoc si loquitur Vincentius Littera in libello suo de rebus Nitinis, Antonius, inquit, Corsettus V. I D. ad Melitensem Ecclesiam promotus vix biennio sedit. Romam reuersus, ad maiora etiam aspirans eandem cum Alexandro VI. veneni, & mortis interuexionem subijt anno salutis 1509.

Anno 1509. D. Bernardinus dictus de Bolonia Panhormitanus: huius Procurator Don Bartholomeus de Matthæo possessionem Episcopatus eius nomine suscepit die 21. Octobris 1510. ita ex actis Notarij publici Don Gonsaluo Canchur.

Anno 1511. D. Bernardinus Bonionensis, vel vt alij, Catanaunus: de quo extat memoriæ proditum, quòd anno 1517. condiderit testamentum, vt patet ex actis Magnifici Notarij Pauli Bonello, & reperitur in Registro asseruato in Curia Episcopali Ciuitatis Notabilis Melitensis.

Anno 1514. D. Ioannes VII. de Pelueda Hispanus.

Anno 1516. Raphael; prius Episcopus Ostien.

13 Anno 1519. Eminentissimus Cardinalis D. Andreas la Valle Romanus, Archimandrita, vt constat ex Historia Pontificali, atque de eo fit mentio honorifica in vita Leonis X. per Panuinum.

Anno 1520. D. Bonifacius Catercua Clericus cubicularius, expressus in Indulto Leonis X. pro natiuis, & originarijs Melitensibus circa prouisionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, obtento à Carlo V. Imperatore.

10 Anno 1525. D. Carolus Vrries (huic secundum mentem cuiusdam e nostris succesit Catanensis quidam ex Religione Sancti Benedicti, cuius nomen, & cognomen desumi posse ait ex eius sepultura in Cathedrali Ecclesia, prope sacellū sanctissimæ Trinitatis, vel ex Archiuijs Episcopalibus, vbi etiam affirmat eius testamentum asseruari) Verum quidquid sit de huius successoris veritate prædicti Caroli Vrries bis meminit Iacobus Bosius in Historia Sacræ Religionis Hierosolymitanæ, nempe part. 3. lib. 2 pag. 27. lit. A. & pag 31. litt. D. quòd esset iam nominatus: & præsentatus ab Imperatore Carolo V. ad hunc Episcopatum Melitensem, & quod deberet insigniri magna Cruce, sicut & cęteri Baiuliui, & Priores, supposita acceptatione factæ donationis Religioni præfatæ harū Insularum sub conditionibus à Cesare ipsi assignatis.

14 Anno 1529. circiter D. Balthassar Vvaltkirk, cuius vt ab eodem Iacobo Bosio lib. 5. pag. 81. litt. A. traditur, honorificata fit mentio in scriptura publica, siue in Instrumento authentico firmæ iam donationis irreuocabilis in feudum liberum istarum Insularum factæ Religioni Hierosolymitanæ sub varijs conditionibus, præcipue sub hac, quam apponendam hic verbis ipsis Caroli V. ex dicto Bosio lingua Italica duxi:

Oltra di ciò, che il Ius Patronato del Vescouato di Malta rimanga come è alla dispositione, e presentatione nostra, e de successori nostri nel predetto Regno di Sicilia, Talmente però, che doppò la morte del Reuerendo, e Diletto Consigliero nostro Baldassare Vvaltkirk, Imperiale Cancelliero, vltimamente da noi alla detta Chiesa presentato, ò vero in qualunque altro caso di vacanza, che auerrà per innanzi, debbino il Gran Maestro, & il Conuento di dett'Ordine nominare al Vicere del prefato Regno di Sicilia tre persone dell'Ordine sopradetto, vna de' quali almeno sia, & esser debba dè Subditi nostri, e de' successori nostri nel detto Regno idonee, e sufficienti ad essercitare la detta pastorale dignità. De quali tre così nominati noi, & i successori nostri in detto Regno presentaremo, sarà presentato, ò presentare dobbiamo, e si debba al detto Vescouato, quello cioè, che idoneo giudicaremo, ò giudicaranno; Al quale in tal modo presentato,

tato & al Vescouato sopradetto promosso, tenuto sia il Gran Maestro predetto di concedere la Gran Croce, & admetterlo nel Conseglio insieme con i Priori, e Bagliui, sic ibi.

15 Anno 1531. habito nuntio de morte Reuerendissimi Episcopi D. Balthassaris VvaltKirk, seruata fuit prædicta conditio; nominati tres a Magno Magistro, & à Consilio, nempè Reuerendissimus Magnus Prior Ecclesiæ D. Fr. Pontus Laurenzin Natione Gallus Lugdinensis. D. Fr. Thomas Bosius Vicecancellarius Religionis Italus, & D. Frater Dominicus Cubelles Sacrista Maioris Ecclesiæ Conuentualis, Hispanus Linguæ Aragoniæ, solus subditus Caroli V. ad quem varij scripserunt in fauorem secundi, præcipue ipse summus Pontifex Clemens VII. ardentissimum suum desiderium propalans multi verbis promotionis ad hunc Episcopatū fratris Thomæ Bosij: & ob eius magna merita, & ob multo maiora fratris ipsius Fr. Antonij Bosij Baiuliui Sanctæ Euphemiæ; paulò ante demortui, dum munere Cubicularij secreti præfati Clementis fungeretur. Cæsar aliquandiu præsentationem distulit, nulli interim indicans in quem ex tribus nominatis propenderet, atque hinc factum, vt à Pontifice nimiam forte dilationem ægrè ferente Cardinalis Ghinuccius Episcopatum impetrauerit; post facta ab illo præsentatione de persona fratris Thomæ Bosij, excitata lis inter hunc, & Cardinalem, quæ spatio multorum annorum durauit, & tandem terminata per trāsactionē, isti scilicèt attributa fuit pensio, & ille post consecrationem ad Ecclesiæ suæ pacificam possessionem peruenit, sed hanc morte præpeditus per solos sex menses gubernauit.

16 Anno 1539. Reuerendissimus Magnus Prior Ecclesiæ D Fr. Dominicus Cubelles, Cesaraugustæ Regni Aragonici natus I.V.D. ex tribus à Religione Hierosolymitana nominatis ad hunc Episcopatum Melitensem a Carolo V. Imperatore merito præsentatus, & electus: eoque felicitèr per spatium viginti sex annorū circiter potitus est. sed de hoc Episcopo plura infra pro nostro Instituto inuestigandi originē, & progressum huius Tribunalis Sanctæ Inquisitionis.

17 Anno 1566 D. Fr. Martinus Royas de Portalruuio I V. D. Vicecancellarius Religionis, qui interfuit Concilio Tridentino, tanquam orator eiusdem Religionis Hierosolymitanæ, ex tribus nominatis; statim præsentatus a Rege Philippo II. sed non statim electus, aut confirmatus; imo dùm vixit Pius V. Sanctæ memoriæ, noluit quidquam de eius electione, aut confirmatione sex fere annorum spatio audire, vt affert Bosius 3. part. lib. 7. pag. 797. litt. E. post Gregorius XIII. ad instantiam eiusdem Regis circa annum 1573. electionem, & consecrationem ei concessit De hoc postea etiam aliqua circa Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

18 Anno circiter 1578. D. Fr. Thomas Gargallus I. V. D Hispanus ex Regno Gotholano Vicecancellarius Religionis, ex tribus a Magno Magistro, & a Venerando Consilio propositis iure optimo ab eodem Rege Philippo II. præsentatus, & electus ad hanc Ecclesiam Melitensem: cui post consecrationem per triginta quinque annos vigilanter præfuit. Huic meritissimo Præsuli nostra Religio Societatis Iesu admodum deuincta semper manet ad rependendas grates pro beneficijs acceptis in erectione huius Collegij Melitensis contradicentibus, & se viriliter opponentibus non paucis (qui postea beneuolos, ac liberales circa ipsum Collegium se præbuerunt) quamuis enim eum non fundauerit, pro constructione tamen ædificij ad habitandum, & pro victu, & vestitu Patrum per aliquot annos, plus octo millium scutorum de suo expendit, vt ab ipsiusmet ore sæpius audiui: quousque redditibus Ecclesiasticis diplomate Clementis VIII. fel. mem. huic Collegio applicatis, frui cœpit. Vndè ipsum Episcopum Thomam vti Benefactorem insignem, & parentem nostrum agnoscimus, pro ipsoque iugiter in hoc Collegio sacrificia celebrantur, & preces a nostris quotidie funduntur, vt aliqua ex parte nos gratos præbeamus.

19 Anno 1615. D. Fr. Balthassar Cagliaresius Melitensis S. T. D. Serenissimi principis Magni Magistri Aloisij de Vvignacourt Auditor, ex tribus nominatis pro meritis à Rege Philippo III. præsentatus, & electus ad hunc Episcopatum: quem possedit per decem, & octo fere annos, &c. Inter varia pietatis, & charitatis opera istius Præsulis, illud eximium, & memoria perpetuò retinendum, quòd pro redimendis tribus e nostra Societate Patribus Siculis in captiuitate diù detensis, scuta mille, & quinquaginta liberalissime fuerit elargitus.

Anno tandem 1634. Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Frater Ioannes Michael Balaguerius, & Cammarasa I V. D. Hispanus ex Regno Aragonico nepos, seu sororis filius Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini Fratris Petri Vrrea, & Cammarasa, magni Prioris, Ecclesiæ Hierosolymitanæ, natiuus ex insigni oppido de Vallouar, e tribus propositis ob præclara, & multo maiora eius merita, procurante, & pro viribus instante Eminentissimo Magno Magistro Antonio de Paula à Rege Philippo IV. præsentatus, & electus, secutaquè consecratione, & possessione, in præsentiarum hoc honorificentissimo Episcopatu Melitensi perfruitur. In qua perfruitione pro vtilitate, & honorificentia ingenti suorum subditorum, & Sacræ Religionis Hierosolymitanæ cuius adhuc membrum valdè præcipuum manet, suffragiū decisiuum in causis; & negotijs quibuscumque Consiliorum ferens, faxit Deus Optimus Max. vt Nestoreos pertingat annos.

20 Hæc pro nostrò instituto de Episcopis Melitensibus, ex duplici serie eorum, altera ab vno è nostris, altera a quodam externo, vtroque hinc natiuo, & valde erudito elaborata, ex historia item Hierosolymitana Iacobi Bosij; & aliundè, vt memoriæ proditum reperire potui, breuiter decerpsi. Ad istos itaque officio S. Inquisitionis fungentes, quam iam iterum

Prole-

Prolegomeno 11. ad idem manifestandum in genere pro quibuscũque Episcopis audiuimus *Attendite*, inquit, *Vobis, & Vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sãctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Act. Apost. Cap. 20. Vnusquisque ex illis hactenus in hoc Prolegomeno nominatim expressis; perpendens id, Spiritus Sanctus posuit me Episcopum regere Ecclesiam, scilicet Melitensem, quam acquisiuit sanguine suo pretiosissimo, *Empti enim estis pretio magno* 1. Corint. 6. haud dubium maximopere excitatus fuerit ad regimen istud vigilantissimè, & exactissimè exercendum, ad protectionem Gregis istarum Insularum, ad defendendum ipsum a quibuscumque periculis calamitatum Spiritualium; & errorum, præcipue mentis contra fidem diuinam ab incursu, & ruina luporum, scilicet Hæreticorum, de quibus ibidem statim idem Apostolus subiungit; *Ego scio, inquit, quoniam intrabunt post discessionem meam, lupi rapaces in Vos non parcentes gregi &c.* Quis dubitat, quòd post discessionem Pauli ab his Insulis, in eas lupi rapaces, seù hæretici intrare tentauerint, & furtiuè aliquoties intrarint, sed vigilantia, & solicitudine prædictorum Episcoporum, foras expulsi, aut post ingressum capti. & pro delictorum qualitate. secundum formam, & stylum Sanctæ Inquisitionis fuere puniti. Alioquin puritas fidei Cattholicæ, quod vti beneficium, seu Priuilegium singularissimum à Deo Opt. Max. & à Sancto Paulo Melitensibus concessum merito habetur, vt dixi num. 1. huius Prolegomeni, quomodo tot secula quousque tempore sarta tecta permansisset; sublata enim singulari vigilantia, & Pastorali cura Episcoporum, nequaquam talis eius euentus, sed potius multoties fuisset violata, imo, & omnino deperdita: sicuti in alijs Pronincij Christianitatis contigisse videmus.

21 De casibus, vel causis particularibus, in quibus antiqui illi Episcopi a nobis expressi ante ingressum Sacræ Religionis Hierosolymitanæ in hanc Insulam, munus Inquisitorum exercuerint, nihil memoriȩ proditum, quod audiuerim, vel legerim, aut adhibita aliquali diligentia inuenire potuerim: Vndè quid mirum, si haud vllius particularis hic expressio fiat; prȩter dicta in serie ipsorum supra? Inter Episcopos vero recentiores. qui inchoata iam Religiosorum Equitum Sancti Ioannis in hoc loco habitatione Ecclesiam istam Melitensem obtinuerunt, duo soli reperiuntur, qui ex potestate, & Iurisdictione tantum ordinaria (de qua sola toto hoc Prolegomeno agimus) in tractandis causis fidei munere Sanctæ inquisitionis per aliquod tempus, aut in varijs casibus perfuncti fuerint, tametsi per aliud, vel in alijs ex delegata etiam simul processerint, vt sequenti Prolegomeno videbimus, scilicet Reuerendissimus Dominus Frater Dominicus Cubelles, & Reuerendissimus Dominus Frater Martinus Royas de Portalruuio, de quibus dictum in serie proposita.

22 Anno itaque 1546. denuntiati sunt Domino Episcopo Cubelles, vt Inquisitori de iure ordinario multi hæretici, qui varijs erroribus spacio decem annorum infecti fuerant, ex quo Gallus quidam vocatur Gesualdus perniciosissimus hæreticus in hanc Insulam pedem intulerat, qui diuersas hæreses, cooperante Melitensi quodã N. ludi Magistro, disseminauerat. Cooperatio istius sic se habet, singulis diebus Dominicis, & festis Gesualdum occulte adibat, & quæ ab hoc contra fidem Catholicam audierat, postea noctu discipulis suis, & alijs tradebat. Causa hæretici Gesualdi ita terminata, vti pertinax, & impœnitens ad ignem viuus damnatus, executaque sententia coram ingenti multitudine Populi: dum ad supplicium duceretur, cum abloqui cœpisset dicens, *quid morantur Sacerdotes ducere vxores, cum hoc eis liceat?* de mandato Reuerendissimi Inquisitoris Cubelles sudariolo os ipsi obstructum est, ne in oblocutione scandalosa contra cȩlibatum Sacerdotalẽ vel contra alium fidei articulum vlterius progrederetur: tandem impœnitens viuus combustus infelicem animam Diabolo tradidit. Cooperator verò eius sic expeditus, de hæresibus formalibus conuictus, pœnitentia ductus misericordiam petens, reconciliatus in forma &c. condemnatus provt de iure, & constructus ferre habitum pœnitentiȩ (Hispanice San Benitto) sicuti pari modo fuerunt constricti, & similiter expediti alij duo Sacerdotes, non solum quòd credidissent sibi licere vxorem ducere, sed facto etiam ipso concubinas suas sibi de præsenti desponsassent, seruato ritu Ecclesiastico in sacello Canctæ Mariæ in Rocca Ciuitatis Notabilis. Atque istorum sunt habitus pœnitentiæ, qui vsque ad præsens in eminenti loco Ecclesiæ Cathedralis ad memoriam rei: & maiorem ruborem reconciliatorum appensi manet.

23 Anno item 1558. varios formauit processus Dominus Inquisitor Cubelles causarum fidei, præcipue illum contra quemdam Græcum, nomine Giorgezi Chelibi, qui non credens immortalitatem animæ se ipsum temerè occidit. Præterea anno 1561. informationes captȩ cõtra Monachum N. Ciuitatis Veteris: Et eodem anno quædam moniales constitutæ, & examinatæ contra plures personas in causis Sanctæ Inquisitionis de mandato eiusdem Domini Inquisitoris Cubelles &c. Imo hic non solum per se ipsum immediatè processit. & condemnauit hæreticos &c. sed si retrogrediamur ad annum 1554. inueniemus, quod tunc etiam in Ciuitate noua (quæ nunc il Borgo, vel Ciuitas Victoriosa dicitur) creauerit, prout de iure creare poterat, Vicarium, seù Commissarium D. T. Cappellanum Sacræ Religionis Hierosolymitanæ Didacum Rodriguez Licentiatum Sacræ Paginæ cum suo Assessore Francisco Mego I. V. D. vt in causa particulari fidei contra Antonium Lucam de Locorgo procederet. Quæ omnia, & ex scripturis authenticis, quæ in Archiuijs huius Sacri Tribunalis Melitensis fascibus 1. & 2 asseruantur, atque ex attestatione plurium fide dignorum per me requisita, qui a testibus oculatis audierunt scias esse comprobata.

Iam

24 IAm de Reuerendissimo Domino fratre Martino Royas breuissimè, quòd aliquo modo, sola iurisdictione ordinaria in causis fidei processerit, etiam postquam reuocatum fuit ipsi Breue Apostolicum, quo Inquisitor Delegatus à summo Pontifice constituebatur, vt dicemus Prolegomeno sequenti, constat manifestè primo ex scriptura authentica, quam ipsemet legi asseruata in Archiuijs nostri Tribunalis, vbi formatur processus contra Raymundum N. & ibi constitutus Ven. D. Dominicus Mangione coram Reuerendissimo Domino Petro Duzina Inquisitore Apostolicò post aliqua Interrogatoria communia ad euitandam suggestionem, interrogatus, an habuerit tanquàm hæreticum, vel vt suspectum de hæresi alicui Raymundum N. respondit se per viginti dies antea fuisse constitutum, & examinatum a Domino Episcopo Royas contra eumdem Calamiam, & deposuisse tunc ista, quod vxori tradiderit carnes parandas ad comedendum in die Ieiunij ex præcepto; Item quod non sineret eamdem vxorem adire Ecclesiam ad audiendū sacrum; & quod per muros Ciuitatis scripsisset aliquos versus scripturæ sacræ, maximè illum *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, & nescire quo fine id fecerit, &c. eadem prærerea via per processus in dictis Archiuijs de anno 1574. 1575. repositos, etiam constat.

25. HInc iam in specie quoad nostrum propositum Sacra Religio Hierosolymitana zelo fidei haud dubie adducta valde prudenter, & laudabiliter, nè filij, & subditi sui labe aliqua hæresis, maximè per communicationem cum hominibus septemtrionalibus suscipiendi habitum Hierosolymitanum, vel negotia tractandi causa huc confluentibus, inficerentur, quòd iam illic Luteranismus valde, vt cancer serperet, Commissarios pro causis fidei, vti assolet pro alijs, decreto Venerandi Concilij status quamprimum assignauit, & pro rei granitate, atque vrgentiori necessitate instructionem eis pleniorem, & exactiorem exhibuit: quod ex Historiographo Iacobo Bosio part. 3. lib. 16. fol. 333. litt. D iniucundum me lectori facturum iudicaui, si totidem eius verbis Italico idiomate hic ipsi exhiberem: sic habet.

26 *E Perche già col tumulto dell'armi penetrauano l'heresie d'Alemagna in alcuni luoghi di Francia, temendo il Gran Maestro* (Illustrissimus scilicet D. Frater Ioannes de Omedes Hispanus linguæ Aragoniæ) *& il Consiglio, che quindi fosse capitato in Malta, ò che per l'auenire capitar vi potesse alcun heretico, volendo a tutto poter loro conseruare la candidezza della Santa Fede Cattholica nella Religione, e nello stato loro incorrotta, & intatta, circa il principio dell'anno 1553. deputarono il Piliero di Castiglia fra Christoforo de Acugna Portughese, & i Commendatori, fra Francesco Nibbia, e fra Geban de Condè detto Bandieras, e con essi fra Mattheo Castillo Cappellano, e Theologo molto dotto per Commessarij per fare Inquisitione, e formare i processi contro tutti coloro, che sottoposti al foro, & alla iurisdictione della Religione, e di tale infettione fossero sospetti Facendo anco auertito il Vicario del Vescouo di Malta che douesse parimente vegghiare, acciochè tal morbo nel gregge à lui commesso non entrasse.*

27 HActenus Historiographus Bosius, qui nihil exprimit in particulari quoad executionem talis Decreti, neque in Cancellaria huius Religionis Hierosolymitanæ, aut alibi, quod audiuerim, vel legerim reperitur. Quo ad alias vero Religiones, vel personas Religiosas in Monasterijs harum insularum commorantes, an occurrerint casus, in quibus superiores, seu Prælati eorum munus Sacræ Inquisitionis respectu suorum subditorum exercuerint formando processus contra eos, & expediendo causas fidei, nihil quod sciam memoriæ proditum extat, & crederem non curarint id prædicti superiores, aut fortè quod non aduerterint, vel ignorarint, quid potestatis, & iurisdictionis circa hoc haberent; Vnde supposita negligentia, vel ignorantia istorum, non est censendus Reuerendissimus Episcopus Cubelles in alienam messem falcem misisse quando anno 1561. vt dixi paulo ante num. 13. contra Monachum non sibi subditum, sed exemptum a Iurisdictione sua, aliquo modo processit, hoc enim suo gregi suo aliquod scandalum, vel detrimentum spirituale in fidei materia inferretur, iure naturali ipsi concedebatur. Et quidem omnino excusandus, si tantum informationes contra eum iuridicas suscepit, & ad summum Pontificem, vel ad superiores, quibus reus subijciebatur, eos transmisit (cuius facti expeditio non mihi constat) secùs vero si ad diffinitiuam sententiam, & condemnationem dicti Monachi peruenit, vt non excusatur in simili ferè casu, sed potius reprehenditur quidam fidei Inquisitor Regni Siculi Mattheus de Pontiano vocatus Ordinis Predicatorum, delegatus a Sede Apostolica; quòd Capellanum quemdam summi Pontificis & consequenter ab eius iurisdictione exemptum damnauerit, declarauerit, excommunicatum, cum debuisset tantum in informationibus receptis crimina ipsius, quantumuis grauia fuissent, Papæ intimare: ita habetur in extrauagante Ioannis XXII, incipiente, *cum Mattbæus de Pontiano &c. inter communes de hæreticis*, vt affert Ludouicus Paramus lib. 2. tit. 2. cap. 11. num. 6.

28 Quamquam ex alio capite excusandus omnino D. Episcopus Cubelles, eo quòd processerit contra dictum Monachum, tanquam delegatus Sedis Apostolicæ iuxta textum in cap. ad abolendam, §. si vero, de Hæreticis, vbi conceditur Episcopis, vti Sedis Apostolicæ Delegatis facultas procedendi in causis hæresis contra quoscumque exemptos, non obstante quouis eorum exemptionis priuilegio, vt alibi latius dicam. Atque hæc de origine, & progressu Melitensis Tribunalis Sancti Officij ex iurisdictione tantum ordinaria.

PRO-

PROLEGOMEN. XI.

De origine, & maiori progressu Tribunalis Officij Inquisitionis in hac Insula Melitæ, & locis ei adiacentibus ex iurisdictione ordinaria, & delegata simul contra hæreticam prauitatem, &c.

1 Dixi mediatè per ministros, & successores suos exercuisse scilicet Officium Sanctæ Inquisitionis in istis Insulis Sanctum Apostolum Paulum: quod præterea de quibus ministris, & successoribus eius intelligi debet? de Inquisitoribus delegatis à Sacra Congregatione Vrbis, vel ab aliquo Summo Pontifice, nullum dubium. Hos enim loco Apostolorum pro quauis Mundi parte, & peculiariter loco S.Pauli pro hac Insula Melitæ, ac locis ei adiacentibus in exequendo munere tractandi causas fidei succedere quis est, qui negare queat? Delegati autem isti in duplici sunt differentia nam alij iurisdictione sola delegata in causis fidei procedunt, & de his conuenientius agemus Prolegomeno sequenti; sicut actum iam Prolegomeno præcedenti de illis, qui sola ordinaria processerunt; Alij verò vtraque simul vtuntur, & delegata, & ordinaria iurisdictione ad negotia Sanctæ Inquisitionis pertractanda, & expedienda, atque ab istis qualiter origo, & progressus huius Tribunalis Sanctę Inquisitionis Melitensis se habeat in præsenti Prolegomeno inuestigamus, vt secundum hanc triplicem vtriusque iurisdictionis combinationem, congrua diuisione, triplici etiam Prolegomenon clarius in hac materia procedere possimus. Non immoror hic in manifestanda differentia, & diuersitate inter vtramque hanc iurisdictionem ordinariam, & delegatam, & qualiter in eodem Iudice, seu, vt magis specificè loquar, in eodem Episcopo Inquisitore pro causis fidei coniungantur: Cum id iam attigerim Prolegomeno 3.num.1.& per se clarè constet etiam secundum doctrinā, & sententiam Caietani in tractatu de auctoritate Papæ, & Concilij c. 3. Dominici Soti in 4. dist.20. quæst.1.art.2.& aliorum ex Doctoribus antiquis, ac recentioribus, quam verissimam asserit Eminentissimus Cardinalis Robertus Bellarminus Sanctæ mem. Tom. 1. controuers. 3. lib. 4. capit. 22. (quanquam opposita non videtur damnanda) nullam Iurisdictionem Episcopos à Christo Domino, maximè quoad forum externum immediatè accipere, sed medio summo Pontifice, eius Vicario: quod est dicere, quamcumque habent, vel habere possunt, eam ipsis à Papa, vel à Concilio Generali, &c. immediatè tribui diuerso tamen modo, & tempore: nam ordinaria Iurisdictio tribuitur eis, vbi primum ad Episcopatum promouentur ratione dignitatis, seu Officij, & ex vi iuris, vel canonum: Ex quibus pro præsenti materia Sanctę Inquisitionis plures supra Prolegomeno 2.numer.3. citauimus. Delegata verò tribuitur eisdem pro negotijs occurrentibus pertractādis ad libitum omnino Summi Pontificis, aut alicuius Concilij, aut Sacræ Congregationis Vrbis, maximè circa causas Sanctæ Inquisitionis, idque vel in perpetuum, vel ad tempus determinatum, vt magis Prolegomeno sequenti explicabitur.

2 Vnde vt iam propositæ Doctrinæ applicatio fiat, & exemplum opportunissimum vtriusq. Iurisdictionis circa negotium Sanctæ Inquisitionis simul coniunctæ exhibeatur: Reuerendissimus D. Episcopus Frater Dominicus Cubelles præter ordinariam, quam ab initio suæ promotionis ad hunc Episcopatum Melitensem habuerat, & quam sæpius contra plurimos hæreticos, aut suspectos de hæresi exercuerat vt Prolegomeno præcedenti num. 14. tradidimus. Anno 1561. die 21. Mensis Nouembris, à Sacra Congregatione Vrbis, gubernante Ecclesiam Summo Pontifice Pio IV. delegatam accepit, qua institutus Generalis Inquisitor Delegatus Sedis Apostolicæ contra hęreticam, & apostaticam prauitatem in hac insula Melitæ, & locis ei adiacentibus cum omnimoda potestatis plenitudine absque vlla restrictione. De occasione, vel causa impulsiua huiusce delegationis, siue institutionis neutiquam constat; eius tamen coniecturam, si licitum est facere ad hoc credendum facilè inducor, inde impulsam fuisse Sacram Congregationem, quod vel litteris ipsiusmet D. Episcopi Cubelles, auxilium forte, & fauorem, atque instructionem ab ea petentis, vel alterius fidei zelo excitati, vel aliunde, maxime de depositione particulari (de qua plenius postea) in Sacro Tribunali Romanæ Inquisitionis facta anno 1560. 23. Februarij per quemdam Petrum Cumbum Melitensem, hinc vinctum, & bene custoditum illuc perductum, cognouerit Lutheranismum in hoc loco in dies tunc valde serpere, ac perplures varijs erroribus esse infectos, & proinde iudicauerit prudentissimè ad remedium efficacius adhibendum his tantis malis expediens omnino, & peropportunum calcaria Episcopo Cubelles iam currenti addere, non solum magis excitando eius ordinariam iurisdictionem, sed etiam ad causas fidei maiori cum auctoritate decidendas delegatam, cum plenitudine potestatis dicta adiungendo.

3 Verum iam qualiter delegatio hæc facta fuerit, & Reuerendissimus Dominus Episcopus Cubelles Inquisitor Apostolicus in hac Insula, et locis ei adiacentibus, qua ratione institutus videamus: quod non alio modo commodius, & clarius fieri posse iudico, quàm propositis hic ad verbum litteris Sacræ Congregationis de tali delegatione, & institutione loquentibus inchoando ab instrumento authentico de ipsarum receptione confecto, in quo ipsæ includuntur, atque sic se habet.

IN nomine Domini Nostri IESV Christi &c. Anno à Natiuitate eiusdem Domini 1562. Indictione 5. die vero 16. mensis Iunij tenore præsentis publici Instrumenti perpetuo valituri; cunctis pateat euidenter, quod in mea Notarij, & testium infrascriptorum præsentia personaliter constitutus Reuerendissimus D. in Christo Pater D. Fr. Dominicus Cubelles miseratione Diuina Episcopus Meliuetanus in Comitiua Illustris, & RR. DD. Fratris Antonij Crescini Decretorum Doctoris, & Ecclesiæ Conuentualis Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani Magni Prioris, & Commendatarij de Laumusse, & Tēpli Dayan, & Domini Fratris Martini Rojas de Portalruuio V.I.D. ac prædicti Ordinis Hierosolymitani Vicecancellarij, habens, & præ manibus tenens quasdam litteras ab Officio sanctæ Inquisitionis Almæ Vrbis die 21. Nouembris expeditas in carta edina scriptas, ac sigillo solito munitas, & varijs subscriptionibus roboratis: quarum quidem litterarum tenor in omnibus, & per omnia sequitur, & est talis, videlicet.

Litteræ Sacræ Congregationis, quibus D. Episcopus Cubelles Apostolicus Inquisitor constituitur.

NOS Rodulphus Pius de Carpo Episcopus Potuensis, Ottho Anchius tit. S. Mariæ in Transtyberim, Iacobus Puteus Sanctæ Mariæ in Via, Bernardinus Scotus Sancti Matthei, Ioannes Raumanus Sanctæ Priscæ, & Clemens Claramontanus Sanctæ Mariæ Aracœli miseratione Diuina titulorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales in Vniuersa Republica Christiana contra hæreticam prauitatem Inquisitores Generales à sācta Sede Apostolica specialiter deputati. Reuerendo in Christo Patri, & D. Dominico Cubelles, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Melitensi, & modernis, vel pro tempore existentibus Priori Ecclesiæ ac Vicecancellario Hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitani salutem in Domino perpetuam: intelligentes non sine animi nostri dolore pestiferum virus hæresis in Ciuitate, & Insula Melitensi, ac etiam inter eiusdem Ordinis Hierosolymitani Religiosos pullulasse, & de præsenti pullulare; volentes, vt tenemur, & prout nostro incumbit officio; antequam vlterius radices figat, quantam in nobis est, ad Dei Omnipotentis laudem Catholicæ fidei conseruationem, & augumentum in Christifidelium, & eorum animarum salutem extirpare, & si tuo Pastorali incumbat officio, cui vnquam te Dei opitulante gratia minimè defuturum arbitramur; verumtamen ad tuam ordinariam iurisdictionem excitandam, & quatenus opus sit ampliandam, & altius ad meliorem finem, & effectum, te Commissarium nostrum in Ciuitate Melitæ, ac omnibus, & singulis Oppidis, Castris, Terris, & locis in Insula Melitæ, & eidem subiectis instituimus, & per præsentes in forma etiam infrascripta deputamus, concedentes Paternitati tuæ in hoc negocio, vel tuo Vicario, qui tamen Doctor sit in Iure Canonico, & Clericali charactere insignitus, adiunctis etiam tecum Priore Ecclesiæ, & Vicecancellario prænominatis, & cum assistentia Magni Magistri eiusdem Ordinis si adesse, & interuenire voluerit, facultatem, auctoritatem, & potestatem contra omnes, & Fratres dicti Ordinis Baiuliuos, Præceptores, Milites, & personas familiares seruitores, domesticos, & stipendiarios, etiam Presbyteros, Capellanos in Conuentu prædicti Ordinis Hierosolymitani existentes, hæreticos, seu de hæresi quouis modo suspectos, vel diffamatos, eorumque fautores, defensores, & receptatores, quouis modo impeditores; contra vero alios, tam Laicos, quam Clericos, & Religiosos dictæ Insulæ Melitensis hæreticos, seu de hæresi quouis modo suspectos, vel diffamatos eorumque fautores, defensores, ac receptatores, tua Reuerenda Paternitas, vel tuus Vicarius Clericus, & Doctor tecum, vel cum Vicario aliquo in sacra Theologia Doctore, & Magistro ab eadem tua Paternitate nobis nominando, & per Nos approbando, vel à nobis deputando, quem expensis tuis, & salari condecenti habere omnino tenearis, & astrictus sis inquirendi, & procedendi, reos, & testes incarcerandi; & legitimis præcedentibus indicijs torquendi, vbi erit opus examinandi salutares pœnitentias confessis imponendi, reconciliandi, & à censuris absoluendi, & contra eos, & contra quemlibet etiam vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiue procedendi, impœnitentesque per te repertos, vel pertinaces, ac relapsos seruatis de iure seruandis Curiæ sæculari tradendi, & tradi faciendi, siue relinquendi personis Ecclesiasticis prius à suis ordinibus actualiter degradatis, perinde ac quemadmodum Nos ipsi procederemus, et procedere possemus, procedere possis, et valeas, processusque, & inquisitiones quascumque, ac informationes per Vos contra quascumque personas, vt supra factos, & formatos, & receptos in publicam, et authenticam formā fideliter redigi faciendi, vt Nos si quādo erit opus, illos habere, et videre valeamus, ac possimus. Monentes etiam Paternitatem tuam, ac tuam, & Vicarij, ac Theologi deputati conscientia onerantes, vt cum aliquis hæresi infectus vobis, et in processibus faciendis fuerit ductus, qui non sit in vestra iurisdictione, certiores non faciatis, et cum facultate eligendi Notarium vnum, vel plures, prout opus erit fidelem, et honestum, ac Clericum, vel sæcularem. Datum Romæ in ædibus nostris sub Anno à Natiuitate Domini millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Indictione quinta, die vero Veneris 21. mensis Octobris Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ IV. Anno eiusdem secundo.

R. Cardinalis de Carpo.
Ottho Cardinalis Augustanus.
Iacobus Cardinalis Puteus.
Bernardinus Cardinalis Translib.
Ioannes Cardinalis Raumanus.
Clemens Cardinalis Aracæli.
Claudius de Valle S. Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Not. &c.

En

4 En litteras sacræ Congregationis quas, superuacaneum videtur perspicuitatis gratia quidquam annotare, luce enim meridiana clariùs exprimitur id, quod in eis intenditur. Nihilominus hoc vnum aduerte, cum in ipsis perpetua dirigatur sermo ad Reuerendissimum Dominum Episcopum Cubelles, præcipuè ibi, te Commissarium nostrũ in Ciuitate Melitę &c. deputamus, concedentes Paternitati tuæ &c. ipsum solum constitui Inquisitorem delegatum Sedis Apostolicæ, atque eidem tantum tribui iurisdictionem delegatam ad causas sanctæ Inquisitionis, & non Reuerendissimo D. Crescino Priori Ecclesiæ, neque Domino Fratri Rojas Vicecancellario: quamuis isti ei adiungantur, vt socij circa processus tantùm subditorum sacræ Religionis Hierosolymitanæ, & suffragio solo consultiuo. Vndè enim deduces bene perpectis litteris habuisse eos decisiuum? Nam par est ratio de istis, atque de Doctore Theologo adiungendo in Vicarium circa causas fidei quorumcumque aliorum non subditorum Religionis Hierosolymitanæ, & appareat nullam huic tribui iurisdictionem cum voto decisiuo, nisi quatenus ipsi Reuerendissimus D. Inquisitor Cubelles ad sumendas informationes, vel ad quid simile ei concederet: tametsi S. Congregatio dicti Doctoris Theologi; expensis illius sustentandi approbationem, vel deputationem sibi reseruasset.

5 Prædictarum deinde litterarum variæ extiterunt iuridicæ publicationes, & acceptationes cum Iuramento solemni; quas sicut & ipsas litteras in Archiuijs huius Tribunalis S. Officij Melitensis extraxi, & non possum non pro rei dignitate hic apponere ob multiplicem causam, præcipuè tamen, vt constet quanta animi promptitudine, & alacritate officium S. Inquisitionis, & progressum, eius antiqui illi fideles amplecterentur.

Prima publicatio, & acceptatio prædictarum Litterarum à Veneranda Assemblea Clericorum Religionis Hierosolymitanæ.

EAsdem litteras originales Reuerendo D. Fratri Ioanni Petro Mosched Vicepriori Ecclesiæ Conuentualis Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani cæterisque Presbyteris, Cappellanis, & Clericis eiusdem Ecclesiæ in Sacristia Ecclesiæ S. Laurentij, (quam dicta Religio ab aduentu ad hanc Insulam pro Conuentuali hactenus tenuit, & tenet) congregatis & Assembleam de licentia superioris, iuxta stabilimenta stylum, vsum, & laudabiles consuetudines eiusdem Ordinis in Domino celebrantibus prænominatus Reuerendissimus D. Præsul Cubelles exhibuit, & præsentauit, ac petijt acceptari, & non solum prædicto, sed & omni alio meliori modo, via, & forma, quibus magis, melius, & validius fieri potuit, & potest, quibus quidem præsentatis, & per publicum Tabellionem infrascriptum alta, & intelligibili voce perlectis & & declaratis, supranominatus Reuerendus D. Viceprior, ac cæteri omnes, nemine excepto, easdem debita, cum qua decuit, reuerentia acceptauerunt, & vti filij obedientiæ, & sanctę Sedis Apostolicæ obtulerunt se paratissimos facere, & exequi, ad vnguemque pro viribus adimplere contenta in ipsis litteris in fauorem semper Officij sanctæ Inquisitionis. Et impositis eorum manibus dexteris super Crucem, & pectus eorum, more dicti Ordinis iurauerunt. Vnde facta fuerunt suprascripta omnia acta publica suis loco, & tempore valitura, in noua Ciuitate Melitæ, & in loco prædicto, præsentibus Reuerendo D. Matthæo Faua, & D. Ioannello Cilia Presbyteris, & D. Andrea Faua Clerico Melitensis Diœcesis testibus ad præmissa vocatis, specialiter rogatis.

6 In eisdem litteris concedebatur facultas creandi Notarium publicum pro officio sanctę Inquisitionis vnum, vel plures, prout opus esset, qua facultate statim vsus est Reuerendissimus D. Episcopus Cubelles, vt Inquisitor in hunc modum qui sequitur.

Creatio Notarij publici iuxta facultatem in dictis litteris concessam.

DEinde eodem die prænominatus Reuerendissimus in Christo Pater D. Episcopus Meliuetanus, interuenientibus supracriptis Illustri & Reuerendo D Fratre Antonio Crescino Priore, & Fratre Martino Rojas de Portalruuio Vicecancellario, cum præsentia Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Fratris Ioannis de Valletta Dei gratia sacræ Domus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Magni Magistri, ac Insularum Melitæ, & Gaulos Principis dignissimi, elegerunt me Vincentium Bonauenturam de Bonetijs Rhodium, Ciuem Melitensem publicũ Apostolica, Imperiali, & Ducali Sabaudiæ auctoritatibus Tabellionem, & sacræ Religionis Hierosolymitanæ Magistrum Notarium, pro Notario, & Magistro actuario secreto Officij sanctæ Inquisitionis, qui tactis corporaliter sacris scripturis ad sancta quatuor Dei Euangelia ad delationem, & in manibus Domini Reuerendissimi D. Præsulis iuraui prædictum officium bene, secrete, fideliter, & diligenter exercere, ira, inimicitia, præmio, fauore, subornatione, & quauis alia sinistra machinatione penitus remotis Vnde factum fuit præsens publicum Instrumentum suis loco, & tempore valiturum, in noua Ciuitate Melitæ & in Palatio dicti Reuerendissimi D. Episcopi. Præsentibus Venerandis Cappellanis D. Matthæo Faua, D. Ioannello Cilia Presbyteris, & D. Andrea Faua Clerico Melitensi contestibus, ac alijs pluribus testibus ad præmissa vocatis, specialiter, & rogatis.

7 Iam sic electo Notario publico pro Officio sanctæ Inquisitionis, secuta fuit statim absque vlla mora alia publicatio, & acceptatio iuridica earumdem litterarum sacræ Congregationis facta à Dignitatibus, Canonicis, & reliquis Clericis Insulanis proprijs, & immediatis subditis Reuerendissimi Episcopi Inquisitoris, præsens autem publicatio, & acceptatio in hanc formam executa.

Secunda publicatio, & acceptatio prædictarum litterarum à Venerando Capitulo Cathedralis, & à reliquis Clericis Sæcularibus.

IN nomine Domini Amen &c. Anno à Natiuitate eiusdem Domini 1562. Indictione 5. die vero 17. mensis Iunij tenoris præsentis publici Instrumenti perpetuo valituri cunctis pateat euidenter, quod Reuerendissimus in Christo Dominus Frater Dominicus Cubelles miseratione Diuina Episcopus Meliuetanus prædictas litteras Apostolicas originales, quarum tenor supra est insertus Reuerendo D. Iosepho Manduca V. I. D. ac Vicario Generali Meliuetan. Diœces. ac R. P. D. Pancratio Micallef Archidiacono, & D. Lucæ Xara Decano, cæterisque Personatibus Canonicis Presbyteris, Curatis, & non Curatis, ac Clericis in Sacristia Cathedralis Ecclesiæ Sancti Pauli Meliuetan. congregatis, & Capitulum celebrantibus præsentauit, & petijt acceptari, quibus quidem litteris per me supra, & infrascriptum Notarium perlectis à principio ad finem præfati omnes communi voto, parique consensu debita, cum qua decuit reuerentia, vti filij obedientiæ acceptauerunt, obtuleruntque se paratissimos facere, & exequi prout fuerit ordinatum, & prouisum, ac alias iuxta formam, vim, & continentiam earumdem; vnde factum fuit præsens publicum Instrumentum suis loco, & tempore valiturum in loco prædicto præsentibus Magnificis Viris Ludouico Platamone, Petro Cumbo, & Colletta Xerri V. I. DD. cunctis Melitensibus testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis.

8 Accessit deinde alia admodum grauior, & solemnior publicatio, & acceptatio earumdem litterarum à Venerando Consilio, & à reliquis Equitibus, ac Religiosis Hierosolymitanis; sic disponere sine dubio, & iubente Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Fratre Ioanne Valletta M. Magistro, ad quem spectabat (sicuti ad quemcumque alium hac dignitate Magistrali insignitum pro eius non exigua prærogatiua, seu præeminentia spectat Consilium cogere, in eo pertractanda proponere, atque ab ipso resoluta exequi) iam enim ex tunc inuictissimus iste Princeps magnum fidei Catholicæ zelum ostēdebat, quem insecuta paulò post obsidione contra Infideles Turcas multo maiorem erat ostēsurus: Verum non est locus hic in tanti viri laudes, & encomia digrediendi, sed proponendi statim dictam publicationem, & acceptionem ita factam.

Tertia publicatio, & acceptio earumdem litterarum à Venerando Consilio, & à reliquis Religiosis Hierosolymitanis.

IN nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate eiusdem Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quinta, die vero 19. mensis Iunij tenore præsentis Instrumenti perpetuo valituri, cunctis pateat euidenter, quod Reuerendissimus in Christo Dominus Pater Dominus Frater Dominicus Cubelles Diuina fauente gratia Episcopus Meliuetanus in Comitiua Illustrium, & Reuerendissimorum Dominorum Fratris Antonij Crescini Decretorum Doctoris, ac Ecclesiæ Conuentualis Ordinis S. Io. Hierosolymitani Generalis Prioris, ac Commendatarij de Laumusse, & Templi Dayan, & Fratris Martini Rojas de Portalruuio V. I. D. eiusdem Ordinis Vicecancellarij, præinsertas litteras sanctæ Inquisitionis delegatorias originales Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino, Domino Fratri Ioanni de Valletta Dei gratia sacræ Domus Hospitalis Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani Magno Magistro, ac Insularum Melitæ, & Gaulos Principi dignissimo, Illustribusque, & Reuerendis DD. Proceribus septem Linguarum, seu eorum Locumtenen. ceterisq; Prioribus, & Baiuliuis Capitularibus in Aula Magni Palatij ipsius Illustrissimi Domini, sono cāpanæ congregatis, & sedentibus, ac Consilium iuxta stabilimenta, stylos, vsus, & laudabiles ipsius Ordinis consuetudines celebrantibus in Domino præsentauit originales, & petijt ipsas acceptari, & operam, auxilium, & fauorem, vbi casus acciderit, præstare Quibus quidem litteris alta, & intelligibili voce per me supra, & infrascriptum Tabellionem, & Magistrum Notarium, vt supra electum, perlectis, & declaratis ad vnguem, prænominatus Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Magnus Magister, & Consilium communi voto, parique consensu, nemine penitus discrepante, vt filij obedientiæ easdem illas cum qua decuit, debita reuerentia acceptauerunt, & obtulerunt se paratissimos facere, & exequi, prout casus acciderit iuxta seriem, & tenorem in ipsis litteris contentum; & ita positis manibus eorum more dicti Ordinis, singuli & singulatim iurauerunt. Acta fuerunt præmissa omnia præsentibus Venerando Capellano D. Iosepho Bellia, & hon. Viris Iacobo F...teni, & Nicolao Viminano de Modica testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis. Die & Anno vt supra &c.

9 Tandem pro cunctis de Ciuitate, & populo publicatæ fuerunt iterum prædictæ litteræ sacræ Congregationis, seu publicata fuit in communi creatio Reuerendissimi Domini Episcopi Cubelles in Inquisitorem Apostolicum istarum Insularum cum iurisdictione etiam delegata in dicta Ecclesia Sancti Laurentij idque peculiari modo, seu ritu: die scilicet 18. Iunij eiusdem anni 1562. per loca publica, solita, & consueta Ciuitatis nouæ, sono tubarum præcedente, ex parte, & nomine eiusdem D. Inquisitoris præcone clamante, ac præcipiente, & exhortante vt omnes sequenti die ante prandium prædictam Ecclesiam adirent, & interessent Processioni generali, & audirent à R. Patre Alexandro Ordinis Sancti Augustini concionem fidei, & publicationem &c. sed hæc non proponitur hoc loco cum expressione publici Instrumenti &c. tum quod sit coniuncta ibi cum publicatione

Edicti sanctæ Inquisitionis, de quo opportunius infra lib. 1. Regul. multiplicium, vbi ad doctrinam &c. & comprobationem adducetur exemplar talis edicti Sanctæ Inquisitionis, tum quod hactenus proposita satis, superque sint ad inuestigandam primam originem, & fundationem ex auctoritate Sedis Apostolicæ huius Tribunalis Sancti Officij Melitensis, & ad manifestè indicandum quanto cum splendore, & magnificentia Reuerendiss. D. Fr. D. Dominicus Cubelles Dei gratia Episcopus Meliuetanus ad fundandam in hoc loco ex delegatione Apostolica perpetuum, & fixum Sanctæ Inquisitionis Tribunal primus Inquisitor Apostolicus delegatus ante quemcumque alium à S. Congregatione Vrbis fuerit institutus (vnde ipsum primum eius fundatorem esse vocandum, & habendum, nullus credo inficiari audebit) quamque per honorificè non sine ingenti omnium applausu, & iubilo in sui muneris Inquisitoris Delegati à Sede Apostolica possessione sumenda pertractatus; sed iam de eius executione, & de aliquali ipsius progressu vnum verbum.

10 Post publicationem itaque edicti statim factā nempe die 11. Augusti eiusdem anni 1562. quo sub excommunicatione latæ sententiæ, & reseruata constricti omnes reuelare, seu denuntiare iuridicè quęcumque scirent spectantia ad Sanctum Officium Inquisitionis contra quamlibet personam cuiusuis status, & conditionis, vel professionis, diuersæ fuerunt receptæ denuntiationes a nouo Inquisitore Apostolicæ Sedis delegato D. Episcopo Cubelles contra varios Sæculares, & Ecclesiasticos, atque Religiosos etiam Ordinis Hierosolymitani, comparentibus non paucis coram Reuerendiss. Dominatione sua ad denunciandum prout tenebantur, præcipuè comparuit Petrus ille Cumbus I.V.D. qui, vt dixi supra num. 2. vinctus cum custodia Romam ductus, & ibi à Sacra Congregatione S. Officij fauorabiliter expeditus, & huc remissus, vt patet ex litteris testimonialibus à Commissario generali (de quo statim iterum) illius Tribunalis hic acceptis, & hic eidem D. Inquisitori traditis, vt ipsemet D. Cubelles affirmat in fine depositionis à dicto Cumbo factæ. In qua iterum, ad vberiorem cautelam, quæ in simili materia obesse non solet, denuntiauit eosdem illos, quo anno præcedenti in supremo S. Inquisitionis Tribunali Vrbis iam denuntiauerat sæculares, & Ecclesiasticos, etiam diuersarū Religionum infectos, aut suspectos de multis erroribus hereticalibus ex Lutheranismo, nempe confessionem non debere fieri Sacerdoti, nec imagines Sanctorum adorari; hos non esse intercessores nostros apud Deum, nullū dari post hanc vitam Purgatorium, neque admittendam realem, & personalem Christi Domini præsentiam in sanctissimo Eucharistiæ Sacramēto &c. Non exprimo in particulari personas denuntiatas infectas taliter, aut suspectas ad euitandā infamiam, quod mihi non constet, an contra ipsas publicè deuentum vsque a sententias diffinitiuas (excepta sententia lata cum condemnatione, prout de iure ab Inquisitore Apostolico simul, & Ordinario D. Episcopo Cubelles contra quemdam Nicolaum Petrum Xascribi cum interuentu Domini Fratris Antonij Crescini Prioris Ecclesiæ, vt in fasce 2.) vel aliter hic, vt Romæ fuerint expeditę sæpè enim ex defectu sufficientium indiciorum in causis fidei Domini Inquisitores non progrediuntur ad vlteriora, nec processus impinguari possunt ad condemnandum; sed de hoc opportunius infra in libris Regularium multiplicium.

11 Verum vigilantia, & solicitudo noui Inquisitoris Apostolici per delegationem D. Episcopi Cubelles, vel inde maior apparere cœpit, quàm cū procederet tantum per ordinariam iurisdictionem, quod paulò post acceptam possessionem sui muneris iuxta præfatas litteras sacræ Congregationis scripsit Panhormum ad Inquisitores Regni Siculi enixè postulans ab ipsis instrui circa functionem iuridicam dicti muneris: qui rescripserunt mittentes ei instructionem procedendi in causis fidei, qua vtuntur omnia Hispaniarum Tribunalia; exemplar litterarum, & talis instructionis repositum custoditur in Archiuijs huius Tribunalis Melitensis fasce 1. Hoc autem quamuis Dominus Inquisitor Cubelles ardentissimo zelo defendendi fidem Catholicam, & exterminandi ab istis Insulis quoscumque errores contra eam, haud dubiè præstiterit; facile tamen coniecto id gratum non fuisse sacræ Congregationi, tum quòd stylus Tribunalis Vrbis in varijs differat ab stylo Tribunalium Hispanię, tum quòd ex facto isto petendi ab illis instructionem aliqualis suspicio contra D. Cubelles insurgere videretur voluntatis cōiungendi hoc Tribunal Sanctę Inquisitionis Melitense illi Prouinciæ Siculæ, sicut coniungi debere, seu has Insulas, cum alijs Sicilię adiacentibus, nempè Cosyra hodie Pantallaria, Aegusa hodie Fauignana, Probatia hodie Leuanso, Sacra Insula hodie Maretemo, Arce Galathe hodie Goletta &c. quoad causas fidei ad ipsum pertinere affirmat Ludouicus Paramus de edicto fidei lib. 3. quæst. 3. num. 16. Et quidem prædictæ coniecturæ inde fundamentum sumo, quod à Sacra Congregatione huc alia instructio viua fuerit missa, videlicet missus, seu hic ei assignatus Pater Magister Theologus Dominicanus, qui ipsi assisteret, dirigeretque in quibus opus esset, atque vti censor modum procedendi obseruaret &c. sed de hoc paulò post initio Prolegomeni sequentis.

12 Post mortem Domini Cubelles Reuerendissius D. Martinus Rojas de Portalruuio Dei gratia Episcopus Meliuetanus Inquisitor simul Ordinarius, & delegatus Sedis Apostolicæ secundo loco extitit. Obtenta enim ad hunc Episcopatū electione, & consecratione à Gregorio XIII. sanctæ memoriæ, vt diximus Prolegomeno præcedenti num. 10. vers. Anno 1566. pari modo ab ipso obtinuit Breue Apostolicum quo concedebatur ipsi priuilegium amplissimū exercendi munus Inquisitoris fidei contra hæreticam prauitatem in istis Insulis ex iurisdictione delegata, præter Ordinariam, sicut prædecessor eiusdem Episcopus Cubelles. Exemplar originale huius Breuis, vel saltem copiam eius ad manus habere non potui, adhibita per

me non exigua diligentia, scrutatis etiam Archiuijs sancti Officij Inquisitionis Melitensis, & Cancellariæ sacræ Religionis Hierosolymitanæ, vt hic ad verbum apponerem.

13 Et tandem labore, & industria viri eruditissimi, atque in vestigandis rebus antiquitatis diligentissimè, Domini Fratris Francisci Habela Melitensis V. I. D. Vicecancellarij sacræ Religionis Hierosolymitanæ opportunè effectum, vt ex originali, quod Romæ asseruatur, exemplar dicti Breuis fideliter transcriptum, huc transmitteretur: quod mihi ab eo perlibenter oblatum, en tibi libentius offero, & sic habet.

BREVE GREGORII XIII.

Ven. Fratri Martino Rojas de Portalruuio Episcopo Meliteñ.

ETsi de dilectorum filiorum Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani Magni Magistri, & Militum toto Orbe Terrarum celebri & perpetuo laudanda Religione, ac illorum, Melitensiumque Ciuium, & Incolarum erga Nos, Sedemque Apostolicam singulari, etiam diu perspecta, explorataque fide, & deuotione non diffidamus, quin illi maiorum suorum virtutis, & valoris imitatores pro animarum suarum salute, fideique Catholicæ defensione, sicut Turcharum rabiem; sic hæreticam contagionem debeant abhorrere; etsi etiam de prudentia, doctrina, & diligentia tua confisi certi simus te non debere in his, quæ ad conseruandam Catholicam fidem pertinent aliquid, quod necessarium sit prætermittere; nihilominus officij etiam nostri memores, non solum tuam ordinariam iurisdictionem quoad tibi subiectos excitare, sed etiam quoad cæteros, qui fortè alias dici possent non subiecti, ampliare volumus. Motu igitur proprio non ad tuam, vel alterius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed de mera deliberatione, & ex certa scientia, deque nobis attributæ Apostolicæ potestatis plenitudine te in nostrum, & dict. Sedis Commissariũ, ac hæreticæ prauitati Inquisitorem in Ciuitate ac Diœcesi Meliten. ac prædicta, & alijs Insulis, locisque circumuicinis ad iurisdictionem, & dominium dicti Magni Magistri, & Religionis spectan. creamus, constituimus, & deputamus, dantes tibi, motu, & scientia, ac potestatis plenitudine similibus plenam, liberam, & omnimodam facultatem, auctoritatem, & potestatem contra omnes, & singulos vtriusque sexus, & & quarumuis nationum Laicos, & Ecclesiasticos sæculares quorumuis Ordinum etiam Mendicantium Regulares, & quarumcumque Militiarum, etiamsi dicti Hospitalis Fratres, & Milites, eorumque Religiosos, Confratres, Donatos, & alios quoscumque etiam à iurisdictione tua ordinaria quomodolibet exemptos, seu Magno Magistro, & Religioni huiusmodi subiectos quorumcumque hæresum crimine, & labe infectos, seu de eis suspectos, vel diffamatos, illorumque fautores, sequaces publicos, vel occultos, seu exequutionem officij Inquisitionis huiusmodi directè, vel indirectè impedientes cuiuscumque dignitatis, ordinis, & conditionis Ecclesiasticæ, seu mundanæ fuerint, iuxta formam sacrorum Canonum inquirendi, & procedendi, & præcedentibus legitimis inditijs in vincula conijciendi, causamque, & causas huiusmodi audiendi, & fine debito terminandi, necnon quoscumque testes in præmissis iuxta iuris formam examinãdi, eorumque depositiones in scriptis redigendi ac quos in via iniquitatis perseuerare, vel alias culpabiles esse repereris, iuxta Canonicas sanctiones puniendi, ac præcedente degradatione canonica per te, seu Vicarium tuum facienda, illos etiam qui Clerici, & in presbyteratus ordine constituti fuerint, Curiæ seculari tradendi; eos vero, quos ab erroribus suis ex animo abstinere & ad gremium S. Matris Ecclesiæ redire cognoueris, dummodo alias relapsi non fuerint, Clericos scilicet etiam in sacris Ordinibus constitutos ante illorum degradationem actualem, laicos veros vsque ad vltimam in eos iustitiæ executionem, recepta prius ab eis abiuratione canonica, publica, vel priuata iuxta delictorum, & personarum qualitates coram Notario, & testibus necnon præstito per delinquentes desuper iuramento, quod talia deinceps non committent, nec committentibus, seu illis adhærentibus auxilium, consilium, vel fauorem per se vel alium, seu alios præstabunt, ab eisdem hæresibus, & erroribus, ac quibusuis sententijs, censuris, & pœnis ecclesiasticis, etiam temporalibus, & corporis afflictiuis, etiam vltimi supplicij, quas propter præmissa incurrerint iniuncta inde eis arbitrio tuo pœnitantia salutari absoluen. eosque postmodum vnitati fidelium, & S. Matris Ecclesiæ gremio reconciliandi iuxta formam, & tenorem sacrorum Canonum, & Constitutionum superinde disponentium, necnon quascumque citationes, & monitiones contra quoscumque et iam per edictum publicum, cõstito tamen prius summariè, & extraiudicialiter de non tuto ad eos accessu decernendi, eisque, ac quibusuis Iudicibus Conseruatoribus, et personis quauis etiam Apostolica auctoritate fungentibus, et sub pœnis, et censuris Ecclesiasticis, alijsque arbitrio tuo moderandis, quoties opus fuerit, etiam per simile edictum inhibendi censuras, et pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, et auxilium inuocandi Ac vnum, vel plures Notarium, vel Notarios, officiales, & ministros, tibi beneuisos eligendi, et deputandi, ac omnia, et singula, quæ ad huiusmodi officium de iure, priuilegio, cõsuetudine, et alias quomodolibet pertinent, ac ad extirpationem hæresum huiusmodi, et alia in præmissis necessaria fore cognoueris geren. et etiam exequen. Ita tamen vt vbi contingat procedi contra aliquos ex prædictis Militibus dicti Hospitalis S. Ioannis, aut illorum Religiosos seu Confratres, aut Donatos procedas, et alia de quibus supra facias vnà cum dilecto filio Thoma Gargallo, dicti Hospitalis presbytero, seu iurisperito, seu Theogo, ac Catholico, et bonæ vitæ viro ad id ad tui libitum eligendo. Non obstan. præmissis, ac fel. record. Clementis V. in Viennen. qua nolentes, ac Bonifacij Octaui Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, quæ statuta incipiũt etiam

etiam super Iudicibus delegatis, ac de vna, et in Generalibus Cōcilijs editis de duabus dietis, dummodo vltra tres dietas aliquis vigore præsentiū ad iudicium non trahatur, alijsque quibusuis Apostolicis ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon Ecclesiarum Monasteriorum, locorum & Ordinum, ac dicti Hospitalis, & aliarum Militiarum, quorumcumque etiam exemptorum iuramento &c statutis, & consuetudinibus, stabilimētis, vsibus, & naturis priuilegijs quoque exemptionibus, Conseruatorijs in dictis, & litteris Apostolicis illis, eorumque superioribus Magno Magistro, & alijs personis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque &c decretis etiam motu, et scientia similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, necnon quauis consideratione, et ex quibusuis causis &c. innouatis, quibus omnibus etiamsi &c. foret illorum tenore, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus &c. permansuris, hac vice dumtaxat motu, et scientia paribus specialiter, et expresse derogamus contrarijs quibuscumque, aut si aliquibus communiter &c. mentionem, et quibuslibet alijs Indulgentijs, et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumq. tenore existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta iurisdictionis tuæ explicatio; vel executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorūcumq. totis tenoribus habenda sit de verbo ad verbum in nostris litteris mentio specialis, quæ quoad hæc eis, aut alicui eorum nolumus in aliquo suffragari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. 20. Aprilis 1573.

Hactenus Breue Pontificium, in quo omnia clara, & perspicua; illud autem peculiare, & notatu dignum in ea clausula, videlicet, vbi contingat procedi contra aliquos ex prædictis Militibus &c. facias vnà cum dilecto filio Thoma Gargallo dicti Hospitalis Presbytero, Iurisperito, seu Theologo, ac Catholico, & bonæ vitæ viro, ad id ad tui arbitrium eligendo &c. En qualis iam tunc famæ esset hic D. Fr Thomas Gargallus, quandoquidem socius Domini Inquisitoris Rojas in causis fidei contra subditos Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani à Gregorio Decimotertio sanct. mem. assignatur: vbi Summus Pontifex iam ex tunc videbatur præsagire fore, vt paulò post ipse Thomas ad munus Vicecancellarij, & inde ad Episcopatum huius Insulę, mortuo Rojas, esset promouendus.

14 Verum dubitari non potest de eius concessione cum manifestè hæc constet, & expeditio ipsius ex alio Breui eiusdem Gregorij XIII. à nobis adducendo Prolegomeno sequenti; vbi post quatuor circiter menses ab illius expeditione per eundem Summum Pontificem omnino fuit reuocatum. Interim tamen non est dubium, quod executioni ipsum mandauerit D. Rojas procedēdo iurisdictione ordinaria simul, & delegata contra hæreticos, aut de hæresi suspectos. At de casibus particularibus huius executionis nulla memoria extat per scripturam authenticam, vel priuatam; quam viderim aut repererim post magnam à me, & ab alijs adhibitam inuestigationem: imò nec de publicatione prædicti Breuis Apostolici, neque de publicatione Edicti, ad intimandam obligationē denunciandi, quod statim in initio administrationis officij sanctæ Inquisitionis DD. Inquisitores publicari solent: Diuersum valde de hoc Inquisitore D. Rojas Delegato simul, & Ordinario, seu potius omnino oppositum eius, quod de antecessore ipsius D. Cubelles tradidimus.

15 Cæterum vndenam hæc tanta diuersitas? vnde tam ingens oppositio? non erit abs re id in præsenti indicare, quandoquidem notitia eius mihi suppetit; cum hinc muniatur via ad dicenda Prolegomeno sequenti. Dissidia non leuia inter præfatum Reuerendiss. D. Rojas, & Illustrissimum, & Reuerendissimum D. Magnum Magistrum Religionis Hierosolymitanæ Fratrem Ioannem le Vesque de la Casiera, orta ex suspicionibus hinc inde secutis. Ad hoc enim processisse haud dubium suspicabatur ille quod tam multa, & tam grauia contra se opposita fuerint, ne ad hunc Episcopatum Melitensem promoueretur, & per tot annos sui electio, & consecratio impedita, quod non solum valdè manifestè animum suum, & desiderium vehemens ostendisset ad ipsum promouendi Priorem Ecclesiæ Fratrem Antonium Crescinum; sed hanc etiam promotionem, per multum temporis, quoad potuit à Rege, & à Pontifice obtinere procurasset: suspiciones è contra Magni Magistri aduersus Episcopum Rojas non ex sola coniectura deduco, sed ex scriptura authentica in formam Decreti tenoris huiusmodi.

Decretum Venerandi Concilij pro indaganda veritate, et innocentia Magni Magistri in his quæ ei opponebantur, maxime contra Officium S. Inquisitionis facta, vel omissa.

Die 26. mensis Iunij 1574. fuit celebratum Concilium, in quo tractatis arduis quibusdam negocijs Reuerendissimus D Magnus Magister legere fecit cum maximo animi dolore quosdam articulos prout infra, præsente Admodum Reuerēdo D. Episcopo Meleuitano Fratre Martino Rojas de Portalruuio, quem requisiuit, & petijt, enixeque rogauit, vt super eis responderet, ex eo quia de fama, honore, & eius reputatione ageretur, quam nonnulli maligni denigrare tentauerunt, & copiam eidem infrascriptorum dedit, vt consultius responderet, commissariosque ad se informandum, & inquirendum de veritate à Venerando Concilio deputari petijt ad effectum Sedem Apostolicam certiorem faciendam super quibus prǽsente toto Concilio nihil respondere voluit, sed ad multum diuersa digressus, hospite insalutato, vt aiunt, discessit relictis omnibus, qui in Concilio aderant non sine eorum maxima admiratione. Ea autem quæ lecta fuere, sunt quæ sequuntur.

Capi-

Capitolo della lettera venuta da Roma alli 8. di Giugno 1574. Il Vescouo di Malta ha fatto intendere dal suo Segretario in Roma alla Congregatione del santissimo Offitio dell'Inquisitione, che sono state date delle bastonate costì in Malta ad vn suo Ministro, che andaua à citar vno per parte del santo Offitio, e che V.S. Illustrissima non hauea fatto niuna demostratione, e che i Ministri di V.S. Illustrissima haueuano battuto, e maltrattato vn Prete, e che non ostante la querela, e lamentatione fatta si dissimulaua il caso, e non se ne faceua conto alcuno. Che V.S. Illustrissima faccia pigliare informatione delle cose Ecclesiastiche, che non gli voleua dar la cassa, perchi ci erano molti processi contro Caualieri, e che egli non poteua andare à negotiare con V.S. Illustrissima, ne à visitarlo, perche le haueua minacciato di farlo buttare dalle fenestre del suo Palazzo, sempre che gli fosse capitato: & infine sono state informate molte vigliaccherie, che tutta questa Corte resta molto scandalizzata, e molto mal satisfatta del procedere di detto Vescouo. E sarà necessario, che V. Sig. Illustrissima mandi informatione di tutto questo.

Quibus omnibus auditis Ven. Concilium commisit Venerandis DD. Fratribus Vbertino Solario Admirato Religionis, & Ioanni de San Gerrin Magno Conseruatori, & Ioanni Georgio Schombron Magno Bauliuio Alemaniæ, & Petro de Mezquita Baiuliuo Coy, seu Longonis, & de Leca, vt prius ad præfatum D. Episcopum accedant, ipsumque requirant, & orent, vt dicat, atque declaret, an ordine, & suo mandato eius Secretarius, vel alius suo nomine talia protulerit, prout supra. Et postea super prænarratis diligenter, accuratèque se informent, veritatem inquirant, proclamata, & banna publica (si opus fuerit) fieri mandent, vt si quis ex supra expositis aliquid sciat, coram dictis Commissarijs compareat ad deponendum, & reuelandum quidquid sciuerit, sub pœnis eisdem beneuisis: Informationes captas, & completas proprijs manibus subscriptas, & solitis sigillis obsignatas, ijdem Commissarij tradant, & consignent Reuerendissimo D. Magno Magistro ad effectum, quòd mittantur ad Curiam Romanam, si quid requisiuit, & petijt.

16 De effectu propositi Decreti, vel an, & quales à Commissarijs deputatis, prout ipsis in eo præscribebatur, fuerint captæ informationes, non constat, neque scriptura aliqua hoc indicans reperitur: constat tamen ex facto ipso M. Magistrum à Summo Potifice, & à tota Curia Romana iudicatum, & habitum innocentem, quod in primis inde prouenit, ex maiori scilicet alia diligentia, quam ad prædictum effectum, & ad alios, maximè ad procurandam reuocationem dicti Breuis Apostolici, vt perniciosi M. Magistro, & vniuerso Ordini Hierosolymitano, quo D. Rojas Inquisitor Delegatus constituebatur, etiam circa Religiosos eius, multo prius, nempe 18. Maij eiusdem anni 1574. statim post aduentum noui Episcopi, & Inquisitoris Rojas ad hanc Insulam, ipse Magnus Magister adhibuerat ex decrero sine dubio Venerandi Concilij, vt assolet, extraordinarium Legatum ad ipsum Pontificem Gregorium XIII. destinando mittendo Commendatarium, scilicet D. Fr. Cosmum de Luna: à quo auditis informationibus, Papa quamprimum prędictum Breue reuocauit, nouumq. Inquisitorem Delegatum huc misit, & ipsum Visitatorem Apostolicum totius Diœcesis Meleuitanæ simul constituit; 2
sed de his ex professo Prolegomeno sequenti vti in proprio loco.

PROLGOMEN. XII.

De origine, & maiori progressu Tribunalis Sancti Officij Melitensis ex sola Iurisdictione delegata, contra Apostaticam, & hæreticam prauitatem.

1 Circa negocium Officij sanctæ Inquisitionis à Summo Pontifice pro tempore, vel à sacra Congregatione iurisdictio Sedis Apostolicæ tripliciter ferè delegari consueuit, primo si constituatur, quis Inquisitor tantum delegatus ad erigendũ in aliqua Ciuitate, aut Regno, seu Prouincia nouum Tribunal Sanctę Inquisitionis, vel ad iam prius erectum vlterius promouendum. Deinde si pro aliqua, vel aliquibus causis fidei determinatis occurrentibus tantum committatur alicui iurisdictio delegata ad eas tractandas, aut etiam expediendas: quibus tractatis, & expeditis prædicta iurisdictio, & officium Inquisitoris delegati omnino cessat. Tertio si absque restrictione loci, temporis, & causarum (quòd valdè honorificum reputatur) quis sit constitutus Delegatus Inquisitor Sedis Apostolicæ per totum Orbem Terrarum, vbicumque fides, & Christiana Religio recepta, ad quascumque fidei causas. Atque cum huius tertij modi amplitudine crederem S. Dominicum Illustrissimæ Prædicatorum Religionis Fůdatorem dignissimum, post limitatam illam iurisdictionem contra hęreticos Albigenses per Abbatem Cisterciensem, & per alios Legatos Sedis Apostolicæ ei commissam, vt dictum supra Prolegomeno 3. ab Innocentio III. aut ab Honorio III. qui ipsius Religionis fundationem approbauerat, vel ab alio Summo Pontifice Inquisitorem Generalem Apostolicum pro toto Mũdo fuisse creatum. Pro Regnis Hispaniarum Annales ipsarum expresse testantur, vt iam alibi traditum; pro diuersis Prouincijs Galliæ præsertim pro Narbonensi adducit Param. lib. 2. de origine Inquisitionis tit. 2. cap. 23. pro partibus etiam Lombardię idem Paramus ibidem cap. 30. Nec mirum quod in hanc credulitatem inducar, ita scilicet actum cum S. Dominico, quandoquidẽ hoc idem aliquibus, aut alicui saltem ex eius familia fuit aliàs concessum. In depositione enim illa Petri Cumbi, de qua 3
præcedenti Prolegomeno num. 10. expressa fit

mentio

mentio Reuerendi Patris Magistri Fr. Thomæ Scoti de Vigenano a summo Pontifice, & ab Illustrissimis DD. Cardinalibus Sacræ Congregationis sancti officij, per totum orbem Generalis Commissarij; seù Inquisitoris Apostolici sine vlla limitatione deputati vt habetur fasc. 2. & 3.

2 De hoc Fratre Thoma Scoto; qui prædicto tertio modo munus sancti officij fungebatur, dubitari posse videtur, an huc accesserit ad exercendum hoc idem, solummodo, vt Inquisitor Delegatus: & hinc ratio dubitandi insurgit, quod ab ipso dictus Petrus Cumbus litteras testificatorias de sua fauorabili expeditione Romæ acceperit, & eidem Fratri Thomæ ibi ex depositione Cumbi sine dubio innotuerit quam multiplices hæreses in hoc loco radices iecissent, atque quòd aliqui Reuerendi Religiosi Ordinis Prædicatorum, præsertim Adm. Reuerendus Pater Magister Fr. Mattheus Rispolus Melitensis vir summæ doctrinæ mihi affirment duos Patres Magistros Dominicanos in his Insulis quondam officium Inquisitoris Delegati exercuisse. Verum adhuc non video qualiter hæc affirmatio de duobus, & aduentus huc prædicti patris de Viglenano fundari possit; cum alij multi, tamen eiusdem Religionis, tùm ex alijs statibus de vno tantum Dominicano id mihi testentur, accedatque communis attestatio Natiuorum Militensium qui ab antiquioribus fidedignis, ita de vno solo acceptum referunt, de quo etiam clarè deduci videtur ex scripturis authenticis Archiuiorum huius Tribunalis sancti officij fasc. 3. vbi habetur, quòd de anno 1563, circiter comparuerit N. coram Inquisitore Reuerendo Patre Magistro Fratre Thoma Gaetano Ordinis Prædicatorum. Inde etiam habetur fasc. 2. quod Reuerendus Pater Magister Fr. Dominicus de Vio informationibus sumendis, testibus examinandis, & alijs actibus sancti officij assisteret; sicuti etiam assistebat Reuerendissimus Frater Antonius Crescinus Prior Ecclesiæ sancti Ioannis Hierosolymitani. Præterea ibidem asseritur Reuerendissimum Dominum Episcopum Cubelles auxilium præstitisse Antonio Bonello olim Assessori sui Vicarij, quoties in conficiendo eius processu non aderat Pater Magister Theologus Gaetanus, qui omnia scribebat Romam contra ipsum Episcopum, sic in dicto processu fasc. 3. Hinc itaque ex hac scilicet assistentia, vel carentia eius sine dubio sumpta æquiuocatio, seu occasio multiplicandi absque firmo forte fundamento Inquisitores Dominicanos Delegatos in istis Insulis, cum aliud sit offitio sanctæ Inquisitionis, seù causis eius tractandis, & expediendis etiam de mandato sacræ Congregationis Vrbis assistere; aliud verò ipsum exercere seu Inquisitorem esse. Quarè vnus tantum probabilius creditur in hoc loco Dominicanus Inquisitor Delegatus Sedis Apostolicæ secundo modo ex tribus assignatis, restat nunc videndum qualiter primo modo huc Inquisitor missus.

3 Non tardauit Sanctissimus Pôtifex Gregorius XIII. ad hanc Insulam mittere Dominum Petrum Duzzina I.V.D. & Prothonotarium Apostolicum à se designatum nouum Inquisitorem ex potestate, & iurisdictione tantùm delegata, atque Visitatorē simul Melitensis huiusce Diœcesis: clarè præuidens, quòd periculum esset in mora, & quòd ex dilatione mittendi ipsum, maiora damna sequi possent, subortis hic peioribus dissidijs, & scandalis. Prima igitur die Augusti eiusdem anni 1574. huic ille appulit, duobus tantum transactis mensibus, & minus dimidio, ex quo prædictus legatus Colmas de Luna hinc Romam versus discesserat Receptus perhumaniter Dominus Duzzina ab Illustrissimo Magno Magistro, & a reliquis, sine cunctatione possessionem sui muneris sanctæ Inquisitionis accepit publicato Breui Apostolico, quo in his Insulis Inquisitor Generalis contra hæreticam prauitatem, & Delegatus Apostolicus constituebatur: quod integrum ad maiorem rei perspicuitatem ex copia Originalis, quæ est in Archiuijs huius Tribunalis Melitensis, hic apponere necessarium omnino iudicaui.

Breue Apostolicum quo Dominus Petrus Duzzina Fdei Inquisitor, & Delegatus Apostolicus constituitur cum reuocatione Breuis Domini Episcopi Royas.

à tergo

Dilecto filio Magistro Petro Duzzina nostro, et Apostolicæ sedis Notario etc.

intus verò

GREGORIVS PAPA XIII.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Mouet nos vniuersalis Pastoralis officij nobis diuinitus iniuncti cura, vt ea, quæ ad quorumcumque Christi fidelium, præsertim dignitate Ecclesiastica præditorum, pacem, & quietem, atque ad animorum salutem pertinere cognoscimus, omni nostra opera, & diligentia procurare semper studeamus. Itaque cum nos te ad Insulam Melitam ob nonnulla grauia negotia ibi nostro nomine peragenda destinandum duxerimus, cupientesque te causas quoque ad sanctum hæreticæ prauitatis Inquisitionis officium spectantes ibidem cognoscere, & terminare posse, non obstante quòd nuper per nostras in forma Breuis litteras sub datum Vigesima Martij proximè præteriti Ven. Fratrem Episcopum Melitensem sub certis modis, & formis tunc expressis ad id deputauerimus. Idcirco motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dictas litteras, & alias quascumque eidem Episcopo desuper concessas ad beneplacitum nostrum harum serie suspendentes, ac suspensas fore, & esse ad hunc effectum decernentes, & declarantes, te in nostrum, & dictæ sedis Commissarium, ac hæreticæ prauitatis Inquisitorem in Ciuitate, & Diœcesi Melitensi, ac præfata, & alijs Insulis, locisque circumuicinis ad iurisdictionem, & Dominium Dilecti filij Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani Magni

gni Magiſtri, ac eius militiæ, & Religionis ſpectantibus creamus, conſtituimus, & deputamus: Dantes tibi tanquam noſtro, & Apoſtolicæ ſedis Commiſſario, & Delegato motu, & ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus plenam, liberam, & omnimodam facultatem, auctoritatem, & poteſtatem in quibuſuis cauſis ad dictum Inquiſitionis officium pertinentibus contra omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus, & quarumcumque nationum laicos, & Clericos ſeculares, & quorumuis ordinum etiam mendicantium Regulares, & quarumcumque militiarum etiam dicti Hoſpitalis fratres, & milites, eorumque Religioſos, Confratres, Donatos, & alios quoſcumque etiam quomodolibet exemptos, ſeù Magno Magiſtro, & Religioni huiuſmodi ſubiectos; quarumcumque hæreſum crimine, & labe infectos, ſeu de eis ſuſpectos, vel diffamatos, illorumque ſequaces, fautores publicos: vel occultos, ſeù exequutionem officij Inquiſitionis huiuſmodi directè vel indirectè impedientes, cuiuſcunque Dignitatis, Ordinis, & Conditionis Eccleſiaſticæ, ſeù mundanæ fuerint: Ita tamen quòd vbi contingat procedi contra fratres, & milites prædictos, & illorum Religioſos, ſeu Confratres, Donatos, familiares, & Domeſticos procedas vna cum Epiſcopo Melitenſi, & cum aſſiſtentia Magni Magiſtri, & Prioris Eccleſiæ Hoſpitalis Sancti Ioannis Hieroſolymitani, ac Vicecancellarij pro tempore exiſtens, ſi interuenire voluerint. Quo vero ad alios præfatos per te ipſum iuxta formam ſacrorum Canonum inquirendi, & procedendi, & præcedentibus legitimis indicijs in vinculis conijciendi, cauſamque, & cauſas huiuſmodi audiendi, & fine debito terminandi, nec non quoſcumque teſtes in præmiſſis iuxta iuris formam examinañ. eorumque depoſitiones in ſcriptis redigeñ, ac quos in via iniquitatis perſeuerare, vel alias culpabiles eſſe repereris, iuxta canonicas ſanctiones puniendi, ac præcedente degradatione canonica per te illos etiam qui Clerici, & in Presbyteratus ordine conſtituti fuerint, Curiæ ſeculari tradendi: eos vero quos ab erroribus ſuis ex animo abſiſtere, & ad gremium Sanctę Matris Eccleſiæ redire cognoueris, dummodo aliàs relapſi non fuerint, clericos videlicet etiam in Sacris Ordinibus conſtitutos ante illorum degradationem actualem, laicos vero vſque ad vltimam in eos iuſtitię executionem: recepta prius ab eis abiuratione canonica publica, vel priuata iuxta delictorum, & perſonarum qualitates coram Notario, & teſtibus, nec non præſtito per delinquentes deſuper iuramento quòd talia deinceps non committent, nec committentibus, ſeù illis adhærentibus auxilium, conſilium, vel fauorem, per ſe, vel alium ſeù alios præſtabunt, ab eiſdem hæreſibus, & erroribus, ac quibuſuis ſententijs, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis etiam temporalibus, & corporis afflictiuis, & vltimi ſupplicij, quas propter pręmiſſa incurrerint iniuncta inde eis arbitrio tuo pœnitentia ſalutari abſoluendi, eoſque poſtmodum vnitati fidelium, & Sanctæ Matris Eccleſię gremio reuocandi, iuxta formam, & tenorem Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum ſuper inde diſponentium, nec non quaſcumque etiam per edictum publicum, conſtito tamen prius ſummariè, & extraiudicialiter de non tuto ad eos acceſſu decernendi, eiſque ac quibuſuis Iudicibus, Conſeruatoribus, & perſonis quauis etiam Apoſtolica auctoritate fungentibus, etiam ſub cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, alijſque arbitrio tuo moderañ. quoties opus fuerit, etiam per ſimile edictum inhibendi cenſuras, & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggrauañ. interdictum Eccleſiaſticum apponendi, & auxilium brachij ſecularis, ſi opus fuerit inuocandi. Ac vnum vel plures Notariũ, ſeù Notarios, fidelem, & honeſtum Clericum, vel ſecularem officiales, & miniſtros tibi beneuiſos eligendi, & deputanti, proceſſuſque, Inquiſitiones quaſcumque ac informationes prædictas contra quaſuis perſonas, vt ſupra factos; formatos, & receptos in publicam, & authenticam formam fideliter redigi, vt nos vel Venerabiles fratres noſtri Cardinales hereticę prauitatis Inquiſitores Generales, ſi, & quando erit opus, illos habere, & videre valeamus, & poſſimus, ac omnia, & ſingula, aliaque ad huiuſmodi officium de iure, priuilegio, conſuetudine, ac alias quomodolibet pertinent, & ad extirpationem hereſum huiuſmodi, ac alias in pręmiſſis neceſſaria forè cognoueris, gereñ. & etiam exequendi, & alias iuxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem in cauſis pędictis procedendi, non obſtantibus præmiſſis, ac felic. record. Clementis V. in Vienneñ. Quę nolentes, ac Bonifacij VIII. Romanorum Pontificum prędeceſſorum noſtorum. Quę ſtatuta incipiunt, etiam ſuper Iudicibus Delegatis, ac de vna, & in generali Cõcilio editis de duabus dietis dicto modo vltra tres dietas aliquis vigore pręſentium ad Iudiciũ non trahatur alijſque quibus Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, Nec non Eccleſiarum Monaſteriorum, locorum, & Ordinum, ac dicti Hoſpitalis, & aliorum Militum, quorumcumque etiam exemptorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, vſibus, & naturis, priuilegijs quoque exemptionibus, conſeruatorijs, Indultis, & litteris Apoſtolicis illis, eorumque ſuperioribus Magno Magiſtro, & alijs perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatorijs, alijſque efficacioribus, efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & alijs decretis etiam motu, & ſcientia ſimilibus, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine; nec non quauis conſideratione, & ex quibuſuis cauſis, etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, aliàs de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes illis aliàs in

ſuo

suo robore permansuris, hac vice dumtaxat motu, & scientia paribus specialiter, & expresse derogamus, contrarijs quibuscumque; Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab Apostolica sit sedem indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibusuis alijs Indulgentijs, & licentijs Apostolicis generalibus, vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totalitèr non inserta Iurisdictionis tuæ explicatio, vel executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quocumque totis tenoribus habenda sit de vèrbo ad verbum in nostris litteris mentio specialis: quæ quo ad hęc eis, aut alicui eorum nolumus in aliquo suffragari. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 3. Iulij 1574. Pontificatus nostri anno tertio.

Cæsar Glorierius.

4 Hactenus Breue Summi Pontificis pro creatione D. Petri Duzzinæ in Inquisitorem, & Apostolicum Delegatum cum clausulis amplissimis, & valde fauorabilibus, vt ex ipso tenore manifestè apparet quantum desiderari poterat. Circa quod vnum, vel alterum occurrit notandum. Sed de his opportunius postèa, cum executio, seù vsus eius tradetur. Nunc de ipsius publicatione, quę fuit solemnis admodum in Ecclesia Diui Ioannis Ciuitatis Vallettæ præcedente celebratione Missæ, & Concione, vt constat ex Instrumento authentico pro rei veritate tunc celebrato, quod sic se habet.

Publicatio Breuis Gregorij Decimi Tertij quo Dominus Petrus Duzzina Inquisitor, et Apostolicus Delegatus creatur.

Die Dominica 8. mensis Augusti 1574. de mane in Ciuitate Melitensi, & præcipuè intus Ecclesiam sancti Ioannis Hierosolymitani post Missam cantatam, & prædicationem astantibus ibidem Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino Magno Magistro, Illustri, & Reuerendo Priori Ecclesiæ, Reuerendo Domino Vicecancellario, & alijs Illustribus Prioribus, Militibus, Fratribus, Donatis, Capellanis: & alijs personis Sacræ Religionis Hierosolymitanæ in magno numero; in vnum in dicta Ecclesia congregatis pro audienda Missa, & prædicatione pręsens supradictum Breue Apostolicum de verbo ad verbum lectum, & publicatum, fuit per me Ioannem Camillum Pretiosum de Neapoli publicum Apostolica auctoritate Notarium ad hoc deputatum per Reuerendissimum Patrem Dominum Petrum Duzzina V. I. D. Protonotarium, & Delegatum Apostolicum alta, & sonora voce in loco Pulpiti, omnibus supradictis audientibus, & intelligentibus, pro testibus egregio Dominico Vellice de Lorenzo Gallo; Donno Iacobo Sperancino Presbytero Terrę Canziani, Eugubin. Diœcesis Raymundo de Raymundi Brixien. & Iulio Riualpa del Piemonte testibus vocatis, & rogatis.

Ioannes Camillus Pretiosus de Neapoli Apostolica auctoritate Notarius deputatus scripsit, et subscripsit, et pro Notario interfuit.

Pręsens copia extracta, & exemplata est à suo proprio originali Breui existenti penes pręfatum Reuerendissimum Patrem Dominum Delegatum Apostolicum, & quod conseruatur per Reuerendissimum Dominum Delegatum, cum quo facta collatione de verbo ad verbum, pro vt iacet, concordat, & in fidem ego Ioannes Camillus Pretiosus de Neapoli publicus Apostolica auctoritate Notarius hic me subscripsi propria manu, signum que meum solitum, & consuetum signaui, & in fidem promissorum rogatus, & requisitus, & a prædicto Reuerendissimo Delegato deputatus.

5 Post publicationem Breuis Apostolici, capta iam iuxta tenorem ipsius possessione officij sanctæ Inquisitionis pro initio executionis eius legitimę Reuerendissimus dominus Inquisitor Duzzina ad constitutionem aliquorum officialium præcipue Capitanei, & Aerarei, vt ex instrumento publico de hac re edito manifestè liquet, manum admouit.

Copia instrumenti publici, quo Capitaneus, & Depositarius Sanctæ Inquisitionis Melitensis ab Inquisitore Domino Petro Duzzina creantur.

Die Lunę nona Augusti 1574. in Ciuitate Melit. n. Reuerendissimus P. D. Petrus Duzzina V. I. D. Prothonotarius Apostolicus, & Generalis Inquisitor pro executione retroscripti Breuis Apostolici deputauit in Officiales Sanctissimi Officij Florium Midena Melitensem, & Gulielmum Lombardum Messanensem, qui in manibus pręfati Reuerendissimi Domini iurauerunt, & corporale pręstiterunt iuramentum tactis sacrosanctis Scripturis de fideliter, & legaliter eorum officium exercendo, & de alicui non declarando secreta Sanctissimi Officij sub pœna excommunicationis, & alijs pœnis contentis in sacris Canonibus, & pręducta facere, & obseruare promiserunt, & iurauerunt tactis scripturis, &c. Præsentibus Dominico Vellici Gallo de Lorena, & Iulio Riualpa del Piemonte testibus, &c.

Ioanne Camillus Pretiosus de Neapoli Apostolica auctoritate Notarius scripsit, & subscripsit, & pro Notario interfuit.

6 Hoc breuiter de institutione istorum duorum Officialiũ Sancti Officij: de alijs nihil exprimo, quod nequaquã mihi aliquid particulare innotescat

tescat ex aliqua scriptura authentica, vel aliunde; haud dubium tamen fuisse nouos institutos, vel antiquos, qui tempore RR. DD. Cubelles, & Rojas huic Tribunali inseruierant, denuò confirmatos. Iam quo ad vsum, seu exercitium propositi Breuis Apostolici, & muneris sibi commissi sic se gessit nouus ex sola iurisdictione delegata Inquisitor Reuerendissimus D. Petrus Duzzina publicato solito Edicto Sanctæ Inquisitionis, & receptis varijs depositionibus ex denunciatione plurium iuxta obligationem, sub pœna excommunicationis ipso facto iniunctam in eo, non paucos processauit, condemnauitque, præcipuè Bartholomæum Haxixa Tabellionem, D Petrum Cassia, Lucam Darmenia præfectum Portus huius Insulæ, D Iosephum Bellia Parochum Villæ Belchercaræ, & D. Federicum Attardum Parochum Villæ Zebug propter errorem, quod simplex fornicatio non sit peccatum mortale, contra decisionem de Fide, in Clementina ad nostrum de hæret. & habetur Ephes. 5. *Omnis fornicator nō habet hæreditatem in Regno Christi*: atque propter comestionem carnium diebus prohibitis, quod constiterat per confessionem cuiusdam, qui eas decoctas ipsis porrexerat.

7 Cæterum peculiariter inspiciendum qualiter se gesserit Dominus Inquisitor Petrus Duzzina in executione sui Breuis respectu Domini Episcopi Martini Rojas: quamuis enim litteræ Apostolicæ, quibus hic Inquisitor fuerat constitutus in eodem suprascripto Breui ipso facto reuocatæ manserint ibi, dictas litteras, *& alias quascumque eidem Episcopo desuper concessas, ad beneplacitum nostrum harum serie suspendentes, ac suspensas fore, et esse ad hunc effectum decernentes, et declarantes* &c. relicta ipsi D. Rojas iurisdictione aliqua circa Religiosos, & subditos quoscumque Ordinis Hierosolymitani nulla verò circa quosuis alios nō subditos eius, vt in prædicto Breui, ibi: *Ita tamen quod vbi contingat procedi contra Fratres, et Milites prædictos, et illorum Religiosos, seu Confratres, Donatos familiares, et domesticos, procedas vnà cum Episcopo Melitensi, et cum assistentia Magni Magistri, et Prioris Ecclesiæ Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac Vicecancellarij pro tempore existentium, si interuenenire voluerint: Quo verò ad alios præfatos per te ipsum iuxta formam sacrorum Canonum inquirendi* &c. Nihilominus ad tractationem, & expeditionē causarum fidei, circa non subditos prædicti Ordinis Hierosolymitani cum voto decisiuo Dominus Episcopus Rojas admissus fertur à Domino Petro Duzzina Inquisitore, aliquando cum præcedentia loci, & temporis, aliquando verò è contra. Vnde die 9. Septembris anno 1574. in domo D. Episcopi Rojas relata fuit causa Francisci Torrensij per Dominum Petrum Duzzina Inquisitorem coram Vicario Episcopi, Reuerendo P. Magistro Damiano Taliana Ordinis Prædicatorum, & alijs, qui Franciscus Torrensius abiurauit de formale, & diu tulit habitum pœnitentiæ, vt habetur in nostris Archiuijs fasc. 3. Item 25. Augusti eiusdem anni cuidam reo sanctæ Inquisitionis nomine Baldachino Notario publico datus fuit terminus in domo Inquisitoris D. Petri Duzzinæ, & intimatus in domo Domini Episcopi Rojas eodem loco fasc. 2. Die autem 19. Septembris D. Duzzina absoluit quemdam reum publicè in Templo Sanctissimę Annuntiatæ, coram Domino Episcopo, Domino Priore Ecclesiæ, & Vicecancellario, ibidem. Deinde conuerso die 30. Octobris dicti anni lata fuit sententia contra alium reum per vtrosque Dominum scilicet Episcopum Rojas, & Dominum simul Inquisitorem Duzzinam in huius habitatione, nempe in veteris Castellaniæ domo; abiuratio vero executa in domo Episcopi, vt ibidem fasc. 2. atque similiter in diuersis alijs casibus ad inuicem alteri, ab altero præcedentię honore præstito: quid quod non solum Dominus Petrus Duzzina Inquisitor, sed etiam eius successor in Officio sanctæ Inquisitionis Dominus Pier Sanctus Humanus in expeditionibus, & sententijs plurium causarum fidei contra non subditos Religionis Hierosolymitanæ, vnà cum Episcopo Rojas se subscribebat, ita pronunciauerunt, sententiauerunt &c. seruato eodem ordine vrbanitatis se inuicem honore præcedentię afficiendo: nam in sententijs modo subscripto Episcopi præcedit, & subsequitur illa Inquisitoris; modo est prior illa Inquisitoris, & posterior illa Episcopi, superscriptio verò semper primum locum tribuit Episcopo ita ibidem fasc. 2.

8 Cæterum valde mirū sic subscribere Dominum Episcopum Rojas ab illis concessum, seu permissum, cum in proposita clausula suprascripti Breuis. *Quo vero ad alio* &c. Omnis iurisdictio in causis fidei, quoad non subditos Religionis Hierosolymitanæ ipsi, & successoribus DD. Episcopis Melitensibus omnino sublata videatur. Vnde nam autem eidem Rojas concessio, seu permissio prorsus coniectare non valeo nū quod hi duo DD. Inquisitores de dispositione prædictæ clausulæ, nihil aduerterint aut non perpenderint? absit hoc suspicari de Viris adeò eruditis, & solertibus, an quod ab ipso Summo Pontifice extra prædictum Breue vel à sacra Congregatione Vrbis in instructione quæ Inquisitoribus, vt in plurimum dari solet vt alibi dicemus, illis iniunctum fuerit sic concedere, seu permittere? forte iam iniunctum, vt suauius, & vrbanius cum Domino Episcopo Rojas agerent, ne nimis violentum videretur adeo repente ei eripere omnem iurisdictionem paulò ante ipsi delegatam, maximè cum haberet ordinariam ex iure circa causas fidei quæ in prædicto Breui non ita clarè apparet eidem ablata. Vndecumque tamen prouenerit ille vsus subscribendi, eodem tempore Dominum Epicopum Rojas vnà cum Dominis Inquisitoribus Petro Duzzina, & Pier Sancto Humano, statim post discessum ipsorum ab hac Insula sublatus est, & ex tunc vsq. in præsens soli DD. Inquisitores delegati à Sūmo Pontifice, & à Sacra Congregatione huc missi in sententijs

causa-

causarum fidei subscribere consueuerunt. Quę omnia constant per scripturas authenticas in Archiuijs huius Tribunalis asseruatas.

6 Sublata prętrea alia consuetudo, quæ fuerat introducta, assistendi processibus formandis in causis fidei, etiam contra non subditos Ordinis Hierosolymitani; Dominum Priorem Ecclesię, & Dominum Vicecancellarium, contra eam reclamante, & protestante Domino Episcopo Royas, pręcipuè in supra tradita causa Doctoris V. I. Francisci Torrentij, eò quòd hic non esset Officialis Religionis sancti Ioannis, sed tantum Insulę (vt habetur fasc 3.) ac proindè illi non deberent, nec possent interuenire in formandis informationibus, & formando processu contra eum, cum in suprascripto Breui ipsis, & Magno Magistro assistentia concedatur, si interuenire voluerint in causis fidei tantùm quoad subditos sui Ordinis. Imo progressu temporis, cum assistere solerent quibusuis articulis istarum causarum, nempe reorum constitutis, examinibus testium, etiam examini rigoroso ipsius rei, seu torturæ, & similibus, omnia ferè sublata sunt, atq; remansit sola assistentia prędictorum in expeditione causę ex pręscripto Sacræ Congregationis Vrbis: a qua, vt audio, fuit reprehensus N. Inquisitor, eò quòd coegisset coram Magno Magistro, Priore Ecclesiæ, & Vicecancellario congregationem Sancti Officij (cui vt consultor interfui) pro carceratione cuiusdam Clerici Religiosi dicti Ordinis, cum pro sola expeditione causæ, adhibita tali eorum assistentia, cogere debuisset. Quin etiam huiusmodi assistentia in fidei causis subditorum Religionis Hierosolymitanæ à tempore Reuerendiss. Domini Inquisitoris Carbonesij viginti octo retro annis ferè non est in vsu, cum quoties fidei causa Religiosi, aut subditi dicti Ordinis sancti Ioannis occurrit, ad sacram Congregationem Vrbis mittatur, & inde expeditio eius expectetur, vt hùc transmissa exequatur: quod experientia ipsa mihi constat.

10 Claudam hoc Prolegomen, addito vno verbo circa aliud munus a Summo Pontifice Gregorio XIII. D. Petro Duzzinæ Inquisitori iniunctum, visitandi scilicèt totam hanc Diœcesim Melitensem: neq; hoc omnino extra rem quisquam putet, cum vtrumq; simul eidem eximiæ personę, & fortè ob idem motiuum fuerit traditum, & cum hinc insurgenda pręuideatur occasio aliquid attingẽdi de exiguis redditibus huius Melitetani Tribunalis sanctę Inquisitionis. Vt autem hoc munus Visitatoris Generalis Dominus Duzzina maiori cum fructu, facilitate, & honorificẽtia exequi posset, Illustriss. Magnus Magister pium animi affectum versus talem, Ministrum Sedis Apostolicæ manifestans, per litteras suas patẽtes omnibus Gubernatoribus, Capitaneis, Officialibus, & quibuscumq; subditis suis strictissimè iniunxit, & nõ subditos exhortatus est, vt pręfato Domino Visitatori magnam reuerentiã, peculiare obsequium, & auxilium, vbi opus esset, incunctãter pręstarent, vti ipsius Magni Magistri personæ pręstitissent, si pręsens fuisset. Quarum litterarum exemplar, desumptum ex eo, quod in libris Bullarum apud Cancellariam Sacrę Religionis Hierosolymitanæ repositum est, hic ad verbum non piget tradere.

Litteræ Magni Magistri in fauorem D. Duzzinæ Inquisitoris, & Visitatoris Diœcesis Melitensis.

FRater Ioannes le Vesque de la Cassiere, Dei gratia Sacræ Domus Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani Magister humilis, pauperumq; Iesu Christi Custos: Vniuersis, & singulis Gubernatoribus, Locatenentibus, Capitaneis, & alijs Officialibus hominibus, & Vassallis nostris dilectis in Ciuitatibus, & Insulis nostris Melitæ, & Gaulos constitutis, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus præsentes nostras litteras visuris, lecturis, & audituris salutem, & nostris firmitèr obedire mandatis. Noueritis, quòd cum Sanctissimus Dominus noster D. Gregorius diuina prouidentia Papa XIII. de suo proprio motu constituerit, & ordinauerit Reuerendissimum Dominum Petrum Duzzina I. V. D. Protonotarium, & in Insulis nostris Melitæ, & Gaulos Delegatum, & Inquisitorem in Visitatorem Generalem harum nostrarum Insularum, prout in litteris huiusmodi Apostolicis plenius, ac latius constare vidimus. Hinc est quòd nos, quibus summopere cordi est mandata Sanctissimi Domini nostri Papæ, eiusq; Sanctæ Sedis Apostolicæ firmiter, & humilitèr, vt cupimus, & debemus, omni conatu nostro executioni mandare, hunc nostrum vobis subditis, vt quem nos omnium Pastorem, & Dominum enixè colimus, & ipsi exemplo nostro magis agnoscant, & reuereantur, ac prompto animo eius mandatis obediant, significare volentes tenore præsentium, de nostra certa scientia vos Ecclesiasticos requirimus, & attente hortamur, si gratiam nostram caram habetis, vobis vero sacularibus Officialibus, hominibus prædictis dicimus, præcipimus, & mandamus sub pœna vnciarum centum ponderis generalis fisco Sãctissimi Officij Inquisitionis applicandarum, vt præfatum Reuerendissimum Visitatorem colatis, honoretis, reuerentiamq; debitam præstetis, qualem nobis, si præsentes adessemus, præstaretis, atq; haberetis, & si opus fuerit, ei omne auxilium, consilium, & fauorem circa executionem præfatarum litterarum Apostolicarum, omni mora postposita, sub prædicta pœna, quoties contra factum fuerit, ipso facto incurrenda, ac indignationibus nostri arbitrij impendatis. Sic igitur in præmissis vos exhibeatis, vt vestra obedientia apud nos commendari valeat. In cuius rei testimonium Bulla nostra magistralis in cera nigra præsentibus est impressa. Datum Melitæ in Conuentu nostro die decimaquarta mensis Ianuarij millesimo quingentesimo septuagesimo quarto ab Incarnatione Domini.

11 Hactenus litteræ Magni Magistri; quarum fauore innixus D. Visitator, & sua eximia, qua preditus erat, prudentia visitationem peregit

adeo exacte, & complete, vt regula, & norma semper fuerit, & in præsentiarum sit, cuiuscumq; alterius visitationis. In propositis autem litteris illa clausula præcipue notanda; *Vobis vero secularibus* &c. *mandamus sub pœna vnciarum centum fisco Sanctissimi Officij Inquisitionis applicandarum* &c. vbi per applicationem talis pœnę omnimoda indigentia, & paupertas huius Tribunalis Melitensis Sanctę Inquisitionis denotari videtur: nullis enim tunc redditibus pro sustentatione Reuerendissimi Domini Inquisitoris, & pro aliquo salario Ministrorum fruebatur, dein vacante Sede per mortem Reuerendissimi Episcopi Martini Royas de Portalruuio, applicata fuit ei pensio perpetua sexcentorum scutorum super redditibus huius Episcopatus Meliuetani; confiscata item bona Matthęi Falson hæretici formalis (huius effigies seu statua in platea ciuitatis Victoriosę fuit combusta, proclamante pręcone causam combustionis, nempe propter hęresim) eorumq; possessio capta per Ioannem Calli I. V. D. Sancti Officij promotorem fiscalem de ordine D. Inquisitoris Pier Sancti Humani, vt habetur in Archiuijs Fasc. 2. ex quibus bonis circiter anni redditus trecentorum scutorum effecti: sed hi, & illi quid sunt inter tot, ac tales ministros, maiori certe salario, & mercede dignos? Imo ex his aliqui, vt D. Assessor, & D. Aduocatus, seu Procurator pauperum ob redditaum tenuitatem, aut indigentiam Tribunalis nostri, gratis omnino iugiter laborant. Hinc etiam victus valde exiguus pro miseris pauperibus in eo carceratis: hinc item penuria maxima carcerum, ex quo non exigua inconuenientia circa formationem processuum dimanant: sed de hoc opportunius infra lib. 2. Regularum multiplicium, vt iam ad vltimum prolegomen. gradum faciamus. Timeo enim ne quis mihi vitio tribuat, quod in his de Tribunali Melitensi diutius immorer, & ad minutiora eius manum porrigam: sed rogo pium lectorem boni consulat, cum pro maiori ipsius honore, & rei perspicuitate id pręstiterim, & in residuis sim præstiturus.

PROLEGOMEN. XIII.

De maiori progressu Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Melitensis ex institutione Sacræ Congregationis, vt ex præstantia DD Inquisitorum eius, & Officialium, qui per seriem hic, quoad poterit, exprimentur.

1 Tametsi quoad temporalia bona exiguos valde, vt diximus, quoad spiritualia tamen pro salute, & reductione animarum ad fidem Catholicam, atq; pro extirpatione apostaticæ, & hęreticæ prauitatis ingentes admodum, & pene inenarrabiles fecit progressus hoc nostrum Tribunal Melitense Sanctæ Inquisitionis; pręstita enim iugiter ab eo, præcipue per spatium septuaginta quatuor fere annorum a tempore Reuerendissimi Domini Episcopi, & Inquisitoris Cubelles, vsq; ad præsens magna illa opera Domini, de quibus supra cum Regio Psalmista, *Exquisita in omnes voluntates eius* Psalm. 110. *Diuinorum diuinissimum opus saluti animarum cooperari*, ait diuinissimus le sanctus Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia: sed quis neget multo diuinius ipsas animas, oues Christi Domini, e faucibus luporum, idest hæreticorum eripere, quin etiam inde iam pene deuoratas extrahere, & ad ouile Ecclesiæ Catholicæ Romanæ reducere? vti eripiunt, extrahunt, & reducunt omnia Tribunalia Sanctæ Inquisitionis, præcipue tamen his operibus talis ereptionis, extractionis, & reductionis hoc Melitense incessanter intendit, ob multitudinem, & varietate ex quouis genere causarum fidei, in quarum expeditione quotidie versatur. Infiniti pene hæretici vltramontani, qui sponte comparentes hic reconciliantur, occasione item piraticæ, quæ a militibus Ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, & ab alijs incolis, atq; exteris perpetuo exercetur innumeri apostatæ, qui ad Mahometismum declinauerant, vtriusq; generis, & per denuntiationem, & per spontaneam comparitionem huc adducti, cum debita punitione, vel cum sola legitima abiuratione, & absolutione expediuntur. Sortilegorum dein maxime occasione Infidelium, & meretricum, & sortilegarum processus Inquisitionis vix vllum habent finem, similiter causæ blasphemiarum hęreticalium, & duplicis matrimonij, solicitationis item in confessione non raro.

2 Cęterum vt iam ad rem peculiariter de qua in titulo, applicatio incipiat, ex tota sententia diui Dionysij proposita solum perpendo particulam illam, *saluti animarum cooperari*, idest vnum vel plures simul ministros, vna cum Deo Opt. Max. operari, seu saluti animarum reductioni v. g. earum ad fidem Catholicam, vbi ab ea deuiasse reperiuntur, vel saltem pręsumuntur, operi diuinissimo intendere. Quotiescumq; autem plures simul ministri, seu Officiales, & non vnus solus ei intendunt, cooperatie multo præstantior, & resolutio multo certior, ac firmior censetur. Atq; hinc en tibi institutionem Sacræ Congregationis huius nostri Tribunalis in progressum, seu fructum eius vberrimum cum hic a Deo cooperante maxime pendeat, & ad hunc eliciendum cooperationem, seu assistentiam suam multis præcipue cooperatoribus simul congregatis promisisse legatur.

Vbi enim inquit Christus Dominus, sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. 18. numerus ternarius suaptè natura ad plures se extẽdit, etiam si octo, vel nouem, aut duodecim &c. in congregatione fuerint. Illud in nomine meo, diuersi diuersimodè exponunt, sed non incongrue ad institutum nostrum interpretari posse videtur, de inuocatione Sancti Spiritus vti inuocatur à nobis quoties congregationem Sacram ingredimur, statim initio inchoante Illustriss. Domino Inquisitore antiphonam, *Veni Sancte Spiritus*, & prosequentibus reliquis, *reple tuorum corda fidelium & tui amoris in eis ignem accẽde;* recitatis dein alternatim versiculis, *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem Terræ*, ab eodem Illustriss. Domino recitatur collecta de Spiritu Sancto: *Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, &c.*

3 De antiquitate institutionis huius Congregationis Sancti Officij Melitensis non constat; haud dubitandum tamen iam tempore Domini Episcopi, & Inquisitoris Cubelles fuisse institutam: quamuis ex assistentia illa Domini Prioris Ecclesiæ, Vicecancellarij &c. nequaquam hoc clarè deducatur, quòd eos aliquoties in Congregatione assistere viderim, absq; vllo suffragio cum numquàm isto careant veri congregati, seù Consultores. Quòd autem tempore Domini Inquisitoris Duzzinę Congregatio instituta extiterit, patet manifestè ex sententia ab eo lata die 17. Septembris anni 1574. vbi dicitur, *dùm adhærendo decreto facto in vltima congregatione*, vt habetur fasc. 2. vbi etiam exprimitur, quòd huic Congregationi interfuerit Dominus Episcopus Royas vti Inquisitor; imo quòd in ea suffragium decisiuum tulerit, & dictę sententię simul cum Domino Inquisitore Duzzina subscripserit, quod constat ex supradictis. Perpendenda autem particula illa, *adhærendo decreto.* Nam licèt Consultores non ferant suffragium decisiuum, sed tantùm consultiuum, etiam primus Consultor D. Vicarius Generalis Diœcesis; vt patet manifestè ex clausula illa suprascripti Breuis Gregorij XIII. quo Dominus Duzzina in istis Insulis Apostolicus Inquisitor constituitur, *vbi contingat procedi contra fratres, & milites prædictos* &c. *vnà cum Episcopo Melitensi, & cum assistentia Magni Magistri* &c. *Quo vero ad alios præfatos per te ipsum* &c. quo in loco soli Episcopo circa causas fidei contra Religiosos, & quoscumq; subditos Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani cõceditur votum decisiuum: nihilominùs DD. Inquisitores vt in plurimum ferre solent sententias contra reos adhęrendo Decretis huius Melitẽsis Congregationis, vel sequendo maiorem partem ex suffragijs Consultorum, sicq; obseruari experientia ipsa valdè diuturna mihi constat. Verum hoc dubium, an Consultores habeant votum decisiuum in causis fidei, vel secus? alibi ex professo discutietur Deo fauente.

4 Quoad electionem autem, & numerum Consultorum, aut constituentium Congregationem valdè variatum est a primis illis Inquisitoribus, & circa personas ipsas, & circa locum. Nam iam plures electi, & vocati. iàm pauciores, duo scilicèt, vel tres tantùm, pręter Officiales Ordinarios: iam iidem sępius ad multiplices Congregationum actus, iam diuersi. Quę omnia tùm ex traditis prolegomene pręcedenti num. 7. & 8. tùm ex vsu aliquandiu eo tempore seruato, quòd nomina, & cognomina eorum, qui Congregationem ingrediebãtur, quoties hęc cogebatur, à Notario in scriptis exprimi solerent, quoquo modo innotescunt. Verum vt clarius constet qualitèr hęc executa, & alia hùc spectantia exemplificationem multiplicet peropportunam iudico.

5 Vnde anno 1577. die 14. Ianuarij habita congregatio in ędibus Sancti Officij, & vocati ad eam fuere per Reuerendiss. Dominum Inquisitorem Raynaldum Corsum soli quatuor, nempè R. M. Damianus Taliana Ordinis Pręedicatorum Theologus, M. DD. Bernardinus de Laude Assessor, Galeatius Cadamultus, Valerius Micallef I. V. Doctores, & Consiliarij, absente ab hac Ciuitate Reuer. D. Vicario Generali Episcopatus Sede vacante. In qua Congregatione, pręmissa inuocatione Sancti Spiritus, &c. propositę aliquę causę &c. Ita ex veteri Codice, apud huius Tribunalis Sãctæ Inquisitonis Archiuum asseruato. Ex quo etiam, quę sequuntur prout ibi breuitèr excerpentur a liqua. Anno itaq; 1578. die 15. Nouembris adunatę Congregationi interfuerunt pręfatus D. Inquisitor Corsus, D. Antonius Bartholus Vicarius Generalis Reuerendiss. D. Fratris Don Thomę Gargalli Episcopi Melitẽsis, atq; iàm dicti Frater Damianus Taliana, D. Bernardinus de Laude, & D. Galeatius Cadamultus vocati etiam fuerunt Reuerendiss. D. Frater Antonius Crescinus Prior Ecclesiæ Sancti Ioannis Hierosolymitani, & D. Frater Didacus de Ouando Vicecancellarius eiusdem Ordinis, sed se excusantes non accesserunt, forte quòd nescirent agendum esse in ea Congregatione de causa Fratris Francisci Mengio Seruientis armorum suæ Religionis, aut e contra quòd scirent, & nollent interuenire, eò quòd Congregatio non haberetur in Palatio Magistrali corã Illustr. Magno Magistro, vti habẽda illis fortè videbatur.

6 Iàm cum magna varietate personarum, & loci, die 22. Martij anni 1579. habita fuit Congregatio Sancti Officij non in Palatio Episcopali, neq; in ędibus solitis D. Inquisitoris, sed in Sacello quodam Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Annunciatę, & huic Congregationi interfuerunt Reuerendiss. D. Episcopus Melitẽsis F. D. Thomas Gargallus, Reuerendiss. D. Inquisitor Corsus, & Reuerendiss. D. Antonius Bartholus Vicarius Generalis dicti D. Episcopi, & R. P. Emanuel Ximenes de Societate Iesu Theologię Professores, etiam dictus Bernardinus de Laude, nec non Paschalis de Franchis V. I. D. Promotor Fiscalis &c. & inuocato prius auxilio Spiritus Sancti, proposita fuit petitio Antonij Bonelli non ferendi amplius impunè habitellum crocei coloris, & collatis votis fuit concessa ei gratia cum clausula, donec a Sanctissimo Domino, siue ab Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. Sanctæ Inquisitionis Romanæ Cardi-

nalibus aliud mandatum fuerit, &c.

7 Tandem omissis alijs, attingo solam illam celebrem congregationem sępius coactam pro graui quadam causa fidei cõtra Monachum. N. Religionis N. qui inter concionandum in templo D. Ioannis asseruerat; Cantica Canticorum fuisse composita a Salomone intuitu eius concubinę filiæ Pharaonis Regis Aegypti, & amores illos sensuales, & lasciuos fuisse eleuatos a Spiritu Sancto ad sensus spirituales, & diuinos: adiunxerat etiam hanc esse doctrinam diui Hieronymi. Habita itaq; prima vice Congregatio die 29. Ianuarij anni 1581. in Palatio Sancti Officij Inquisitionis, & ei interfuerunt Reuerendissimus D. Inquisitor Federicus Cefalottus, Illustr. & Reuer. Frat. Antonius Crescinus Prior Ecclesiæ Conuentualis Sancti Ioannis Hierosolymitani; item admod. Illustriis Frat. Oliuerius Starcheus Baiulius Aquilæ, Reuerendus etiam Frat. Didacus de Ouando Vicecancellarius D. Nicolaus Burlò Vicarius Generalis, D. Antonius Bartholus S. Theologię Doctor, Frat. Lucianus Branca Sacræ Religionis Hierosolymitanę S. Theolog. Professor Frat. Paulus de Sicli Ordinis Sancti Francisci de Obseruantia S. Theolog. Doctor, Frat. Saluator Petit Ordinis Capuccinorum S. Theolog. Doct. Frat. Petrus Mugliat Eleemosynarius Illustrissimi D. Magni Magistri, Magnificus D. Galeatius Cadamustus I. V. D. Magnificus D. Pasqualis de Franchis Sancti Officij Promotor Fiscalis &c. Iterata sępius diuersis diebus Congregatione, pręmissa semper inuocatione Sancti Spiritus, & adhibito ab omnibus Consultoribus magno studio circa materiam, & causam adeo grauem; tandem resolutum, quòd prędicta doctrina, & verba prolata à Concionatore N. essent valdè scandalosa temeraria, & errori proxima, atq; quòd eorum nullum vestigium apud Sanctum Hieronymum reperiretur: vnde per sententiam iuridicam fuit tunc priuatus prędictus Monachus N. ab officio concionandi, suspensus item &c.

8 Iam de pręstantia, & excellentia dictorum Officialium, & Consultorum, qui huic Tribunali Melitensi Sanctæ Inquisitionis hucusq; pręfuerunt, & ex quibus eius Sacra Congregatio constitit, quid dicendum? Ex traditis hactenus magna ex parte circa aliquos eorum clarè constat quam pręstantes, & excellentes fuerint, verum circa eosdem, & circa reliquos, quorum memoria extat, ex multiplicis ipsorum seriè hic a nobis nunc exprimenda, multo clarius constabit.

Series DD. Inquisitorum, qui ex Delegatione Sedis Apostolicæ huic Tribunali Melitensi Sanctæ Inquisitionis præfuerunt.

1 ANno 1562. die 15. mensis Iunij per litteras Sacræ Congregationis Vrbis expeditas anno pręcedenti 1561. die 21. Octobris, Pontificatus Pij Papæ IV. anno 2 accepta iurisdictione Delegata à Sede Apostolica, constituitur primus Inquisitor fidei, & fundator huius Tribunalis Sanctę Inquisitionis in hac Insula Melitę, & locis ei adiacentibus Reuerend. D. Dominicus Cubelles Episcopus Melitensis.

De vno vel duobus Inquisitoribus Dominicanis nihil certum, vt supra dictum, vt probabilius traditum Patrem Magistrum fratrem Thomam Caietanum munus Inquisitoris in hoc loco exercuisse circa annum 1563. vt patet Fasc. 2. post iam constitutum Inquisitorem Delegatum Sedis Apostolicæ Reuerendum D. Episcopum Cubelles.

2 Anno 1573. die vigesima Aprilis Reuerendissimus D. Martinus Royas de Portalruuio Episcopus Melitensis per rescriptum Gregorij XIII. incip. *Et si de dilectorum &c.* constituitur secundus Inquisitor Delegatus Sedis Apostolicæ ad promouendum hoc Tribunal Melitense Sanctæ Inquisitionis, vt patet ex iam traditis.

3 Anno 1574. ad regimen huius Tribunalis Sancti Officij D. Magister Petrus Duzzina I. V. D. & Protonotarius Apostolicus per Breue iam supra traditum a Gregorio XIII. assignatur, & simul ad visitandum hãc Diœcesem Melitensem.

4 Promouetur ad idem munus Inquisitoris Melitensis D. Pier Sanctus Humanus I. V. D. & Protonotarius Apostolicus anno 1575. postea Canonicus Ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, & Assessor Sancti Officij Romę.

5 Succedit quinto loco eidem muneri Inquisitoris Delegati a Sede Apostolica anno 1577. Dominus Rinaldus Corsus I. V. D. & protonotarius Apostolicus, in arte metrica valdè celebris, qui pro meritis Episcopatum Strongilensem obtinuit.

6 Sextus Inquisitor Melitensis fuit D. Dominicus Petruccius I. V. D. & Protonotarius Apostolicus anno 1580. Eius discessus ab hac Insula dicitur fuisse hospite insalutato, ob dissidia inter ipsum, & Magnum Magistrum exorta obtinuit nihilominus Episcopatum Bizignan.

7 Accessit huc anno 1581. pro eodem munere Inquisitoris exercendo D. Federicus Cefalotus I. V. D. qui etiam non ita plenè satisfecit ob dissensiones inter ipsum, & D. Episcopum Gargallum.

8 Octauus Inquisitor assignatur D. Pier Franciscus Costa V. S. Referendarius anno 1584. postea Episcopus Sauonensis, qui dum hic Inquisitor esset, vocato Romam D. Episcopo Gargallo, curam huius Diœcesis quousq; hinc discessit, habuit.

9 In vtroq; munere scilicet Inquisitoris, & curę Episcopatus successit ei D. Ascanius Libertanus I. V. D. & V. S. Referendarius anno 1585. postea Episcopus Ciuitatis Caglietoris cum prius Romę Assessor Sancti Offitij fuisset.

10 Decimus Inquisitor Melitensis fuit assignatus Reuerendissimus D. Episcopus Sancti Angeli, sed non exercuit munus: eadem enim nocte, qua huc appulit, e vita dicessit. Sepultus in Ecclesia Sancti Laurentij Ciuitatis Victoriosę in lapide sepulturæ hęc honorifica inscriptio legitur, Ioannis Baptistę Petralatę Cameren. Episcopi Sancti Angeli a Sixto V. Pontif. Maximo ad hanc Insulam Melitam pro Inquisitore & ad

& ad alia ardua negotia deputati ossa hoc teguntur tumulo, is enim vix e triremi descendit, & ad Inquisitoris Domum se contulit, maximo cum dolore totius Illustrissimi Hierosolymitani Ordinis, & Meliten. populi animam immortali Deo reddidit die 21. Iulij 1588.

11 Loco præcedentis demortui statim huc missus est eodē anno 1588. ad exercendum idē munus Inquisitoris D. Paulus Belarditanus Episcopus Liparen. a Sixto V. cum diplomate sic incipiente, a tergo: *Venerabili Fratri Paulo Episcopo Liparen.* intus vero: *Sixtus PP. V. Venerabilis frater salutem* &c. *Sperantes, quod ea, quæ tibi commiserimus pro tua virtute, doctrina, integritate, & Catholicæ Religionis studio recte, & laudabiliter administrabis, te hæreticæ, & apostaticæ prauitatis Inquisitorem in Ciuitate, & dioecesi, ac in insula Meliten. facimus* &c. desinente, *Dat. Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die* 15. *mensis Septembris* 1588.

12 Duodecimus Inquisitor D. Angelus Gennaius Clericus Florentinus V. S. Referendarius 1590. qui per breue tempus hoc munus exercuit: Reuocatus enim ab eodem Sixto V. a quo missus fuerat, causa reuocationis ignoratur.

13 Iterum huc mittitur 1591. Inquisitor prædictus Reuerendissimus D. Episcopus Liparen. Paulus Bellarditus, qui paulo post hic vitam cum morte commutauit.

14 Decimusquartus Inquisitor Melitensis fuit D. Ludouicus dell'Armi Bononiensis I V. D. & Protonotarius Apostolicus anno 1592.

15 Constituitur decimoquinto loco a Clemento P.P. VIII Inquisitor Melitensis D. Innocentius del Busalo Romanus V. S. Referendarius anno 1595. cui etiam commissa fuit cura reuidendi computa introitus, & exitus sacræ Religionis Hierosolymitanæ. Hic pro meritis postea ad Cardinalitiam dignitatem iure optimo prouectus.

16 Mittitur decimosexto loco 1598. ad promouendum hoc Tribunal Melitense sanctæ Inquisitionis D. Antonius Hortensius Mediolanensis Protonotarius Apostolicus. Qui postea Romæ per multum temporis munus Secretarij in sacra Congregatione super Episcopos laudabiliter exercuit, & in hoc exercitio diem vltimum clausit.

17 Assignatur decimoseptimo loco pro istis insulis Inquisitor Generalis D. Fabritius Verallus Romanus V. S. Referēdarius anno 1600. & per quinquennium maxima cum omnium satisfactione suum munus exercuit: dein inter Purpuratos Patres merito ascriptus.

18 Præficitur eidem muneri Inquisitoris Melitensis anno 1605. D. Hector Diotalleui Ariminensis Protonotarius Apostolicus, vir omnimodæ eruditionis, & virtutum præstantia valde excellens: qui primo promotus ad Episcopatum sanctæ Agathæ prope Metropolim Regni Neapolitani, postea ad Episcopatum Fanensem, ab hoc Inquisitore licet immeritus inter Consultores huius Tribunalis sancti Officij Melitensis fui ascriptus.

19 Post præcedentem venit huc Inquisitor anno 1607. D. Leonetus della Corbara Romanus: qui quod non se ita bene in exercendo suo munere gereret, tempestiue Romam reuocatus.

20 Sequitur vigesimo loco ab anno 1608. per sexennium in eodem munere Inquisitoris Melitensis D. Euangelista Carbonesius Bononiensis V.S. Refendarius, & Canonicus sancti Petri in templo Vaticano, vir eximiæ prudentiæ.

21 Vigesimus primus Inquisitor istarum insularum ab anno 1614. per quinquennium fuit Dominus Fabius Dilagonessa Neapolitanus I. V. valde insignis D. & V. S. Referendarius: hinc Romæ in Congregatione sancti Officij Consultor assignatus, postea ad Archiepiscopatum Ciuitatis vulgo Consa promotus; inde ad nuntiaturam Belgicam missus, tādem titulo Patriarchæ Antiochen insignitus, maiori dignus honore.

22 Ad idem munus Inquisitoris exercendum venit huc anno 1619. D. Antonius Torniellus Nouarensis V. S. Referendarius. Qui Romæ post munus Vicesgerentis, & secretarij sacræ Congregationis episcoporum diu gessit, & adhuc hoc gerit: tametsi pro meritis ad Episcopatum Nouariensem a sanctissimo Papa nostro Vrbano fuerit euectus.

23 Anno Domini 1621. die decima tertia Maij huc accessit nouus Inquisitor, nempe vigesimus tertius nobilissimus ille vir Dominus Paulus Torellus Parmensis V. I. D. & V.S. Referendarius, pronepos ex parte matris Papæ Pij V. sanct. mem. quamquam ipse esse maiorem suam nobilitatem ex parte patris sępius asseueranter affirmabat: Vnde titulo Illustrissimi ab omnibus condecorari voluit, sicuti sibi deberi de iure aiebat; & quidem obtinuit. Hinc factum vt cum paulo ante Serenissimi titulus ab Imperatore Ferdinādo D. Alofio de Vvignacourt Magno Magistro fuisset concessus, & hic nollet prę animi submissione ipsum executioni mandari, ne nouus Inquisitor magnitudine tituli supremo totius Ordinis Hierosolymitani superiori, & istarum insularum Principi adæquaretur, hic amicorum suasione se titulo Serenissimi ab omnibus permiserit insigniri, & hoc maiore honore affici: quo etiam affecti fuerunt duo Magni Magistri eius successores D. Aloysius Mendes de Vasconcellos, & D. Antonius de Paula, quousq; huic ex præscripto Capituli Generalis secundum Bullam Sanctissimi D. Papæ Vrbani VIII. Eminentissimi titulus fuit attributus, & reliquis eius successoribus. Ex tunc autem vsu receptum, vt tres Præsules nempe D. Episcopus, D. Inquisitor, & D. Prior Ecclesiæ, qui Reuerendissimi titulo tantum insigniebantur, Illustrissimi cœperint insigniri: item Proceres Magnæ Crucis Ordinis Hierosolymitani, qui solo titulo admodū Illustris contenti erant, ad Illustrissimi titulum ascenderint. Præfatus deniq; D. Torellus ad Archiepiscopatum Ciuitatis vulgo de Rossano promotus

24 Vigesimusquartus Inquisitor Melitensis fuit D. Episcopus Balneoregien. Carolus Bouius Bononiensis per diploma Gregorij XV. incip. *Cum nuper te* &c. anno 1623. die xij Iunij.

25 Post præcedentem anno sequenti, nemp mille-

lesimo sexcentesimo vigesimo quarto missus fuit Inquisitor Melitensis D. Honoratus vicecomes, Mediolanensis I.V.D.& V.S. Referendarius; qui post administratum per triennium hoc Tribunal sanctæ Inquisitionis ad regimen Marchiæ Anconitanæ immediatè Papæ subiectus ascendit: post ad Nuntiaturam Regni Poloniæ.

26 Anno 1627. die 23. Maij munus Inquisitoris Tribunalis sancti Officij Melitensis obire cœpit D. Nicolaus Herrera Romanus V.I.D. & V.S. Referendarius, obiuitq; præclarè per triennium. Hinc vocatus Neapolim ad Nuntij munus,in quo exercendo adhuc manet.

27 Comitia generalia sacræ Religionis Hierosolymitanæ celebranda erant, & vt ipsis præesset nomine sanctissimi Papæ Vrbani VIII. assignatus fuit 1630. vir magnitudine animi, & ingenij excellentia præstantissimus D. Ludouicus Seristorius Florentinus I.V.D. & V.S. Referendarius, atq; vt munus Inquisitoris in hoc Tribunali Melitensi exerceret: vtrumq; præstitit peregregie quidem: vnde Romam vocatus Consultor in sacra Congregatione sancti Officij efficitur:& inde ad Episcopatū Ciuitatis Cortonen. promouetur; ad maiora certe promoueri dignus.

28 Anno 1631. suscipit munus Inquisitoris in istis Insulis die 28 Decembris D. Martinus Alferius Mediolanensis V.I.D. & V.S. Referendarius: hic Episcopus ciuitatis nomine Insulæ electus, & consecratus ad Nunciaturam Coloniæ mittitur, in qua adhuc, vt audio, manet.

29 En quales Inquisitores,quam insignes,quāq; præstantes hoc Melitense Tribunal sanctæ Inquisitionis vsq, ad annum 1634. habuerit; en quorum maxima industria,& non exiguo labore ipsum fundatum,stabilitum,& propagatum cum ingenti, quoad negotium fidei,progressu, & inenarrabili fructu incolarum omnium huius Insulę, eiq; cuiusq; loci adiacentis, atq; aduenarum vndecumq; huc confluentium. Cæterum tandem felicissima illa dies,nempe decima nona Octobris anni 1634 cunctis prædictis illuxit, quo in his oris tanquam fulgentissimus sol apparuit Illustrissimus, & Reuerendissimus D.Episcopus Neritonen D. Fabius Chisius Senensis V.S. Referendarius,& radijs suæ eximiæ doctrinæ duplicatæ (vtraq; enim laurea Doctoratus sacræ Theologiæ, & iuris Canonici, ac Ciuilis egregie insignitus existit) & virtutum præclarissimarum splendore clarescere cœpit, atq; multo maiori cum fructu,& progressu huius Tribunalis Melitensis sanctæ Inquisitionis iam per trienium in dies magis semper claruit: quod in executione præcipue sui muneris Inquisitoris (vt nunc de alijs taceam) & recta,ac stricta, vti requiritur,Iustitiæ administratione adeo verum est, vt maximopere sit optandum, quotquot huc accesserint eius successores in dicto munere Inquisitoris ipsius vestigia perpetuo sequantur sed de laudibus, & excellentijs huius tanti viri opportunior forte occurret locus dicendi Deo bene iuuante, vita superstite.

Post hæc sic elaborata, ab admodum Illustri, & Reuerendo D.D.Fr.Francisco Habela Vicecancellario supra adducto oblati sunt mihi duo alij Inquisitores antiqui, istarum insularum, nempe circa annum 1434. Fr. Matthęus de Melita S.Th.M. & circa 1481. Fr. Philippus de Barberijs S.Th.M. Dominicanus ad fungedum munere sanctæ Inquisitionis huc missi: de posterioris missione extant Regis Ferdinandi literę Toleti 12. febru. præcipientis Episcopo Melitensi D. Fr.Ioanni de Patennione Benedictino, vt ex prouentibus suæ Ecclesiæ portionem illi contribueret. Extracta sunt ista ex Opere nuper edito ab Abbate D. Rocho Pirro de Notitijs Ecclesiarum regni Siculi, in Notitia Ecclesiæ Melitensis,& habentur in Proton. dicti Regni 17. Martij 14. Indict.

Series DD. Proinquisitorum, qui interim huius Tribunalis Melitensis sanctæ Inquisitionis curam habuerunt.

VSus, seu stylus huius nostri Tribunalis Melitensis sanctæ Inquisitionis semper huiusmodi fuit, vt non prius finito tempore vetus Inquisitor hinc discederet, quam nouus eius successor ad hanc insulam perueniret, possessionemq; sui muneris complete susciperet. Ita fere pro bono regimine perpetuo obseruatum, exceptis aliquibus casibus, in quibus aliter iudicatum expedire, ne scilicet Inquisitor sui successoris aduentum expectaret, sed quamprimum iter arriperet, relicto Proinquisitore, prout sibi iniunctum a Sacra Congregatione Vrbis, vel Vicario Generali, vel alio ex ministris huius Tribunalis, qui eius interim curam haberet. De his ergo Proinquisitoribus visum est opportunum hic breuem seriem indicare.

1 Circa annum 1588 in discessu ab hac insula Reuerendissimi Dom. Pauli Bellarditæ Episcopi Liparen. prima vice Inquisitoris, mansit cum cura huius Tribunalis Proinquisitor Dom. Commendatarius Frater Franciscus Condulli Melitensis Sacræ Religionis Hierosolymitanæ V.I.D. qui tempore Illustrissimi Magni Magistri Martini Garzes fuit aliquamdiu eius Auditor, & per multos annos Regens Cancellariæ, Viceccancellarius, ac Professor Theologiæ Moralis.

2 Secundus Proinquisitor meritissimus, discedente hinc D.Innocentio Bufalo, fuit D. Antonius Bartholus Melitensis sacræ Theologiæ Doctor,Cathedralis Ecclesiæ Decanus,& Vicarius Generalis; quandiu autem curam huius Tribunalis sanctæ Inquisitionis habuerit,ignoratur, cum cœperit habere ad initium anni 1597. circiter.

3 Anno 1622. cum D. Inquisitor Paulus Torrellus iussu summi Pontificis Gregorij XV. Messanam profectus fuisset ad negotia grauia nomine eius gerenda,quamdiu ibi mansit,nempe per spatium sex mensium, huius Tribunalis sanctę Inquisitionis curam habuit, vt Proinquisitor Dominus Philippus Borgius Melitensis I.V.D. & Ecclesiæ Collegiatæ Belchercarensis Prapo-

Præpositus. Qui tempore Illustrissimi Episcopi Domini Gurgalli, & Illustrissimi Episcopi Domini Cagliares huius Diœcesis Melitensis, vti Vicarius Generalis per plures annos curam gessit.

4 Anno millesimo sexcentesimo Vigesimo septimo mense Maij hinc discedente Domino Honorato Vicecomite assignatus fuit Proinquisitor Dom. Petrus Franciscus Pontremolus Melitensis sacræ Theologiæ Doctor, & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ, tunc Vicarius Generalis Illustrissimi Episcopi Domini Cagliares, qui per breue tempus huius Tribunalis sanctæ Inquisitionis munere functus est.

5 Vocatus Neapolim, vt ibi Nuntij munus obtineret Dominus Inquisitor Nicolaus Herrera anno 1630. ineunte iunio reliquit Proinquisitorem eumdem Dominum Philippum Borgium tunc Consultorem sanctæ Congregationis sancti Officij, in cuius cur per sex menses egregie se gessit.

6 Iussu sanctissimi Domini Papæ Vrbani VIII. Dominus Inquisitor Ludouicus Seristorius huius Diœcesis Melitensis curam suscepit ob infirmitatem Illustrissimi Domini Episcopi Cagliares titulo superintendentis: assignatusq; ei fuit ab eodem summo Pontifice pro hoc regimine socius titulo Vicarij Apostolici Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Commendatarius Frater Saluator Imbroll. Melitensis V. I. D. Ordinis Hierosolymitani Magnus Ecclesiæ Conuentualis Prior. De quo titulo Vicarij Apostolici expresse, vt ipse legi, in Epistola quadam Eminentissimi Cardinalis sancti Onofrij ad dictum Dominum Inquisitorem Seristorium per sequentia verba, Italico idiomate: *Hanno resoluto questi Eminentissimi miei signori* &c. *E che V. S. mediante il vicario Apostolico* (nempe dicto Domino Priore Ecclesiæ) *procuri che detto Sebastiano osserui l'esilio* &c. Discedente autem ab hac insula Domino Inquisitore Seristorio, mansit Proinquisitor sanctæ Inquisitionis per aliquod breue tempus prædictus Dominus Vicarius Apostolicus, cum iam prius in Congregatione sancti Officij fuisset admissus anno 1631.

7 Iterum præfatus Dominus Canonicus Petrus Franciscus Pontremolus tunc Vicarius Generalis Capitularis sede vacante, reuocato Romam Domino Inquisitore Martino Alferio fuit Proinquisitor per sex menses anni 1634. huius Tribunalis Melitensis sanctæ Inquisitionis, & sæpius coacta Congregatione expediuit non paucas magni momenti causas, adeo exacte, & iuridice, tantaq; cum omnium satisfactione, vt meruerit pro talibus expeditionibus ab Eminentissimis Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus Sacræ Congregationis Vrbis non exiguo encomio affici per Epistolam Eminentissimi Cardinalis Præfecti dictæ Congregationis Domini Francisci Barberini, quam hic ad verbum exprimere conueniens duxi eodem idiomate, quo fuit scripta: a tergo: *All'Illustre, e molto Reuerendo Signore il signor Pier Francesco Pontremoli.*

Intus vero, *Illustre e molto Reuerendo signore. Si è inteso volontieri per lettere di V. S. l'arriuo ai Monsignore Inquisitore costa, e circa la scusa, che a lei è piaciuto di fare intorno al suo seruitio di Proinquisitore, si le dice, che questi Eminentissimi miei signori hanno in quella conosciuta maggiormente la bonta sua, & hauendola molto commendata, hanno ordinato, che se ne tenghi grata memoria per ogni occasione di suo seruitio, & il signore la conserui sempre. Di Roma li 30. di Decembre 1634.*

Al piacer di V. S.

Il Cardinal Barberino.

Atq; hæc de Proinquisitoribus tantum dicenda occurrunt, cum nihil aliud memoriæ proditum reperire potuerim.

Series DD. Assessorum, qui huiusmodi munus in hoc Tribunali sanctæ Inquisitionis obtinuerunt.

1 DVM Reuerendissimus Dominus Episcopus Cubelles munus Inquisitoris contra hæreticam prauitatem exercuit, an sibi aliquem ministrum in Assessorem asciuerit omnino ignoratur, illud autem certum, cum circa annum 1554. pro expeditione aliquarum causarum Dominum Didacum Rodrigez fratrem Cappellanum sacræ Religionis Hierosolymitanæ Theologiæ Licentiatum, suum Vicarium, seu Commissarium, prout de iure poterat, creasset, ei in Assessorem assignasse Dominum Franciscum Mego I. V. D. vt iam a nobis supra traditum Prolegom. xij. num. 13.

2 Secundus Assessor huius Tribunalis apud acta in Archiuio eius asseruata reperitur esse Dominus Nicolaus de Naro I. V. D.

3 Præcedenti, vt creditur, successit circa annum 1578 Dominus Bernardinus de Lauda Melitensis I. V. D. & Ecclesiæ Cathedralis Canonicus.

4 Sequitur quarto loco in munere Assessoris Dominus Frater Franciscus Condullus sacræ Religionis Hierosolymitanæ I. V. D. qui ideo Proinquisitor assignatus, vt iam supra dictum.

5 Dein idem munus Assessoris exercuit Dominus Paulus Cassar I. V. D.

6 Inueni quando Consultor huius Tribunalis admissus fui, Assessorem eius Dominum Dominicum Della I. V. D.

7 Iterum, ablato isto Vella eligitur Assessor præfatus Dominus Paulus Cassar.

8 Hoc demortuo assignatur nouus Assessor Dominus Valerius Miccius V. I. D qui prius per multos annos munus Procuratoris pauperum exercuerat.

9 Tandem præficitur pro meritis Assessor huius Tribunalis sanctæ Inquisitionis supranominatus Canonicus Dominus Petrus Franciscus Pontremoli.

Series

Series DD. Consultorum Congregationis sancti Officij Melitensis.

VIX inter istos assignari potest ordo seruata antiquitate temporis, vel prioritate electionis; cum non reperiatur memoriæ proditum: iudicatur tamen primus Consultor fuisse ad modum Reuerendus P. Fr. Damianus Taliana sacræ Theologiæ Mag. Ordinis sancti Dominici, qui a tempore D. Inquisitoris Petri Duzzinæ, vsq; ad annum, ni fallor, 1608 gubernante hoc Tribunal D. Inquisitore Euangelista Carbonesio muneri Consultoris per tot annos fidelissime, & cumulatissime in omnibus satisfecit, & plenus dierum sāctissime obijt. Cui merito funeralia obsequia iussu dicti D. Carbonesij nomine totius Tribunalis sanctæ Inquisitionis in Ecclesia Diuę Nuntiatę exhibita sunt, præsente ipso D. Inquisitore Carbonesio cum assistentia cunctorum officialium, & Consultorum eius, inter quos adfui; atq; ex eo tempore vsu receptum, vt cuiuis ministro e vita discedenti eiusdem Tribunalis nomine, idem honor funeris exhibeatur. Forte ante dictum Talianam reponendus primus Consultor sancti Officij M. Petrus Zarab Melit. celebris Ecclesiastes Ord. Carmelit.

Ex eodem Ordine Dominicano fuerunt hi omnes Consultores Theologi, nempe Fr. Ioannes Cappello Theologiæ Magister: Item Pater Magister Fr. Bernardinus Talauera. Pr. Fr. Melchior Theodorinus Theologiæ lector. Pr. Magister Fr. Ruggerius, qui in Ciuitate Panhormi dicitur fuisse Præfectus studiorum suæ Religionis. Fr. Ma r. Fr. Petrus Attardus, qui semel tantum Congregationem, ingressus fuit, & statim ex hac insula discessit, sed postea huc reuersus perdocte munus Consultoris nunc exercet. Tandem Fr. Magister Matthæus Rispolus de quo iam supra Proleg. 14. num. 2.

Ex Religione Hierosolymitana præter sæpius nominatum Reuerendissimum D. Priorem Ecclesiæ Crescinum, fuerunt Consultores sancti Officij Melitensis Dominus Fr. Ouandus Vicecancellarius, D. Fr. Franciscus Condulli, qui post ad munera assessoris, & Proinquisitoris, vt iam dictum, ascendit; D. Fr. Michael Oliuerius Melitensis. D. Fr. Fabritius Genuinus Geminianus Neapolitanus. Tandem D. Frater Balthasar Cagliares Sacr. Theol. Doct. qui postea ad Episcopatum euectus.

Ex nostra Societate Iesu hi Consultores sanctæ Inquisitionis Melitensis assumpti, Pater Emanuel Ximenes Theologiæ Professor. Pater Antonius Vaschez Hispanus, Pater Aloysius Morales etiam Hispanus Theologiæ Professor. Pater Franciscus Renda Siculus, Rector huius Collegij Melitensis. Pater Iacobus Caribdi Rector etiam eiusdem Collegij. Deniq; ego ipse licet immeritus P Sebastianus Salelles Theologiæ Professor &c. iam huic Tribunali Melitensi sanctę Inquisitionis per triginta quatuor annos iugiter, ac fideliter inseruiui.

Præter dictos fuerunt etiam Consultores Theologi, vel iurisperiti sanctæ Inquisitionis ex statu Clericorū secularium. Primò vt Vicarij Generales supranominatus D Antonius Bartholus. D. Marius Malia sacræ Theologiæ Doctor, a tempore D. Inquisitoris Hortensij vsq; ad annum 1635. in Officio Consultoris postea mansit, & egregie se gessit. D. Philippus Borgia I. V. D. de quo aliquoties supra, & adhuc vi Consultor manet. D. Petrus Franciscus Pontremolus S T. D. qui nunc assessor; D. Iacobus Sterpianus I. V. D. Lombardus. D. Ioannes Baptista Vella, & Cagliares V. I. D. & nunc Cathedralis Ecclesiæ Canonicus. D Clemens Fabritius Spoletanus I. V. D. vir summæ virtutis, & doctrinæ. D. Pompeius Mingutius I. V. D. qui post professionem in sacra Religione Hierosolymitana emisit, & nunc iam eius Commendatarius. Tādem D. Antonius Thomassentius I. V. D. Cantor Ecclesiæ Cathedralis qui adhuc Officium Vicarij Generalis exercet. Item D. Franciscus Vassallus I. V. D. & Ecclesiæ Cathedralis Canonicus. D. Iacobus Pacius S. T. D. D. Nicolaus Mangion I. V. D. nunc Serenissi. & Eminentissimi Principis istarum insularum, & Magni Magistri Ordinis Hierosolymitani Ioannis Pauli Lascaris de Castellar promeritis Auditor.

Ex statu seculari hi extiterunt Consultores Congregationis sancti Officij Melitensis, nempe D. Galeatius Cadamustus V. I. D. D. Valerius Micallef I. V. D. D. Paulus Cascar V. I. D. de quo iam supra. D. Dominicus Vella, I. V. D. de quo etiā iam supra. D. Iacobus Muscat I. V. D. a tempore D. Inquisitoris Carbonesij vsq; ad præsens in Officio Consultoris operam suam egregie impēdit. D. Ioannes Baptista Bonicius I. V. D. postea Auditor Eminentiss. Magistrorum Mendes, & Paula. D. Io: Maria Mamo I. V. D. spatio duorum annorum munere Consultoris obdormiuit in Domino me pręsente, & adiuuante. D. Melchior Vella I. V. D. D. Leonardus Xara I. V. D. qui nunc in Officio Consultoris nostro Tribunali inseruit. Omitto plures iam supra nominatos, qui interfuerunt Congregationibus huius Tribunalis, de quibus hoc Prolegomeno egimus.

Series DD. Promotorum Fiscalium Tribunalis sanctæ Inquisitionis Melitensis.

CIrca annum 1563. munus Promotoris Fiscalis sanctæ Inquisitionis suscepit D Gulielmus Abel I. V. D Post hunc assignatus est pro executione eiusdem muneris D. Ioannes Calli Melitensis, natione Græcus, insignis V. I. D. Tertius Promotor Fiscalis fuit D. Pasqualis de Franchis V. I. D. ei successit in hoc munere D. Franciscus Surdus V. I. D. dein per multos annos, & cū magna omnium satisfactione idem munus Promotoris Fiscalis exercuit D. Don. Ioannes Dominicus Testaferrata V. I. D. Sacerdos singularis virtutis. Item D. Aurelius Vassallus I. V. D. Iterum per multos annos dictus D. Don Ioannes Dominicus Testaferrata Protonotarius Apostolicus: huic successit in eodem munere iam supra nominatus D. Paulus Cassar. Tandem in exercendo egregie hoc Officio Promotoris Fiscalis per quatuordecim annos mansit, & nunc manet D. Paulus Testaferrata I. V. D.

Series Procuratorum Pauperum huius Tribunalis Melitensis Sanctæ Inquisitionis.

PRimus in hoc munere assignatus reperitur supradictus Dominus Aurelius Vassallus. Secundus Procurator Pauperum fuit per multos annos D. Aurelius Miccius, qui vt iam dictum, hinc ad Assessoratum ascendit. Tertio loco reponitur in Procuratione Pauperum D. Ioannes Massa Camensulius V. I. D. Quo demortuo sustinuit, & sustinet hoc officium Procuratoris Pauperum D. Ioannes Baptista Farrugia V. I. D.

Series DD. Depositariorum Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Melitensis.

PRimum Depositarium videtur assignasse D. Inquisitor Petrus Duzzina, vt apparet ex traditis supra Prolegomene 14. D. Guilelmum Lombardum Messanensem: quamquàm, vt credo, parum exercuit hoc munus. In quo successit D. Marianus Testaferrata. Atq; hunc secuti sunt in eodem officio duo filij eius, nempe D. Antonius Testaferrata, & D. Petrus Testaferrata: item tres eius nepotes, & vnus pronepos, scilicet D. Paulus Testaferrata, D. Pasqualis Testaferrata. D. Ioannes Testaferrata, & D. Fabritius Testaferrata.

Series DD. Cancellariorum, seu Notariorum Sancti Officij Melitensis.

REuerendissimus D. Episcopus Cubelles Inquisitor Delegatus Sedis Apostolicæ elegit in Notarium huius Tribunalis Sanctæ Inquisitionis D. Vincentium Bonauenturam Bonetium Rhodium Ciuem Melitensem, vt fuit traditum supra Prolegom. xiij. num. 6. Post prædictum sequitur in officio Cancellarij D. Alexander Abel Melitensis circa annum 1563. Succedunt dein alij nempe D. Camillus Pretiosus. D. Fabius Ruggerius, D. Iosephus Stesca pro Magistro Notario. D. Camillus Bulgarinus. D. Ascanius Scaglia. D. Antonius Bellucius, D. Pyrrhus Massa. D. Iulianus Brisfa. D. Don Ioannes Mengalanita. D. Iacobus Silletus: hi ferè omnes exteri; quòd solerent Domini Inquisitores Magistrum Notarium secum afferre huc accedentes; hoc tamen postea merito sublatum, causam alibi assignabimus. Preterea D. Ioannes Luca Gauci Melitensis. D. Don Saluator Burlò. D. Saluator Ciantar, Iterum D. Don Saluator Burlò, qui egregiè adhuc hoc munus Cancellarij exercet.

Series DD. Capitaneorum Tribunalis Sanctæ Inquisitionis Melitensis.

CIrca annum 1574. Dominus Petrus Duzzina Inquisitor creauit sibi Capitaneum D. Florium Medina. Idem munus exercuerunt postea Dominus Hieronymus Scarpello. D. Ridulphus Pharaoni. D. Martinus Vella. Dominus Bartholomęus Cassia, & D. Orlandus Gascon, &c.

HActenus de Serie DD. Inquisitorum, ac præcipuorum Officialium Sanctæ Inquisitionis Melitensis, & de XIII. Prolegomenis pro indaganda origine, atq; ostendendo progressu Tribunalium Fidei Catholicæ, Sacrarumq; Congregationum, & Consiliorum contra hæreticam, & apostaticam prauitatem. Ex quibus omnibus Completum Opusculum separatim edi poterat, vti Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Fabius Chisinus Episcopus Neritonensis, & alij suaserant, sicq; iam in animum induxeram: sed conuenientius posteà iudicatum, vt ex eis, & ex duobus prioribus libris prima pars Operis de Consultore Sancti Officij coalescat, ac statim in lucem prodeat; vt hinc in secunda parte ex reliquis quatuor libris coalescente iugiter elaboranda, seu in toto Opere quamprimum perficiendo calcaria mihi iam currenti addantur.

FINIS.

Laus Deo Opt. Max. Sanctissimæque Deiparę Virgini Mariæ.

INDEX CVIVSQVE TITVLI CAPITVM,

Et Regularum Libri primi de materijs Tribunalium Fidei, seu de multiplicibus Regulis pro formando quouis eorum Ministro, præsertim Consultore quoad Qualificationem dicti, vel facti in causis Fidei; & quoad alia ei antecedentèr annexa, maximè circa personas Inquisitorum, & Officialium: ad persecutionem recedentium a vera Fide Catholica.

CAPVT I.

De iustitia, conuenientia, potestate, & obligatione procedendi contra hæreticos, aut recedentes à vera Fide Catholica in communi.

QVid de extrahendis Hæreticis ab erroribus, etiam vexando ipsos.
REGVLA I.

Coactio Hæreticorum ad amplectendam Fidem licita nè?
REGVLA II.

An conueniens, iusta, ac necessaria persecutio Hæreticorum, si a legitima potestate fiat?
REGVLA III.

Quid de potestate Ecclesiæ Catholicæ procedendi contra hæreticos, &c.
REGVLA IV.

Circa quorum persecutionem prædicta Ecclesiæ potestas se extendit?
REGVLA V.

Qualitèr potestas procedendi contra hæreticos in Summo Pontifice residet?
REGVLA VI.

Eadem potestas in Episcopis, aut quasi Episcopis quousq; extenditur.
REGVLA VII.

Obligatio persequendi Hæreticos qualiter, stricta in habentibus ad id potestatem?
REGVLA VIII.

CAPVT II.

De creandis Inquisitoribus, ac Commisarijs; & de qualitatibus in eis requisitis ad ipsorum creationem; atq; de reuocatione huius, si illas pòst eis deesse constiterit.

AN solus Papa habeat ordinatriam facultatem creandi Inquisitores Fidei Catholicæ?
REGVLA IX.

Qualiter facultas concessa Cardinalibus Congregationis, & alijs pro Regnis Hispaniæ creandi Inquisitores inferiores delegatos?
REGVLA X.

Quid de priuilegio concesso Dominicanis, & Franciscanis eligendi Inquisitores ex propria Religione?
REGVLA XI.

Concessum nè Inquisitoribus Delegatis eligere sibi Commissarios cum Iurisdictione subdelegata?
REGVLA XII.

Quænam ætas in Inquisitoribus, & Commissarijs eligendis requisita?
REGVLA XIII.

Doctrina qualis Theologiæ, Iurisperitiæ in Inquisitoribus desideratur?
REGVLA XIV.

Quibus virtutibus Inquisitores prædicti Fidei esse debent?
REGVLA XV.

Qualiter non eligendus carens prædictis qualitatibus, & iam electus reuocandus?
REGVLA XVI.

Electio digni Inquisitoris potest nè pro libitu eligentis reuocari, aut alio eum transferri?
REGVLA XVII.

CAPVT III.

De Iurisdictione Inquisitoris, siue Ordinarij, siue Delegati, siue Subdelegati, seu Commissarij, qualis sit, & ad quas personas se extendat.

AN Papæ ordinaria Iurisdictio procedendi contra hæreticos se extendat ad quascumq; personas quantumuis præeminentes?
REGVLA XVIII.

Qualiter olim Papæ Legatus de latere contra hæreticos procedere posset? qualiter modo?
REGVLA XIX.

Contra quos in causis fidei Episcopus sit Iudex Ordinarius? & quid de eius Vicario, & Capitulo.
REGVLA XX.

Est nè etiam Iudex Episcopus contra non subditos, & exemptos? & qua iurisdictione?
REGVLA XXI.

Quousq; multi Episcopi simul in aliquo Consilio possunt in causis fidei procedere?
REGVLA XXII.

Capituli Sede Vacante iurisdictio in Causis fidei circa quosnam, & qualiter?

REGV-

Capituli Sede Vacante iurisdictio in causis fidei circa quosnam, & qualiter?

REGVLA XXIII.

Olim quomodo Prælati Religionum causas fidei suorum subditorum iudicarunt?

REGVLA XXIV.

Qualiter ad connexa se extendit Iurisdictio Inquisitorum? & hæc ordinaria ne, an delegata?

REGVLA XXV.

Delegati ne sunt Inquisitores particulares a Generalibus Inquisitoribus electi? & vnde illorum Iurisdictio?

REGVLA XXVI.

Ad quas personas cuiusq; Delegati Inquisitoris iurisdictio extenditur?

REGVLA XXVII.

Suntne Episcopi a Iurisdictione cuiusq; Inquisitoris, etiam Generalis exempti?

REGVLA XXVIII.

Nuntij, & Legati Sedis Apostolicæ eademne exemptione fruuntur?

REGVLA XXIX.

An vnus Inquisitor possit contra alium in causis Fidei procedere?

REGVLA XXX.

Inquisitores qualiter possint suis Commissa- iurisdictionem elargiri.

REGVLA XXXI

CAPVT IV.

De exequendis ab Inquisitore initio sui muneris circa Ordinarium, & Principem loci: de creatione, aut confirmatione Officialium necessariorum Fiscalis, & Notarii ad exigendum nouum Tribunal, aut ad promouendum iam erectum.

AN obligatio nouo Inquisitori se sistendi coram superioribus loci, Ecclesiastico, & Temporali?

REGVLA XXXII.

Quid de iuramento Principis protegendi fidem? & de concessione litterarum saluaguardiæ, etiam cum coactione?

REGVLA XXXIII.

Nouo Inquisitori creatio Notarij, aut confirmatio iam antea creati quomodo expediens?

REGVLA XXXIV.

Quænam conditiones in Notario eligendo requisitæ? & qualiter statim post electionem iurare debeat?

REGVLA XXXV.

Promotor fiscalis qualiter a nouo Inquisitore eligendus, vel confirmandus? quodnam eius officium?

REGVLA XXXVI.

Quibus virtutibus, & conditionibus Promotor fiscalis præditus esse debet?

REGVLA XXXVII.

CAPVT V.

De instituenda, aut confirmanda ab Inquisitore sacra Congregatione Sancti Officij, creatis scilicet vel confirmatis alijs officialibus, Assessore, Qualificatoribus, Consultoribus, Aduocato Pauperum, ac reliquis ministris, & familiaribus.

ELigendusnè etiam Assessor ab Inquisitore? ac qualis, & ad quid?

REGVLA XXXVIII.

Quid de eligendis Qualificatoribus doctrina Theologica præstantibus?

REGVLA XXXIX.

Congregatio ex Theologis, & Iurisperitis instituendone ab Inquisitore, vel confirmanda, etiam cum coactione ipsorum?

REGVLA XL.

An teneatur Inquisitor sequi Consilium Consultorum? aut saltem ab eis ipsum petere?

REGVLA XLI.

Vtrum assignandus ab Inquisitore Aduocatus, & qualis pro defensione reorum? an etiam Procurator?

REGVLA XLII.

Quid de electione Depositarij, & Capitanei ab Inquisitore facienda?

REGVLA XLIII.

In causa Fidei contra minorem 25. annorum præter Aduocatum, assignandus nè ei curator?

REGVLA XLIV.

Eligendi ne etiam ab Inquisitore familiares, & alij ministri, vt Carcerarij, Nuntij? &c.

REGVLA XLV.

Quid de iuramento a quibusuis ministris Sanctæ Inquisitionis faciendo? & de probationibus præmittendis ante eorum electionem?

REGVLA XLVI.

CAPVT VI.

De publicatione Edicti Sanctæ Inquisitionis iustitiæ scilicet, & gratiæ, deque huius concessione; vel secus; habita prius concione de Fide, vel de opposito eius, nempe hæresis damno.

TEmpus gratiæ qualiter concedendum ab Inquisitore, & quisnam eius effectus?

REGVLA XLVII.

Cum accedentibus tempore gratiæ quomodo agendum, ne fictè conuertantur?

REGVLA XLVIII.

An aliquando sit locus compositioni pro crimine hæresis?

REGVLA XLIX.

Quid de concessione gratiarum generalium in crimine hæresis pro tempore præterito, aut futuro?

REGVLA L.

Edictum Sanctæ Inquisitionis quando, & qua-

qualiter publicandum pro denunciandis hæreticis?

REGVLA LI.

CAPVT VII.

De natura, & essentia Fidei, deque eius vtroq; obiecto formali, & materiali, atq; de normis, seu medijs, quibus hoc proponitur.

QVæ, & quotuplex definitio Fidei, & acceptio huius nominis?

REGVLA LII.

Quodnam primarium, & adæquatum obiectum materiale Fidei?

REGVLA LIII.

Estne prioritas, & posterioritas inter partes obiecti materialis Fidei?

REGVLA LIV.

Qualiter sub ratione primæ veritatis Deus quasi in actu primo obiectum formale fidei?

REGVLA LV.

Dei auctoritas, vt reuelans quomodo quasi in actu secundo obiectum formale fidei?

REGVLA LVI.

Ad Fidem habendam quæ præcognitio requisita de Deo, vt prima veritate, & reuelante?

REGVLA LVII.

Reuelatio, per quam Deus est obiectum formale Fidei, qualisnam debet esse?

REGVLA LVIII.

An cum fidei actu & habitu possit esse euidens rei scientia, ac euidens de Deo non viso, reuelante cognitio? & an hæc ad fidem expediat?

REGVLA LIX.

Obiectum fidei proponendumne à Deo immediate? & qualiter in credibilitate hoc excellit?

REGVLA LX.

Proponens vice Dei res fidei qualis esse debet? & an in hoc seruanda ei certa norma?

REGVLA LXI.

Norma credendi infallibilis estne scriptura sacra? & quænam huius definitio?

REGVLA LXII.

An traditiones diuinæ non scriptæ sint certa norma credendi? & qualesnam?

REGVLA LXIII.

Suntne Concilia nomine totius Ecclesiæ norma fidei viua? & quomodo?

REGVLA LXIV.

An Papa solus sit alia norma fidei viua? & qualiter in aliquibus casibus?

REGVLA LXV.

CAPVT VIII.

De natura, seu essentia Fidei supernaturalis, quoad eius actus, & habitus, ac de istorum proprietatibus, & effectibus, deque eorumdem subiecto, tam in viatoribus, quam in existentibus extra viam.

ACtus Fidei estne assensus intellectus in reuelatione Dei fundatus? quotuplex item eius diuisio?

REGVLA LXVI.

Fidei actus qualiter supernaturalis, & [...]plex? quantaq; eius veritas, & certitudo?

REGVLA LXVII.

Vtrum assensus Fidei supponat actum [...]luntatis, & qualem qualiterq; vterq; sit ho[...]stus, & meritorius?

REGVLA LXVIII.

Præceditne actus iudicij in intellectu ant[...] assensum fidei, & quale hocq; quomodo elicitu[...]

REGVLA LXIX.

An fidei virtus contineat duos habitus inte[...]lectus, & voluntatis & qua ratione vterq; a[...] alijs virtutibus distinguatur?

REGVLA LXX.

Fides diuina formata, & informis per quo[...]nam peccatum amittitur? & qualiter?

REGVLA LXXI.

Capacitas actuum, & habituum fidei est[...] in quibusuis viatoribus, & animabus Purg[...]rij? & quid de Beatis, ac Damnatis?

REGVLA LXXII.

Fides infusa quos effectus physice proa[...] quos moraliter tantum & qua ratione?

REGVLA LXXIII.

CAPVT IX.

De necessitate Fidei Diuinæ, ac de præcept[...] eius triplici, nempe credendi, seu eliciend[...] ipsius actus; sciendi item res fidei; & hanc exterius confitendi, atq; de violation[...] vniuscuiusq; istorum per omissionem, [...] aliter absq; vllo mentis errore.

Estne fides absolute necessaria ad salu[...] quibusuis etiam infantibus & actus eius qu[...]liter in adultis requisitus?

REGVLA LXXIV.

Quodnam sit præceptum eliciendi actus F[...] diuinæ & quatenus negatiuum qualiter obli[...]

REGVLA LXXV.

Præceptum fidei quatenus positiuum qua[...] & qua ratione vnumquemq; obligat ad eli[...]dum actus eius?

REGVLA LXXVI.

Fides, & notitia de Deo remuneratore, [...] Christo Mediatore, ac de sanctissima Trin[...] quando, & qualiter ad salutem necessaria?

REGVLA LXXVII.

Notitia, & fides explicita de contentis in sy[...]bolo Apostolorum requisitane ad salutem? [...] quomodo?

REGVLA LXXVIII.

De sacramentis, de præceptis Decalogi, & [...]clesiæ, de oratione Dominica, quænam priu[...] personis, quænam Prælatis, & Pastoribus notiti[...] obligatoria.

REGVLA LXXIX.

Quando obligatio acquirendi, & tradendi [...]titiam rerum Fidei incipit? & vnde quis ab [...] obligatione excusatur?

REGVLA LXXX.

Præceptum negatiuum nihil faciendi exter[...] contra fidem, quando, & quosnam, ac quali[...] obligat?

REGVLA LXXXI.

Obligatio præcepti positiui fidem exterius confitendi ad quos, & quantum se extendit? & vbinam cessat?

REGVLA LXXXII.

CAPVT X.

De obligatione emittendi publicam Fidei Catholicæ professionem: & de prohibitione disputandi circa res eius secularibus præsertim personis iniuncta: atq; quando, & qualiter talis disputatio licita, vel illicita.

Curati, & Canonici Cathedralium quando, & sub qua pœna professionem Fidei emittere obligantur?

REGVLA LXXXIII.

Quid de dicta obligatione circa Prælatos Religionum, Rectores vniuersitatum, Magistros, Professores, Promotos, ac Promouentes ad gradum Doctoratus?

REGVLA LXXXIV.

Potest ne fidei professio mediate per procuratorem emitti? & sub qua forma emittendi obligatio?

REGVLA LXXXV.

Qualiter secularibus laicis disputare de rebus fidei cum Infidelibus illicitum? qualiter secus quandoque?

REGVLA LXXXVI.

Licitane semper personis Ecclesiasticis dicta disputatio de rebus fidei? & vnde redditur aliquando illicita?

REGVLA LXXXVII.

CAPVT XI.

De infidelitatis natura, & multiplicitate, ac de omnibus spectantibus ad Infideles non baptizatos, maxime circa casus, in quibus Inquisitores fidei contra eos procedere possunt.

Quid Infidelitas; quomodo fidem excludat; & quale peccatum?

REGVLA LXXXVIII.

Quanam Infidelium actiones, & quæ infidelitas possint esse sine peccato, etiam circa res lumine naturali notas?

REGVLA LXXXIX.

Infidelitatis diuisio qualis? multiplex ne in eodem homine inest; & an vna superet aliam in malitia?

REGVLA XC.

An Ecclesiæ sit potestas prædicandi Euangelium apud quosuis Infideles, & cogendi eos ad ipsum audiendum, & amplectendum?

REGVLA XCI.

Qualiter infidelis in Christianos iurisdictionem exercere non valet? qualiter secus?

REGVLA XCII.

Communicatio fidelium cum Infidelibus, & e contra quatenus prohibita? & cur?

REGVLA XCIII.

Quando Inquisitor procedere potest contra quemuis infidelem non baptizatum, maxime Iudæum?

REGVLA XCIV.

CAPVT XII.

De hæresis, & hæreticorum natura, ac diuisione: de dubitantibus in fide, & de suspectis, aut diffamatis de hæresi; de credentibus hæreticorum, deq; istorum fautoribus, receptatoribus, & defensoribus, iurisdictioni Inquisitorum subiectis.

Quid essentialiter hæresis? quænam conditiones ad eam constituendam requisitæ?

REGVLA XCV.

Qualiter in fide dubius sit infidelis, seu hæreticus? aut secus; & an idem sit de opinante circa eam?

REGVLA XCVI.

Vt hæresis subsit iurisdictioni Ecclesiæ, seu Inquisitorum quomodo exterius manifesta esse debet, & quibus requisitis?

REGVLA XCVII.

Ad hæresim qualis pertinacia necessaria? & quando ab ea protestatio liberat?

REGVLA XCVIII.

Quid propositio damnabilis? quot gradus eius ob diuersitatem censuræ? & an omnes sub iurisdictione Inquisitorum?

REGVLA XCIX.

Viator ne quiuis capax hæresis? quæ conditiones ad id in eo requisitæ?

REGVLA C.

Suspecti de hæresi qui dicuntur? quot, & quales gradus huiusmodi suspectorum?

REGVLA CI.

Quinam diffamati de hæresi censentur? & quibus modis diffamatio eorum contingit?

REGVLA CII.

Credentes hæreticorum quinam; & qualiter isti se habere possunt?

REGVLA CIII.

Qui sint hæreticorum fautores? & qualiter eis fauere contingat?

REGVLA CIV.

Quinam receptatores, & defensores hæreticorum; & qualiter hæc receptio, & defensio fiat?

REGVLA CV.

CAPVT XIII.

De Apostatis, & schismaticis, ac de differentia eorum ab hæreticis, deq; apostatantium trimembri diuisione, nempe a fide, a Religione, & ab obedientia, & qualiter isti omnes iurisdictioni Inquisitorum subsunt.

Quid, & quotuplex apostasia in communi? & qui dicantur aliquo modo Apostatæ?

REGVLA CVI.

Essentia apostasiæ a fide, & differentia eius ab speciebus infidelitatis quænam? & quid si ignoranter, aut coacte fiat?

REGVLA CVII.

Quid de Apostasia, & de Apostatis a Religione, & ordine? & an aliquando subsint iurisdictioni Inquisitorum?

REGVLA CVIII.

Quid

Quid de Apostasia, & de Apostatis ab obedientia? & an aliquan 9 iurisdictioni Inquisitorum subsint?
REGVLA CIX.
Quid, & quotuplex schisma quis schismaticus? & quando iurisdictioni Inquisitorum subiectus?
REGVLA CX.

CAPVT XIV.

De superstitiosis, sortilegis, ac magicis quibusq; actionibus iudicio sanctę Inquisitionis subiectis, maxime interueniente inuocatione dæmonis, aut pacto cum eo explicito, vel implicito, & ab vsu rerum sacrarum.

QVid, & quotuplex superstitio in communi? ac prima eius species in debito modo cultus vnde, & quale peccatum?
REGVLA CXI.
Natura Idodolatriæ quanam; quam graue peccatum. maxime si coniungatur cum hæresi?
REGVLA CXII.
Quotuplex idololatria? quæ causa eius originis, ac progressus?
REGVLA CXIII.
Quid, & quotuplex diuinatio in communi? an semper peccatum, & quam graue, maxime si coniunctum cum errore mentis?
REGVLA CXIV.
An, & qualiter prædictio ex astris sit illicita? & sub iurisdictione sancta Inquisitionis?
REGVLA CXV.
Qualiter diuinatio ex somnijs sit licita, vel illicita, aut superstitiosa, iurisdictioniq; sanctæ Inquisitionis subiecta?
REGVLA CXVI.
Sortium vsus maxime ad diuinandum licitus ne an illicitus, & sub iurisdictione sancta Inquisitionis?
REGVLA CXVII.
Quousq; ex motu, vocibus, partibus, lineis, &c. hominis, aut animalium est diuinatio licita, vel illicita, atq; Inquisitoribus fidei subiecta?
REGVLA CXVIII.
An, & quid vanæ obseruationis seu magiæ operatricis superstitio? quis eius auctor? & qualiter hic eam exerceat?
REGVLA CXIX.
Quotuplex dæmoniaca magia operatrix? & quid peculiariter de Notoria, arte pro acquirenda scientia?
REGVLA CXX.
Quid per magiam dæmoniacam sanitatum operatricem intelligatur? & vnde dignosci possit interuenire?
REGVLA CXXI.
Quid magia maleficiorum operatrix? quid, & quotuplex maleficium sortilegum? & quomodo dignoscatur, an interueniat?
REGVLA CXXII.
An tolli possit licite maleficium maleficio? & an alijs medijs sacris, & naturalibus?
REGVLA CXXIII.
Sortilegia superstitiosa, seu opera magia dæmoniacæ, quanam hæreticalia quæ secus? & an vtraq; sub iurisdictione Inquisitorum?
REGVLA CXXIV.

CAPVT XV.

De quibusuis non Sacerdotibus celebrantibus Missam, aut confessiones fidelium audientibus.

QVi per celebrantes Missam non constituti in Sacerdotij Ordine intelliguntur & quousq; subditi iurisdictioni Inquisitorum?
REGVLA CXXV.
Quid de non Sacerdotibus confessiones audientibus & qualiter hi iurisdictioni Inquisitorum subijciantur?
REGVLA CXXVI.

CAPVT XVI.

De abutentibus aliquo Sacramento, maxime Confessionis in re venerea, aut in quouis delicto, iurisdictioni Inquisitorum subiectis.

AN abutentes Sacramento Confessionis circa alia vitia extra venerem subsint iurisdictioni Inquisitorum? & quid de simili abusu in alijs sacramentis?
REGVLA CXXVII.
Qui nomine solicitantium in Confessione veniunt? & qualiter diffamati, vt subsint iurisdictioni Inquisitorum?
REGVLA CXXVIII.
Quanam personæ per solicitatas in Confessione attentis Bullis, & Decretis Pontificijs intelligantur? & quid circa hoc in Hispania?
REGVLA CXXIX.
Quid si Confessarius, & pœnitens se inuicem solicitent, ab vtrouis solicitatio incipat? & quid si alteruter actū cōsummet, vel tantū consentiat?
REGVLA CXXX.
Quid si Confessarius, aut pœnitens solicitet vel solicitetur ad lenocinium pro ipso solicitante, vel pro alio tertio?
REGVLA CXXXI.
Quæ materia sufficiens in solicitatione, vt hæc sit casus sanctæ Inquisitionis, venialis ne tantum an executa verbis, vel factis dubijs; an porrecta in scriptis?
REGVLA CXXXII.
Quid de circumstantia temporis, seu quando Confessarius solicitaturus, vt sit sub iurisdictione Inquisitorum?
REGVLA CXXXIII.
Quid de circumstantia loci, seu vbinam solicitatio exequenda, vt Confessarius sollicitans sit sub iurisdictione Inquisitorum?
REGVLA CXXXIV.
Ob quem finem Inquisitor procedit contra Confessarium solicitantem, aut consentientem solicitationi & an aliquando id non possit?
REGVLA CXXXV.

CAPVT XVII.

De celebrantibus conuenticula in materia Religionis, ac de illis qui huiusmodi conuenticulis, vel concionibus hæreticorum assistunt.

AN & qualiter celebrantes conuenticula in materia Religionis, aut eis, & concionibus hæreticorum assistentes, sint hæretici, vel suspecti de hæresi sub Iurisdictione Inquisitorum, aut secus?

REGVLA CXXXVI.

CAPVT XVIII.

De Blasphemia in communi, ac de speciebus eius, maxime de hæreticalibus ad iurisdictionem Inquisitorum pertinentibus.

QVid, & quotuplex blasphemia? quibus modis exprimatur, & contingat?

REGVLA CXXXVII.

Quam graue peccatum blasphemia? & cuinam virtuti opponitur?

REGVLA CXXXVIII.

De quibus blasphemijs cognoscant Inquisitores? & qualiter hæreticales innotescunt, aut indicantur?

REGVLA CXXXIX.

CAPVT XIX.

De libris prohibitis, deq; personis retinentibus eos, legentibus, imprimentibus, & defendentibus, atq; de iurisdictione Inquisitorum contra ipsas.

QVi modi, seu gradus librorum prohibitorum? & quid de vnoquoq; in particulari?

REGVLA CXL.

De quibus personis retinentibus libros prohibitos? & de qua actione retinendi eos, ac qualiter intelligitur prohibitio?

REGVLA CXLI.

De quibus legentibus, aut de qua lectione quo ad qualitatem, & quantitatem intelligenda prohibitio?

REGVLA CXLII.

Sub prohibitione imprimendi libros vetitos, quinam, & qualiter comprehendantur?

REGVLA CXLIII.

Qui nomine defendentium libros prohibitos veniunt? & quomodo defensio hæc sumenda?

REGVLA CXLIIII.

Quinam, & quatenus ratione librorum prohibitorum iurisdictioni Inquisitorum subsint? & qualiter expediendi?

REGVLA CXLV.

CAPVT XX.

De alijs casibus spectantibus ad officium sanctæ Inquisitionis non expresse contentis in edicto DD. Inquisitorum.

QVid de mysterio Conceptionis B. Mariæ Virginis sentiendum? & quatenus contra loquentes indebite de illo Inquisitores procedere possint?

REGVLA CXLVI.

Præsumptione erroris in impedientibus Officium sanctæ Inquisitionis, & qualiter eius iurisdictioni subsunt?

REGVLA CXLVII.

Persistentes in excommunicatione per annum, ipsamq; exterius contemnentes qualiter iurisdictio Inquisitorum pertingit?

REGVLA CXLVIII.

Quid de iurisdictione Inquisitorum circa bigamos? & quando ac qualiter bigamia contrahatur, vt illi subsit?

REGVLA CXLIX.

Quinam alij casus non expressi in edicto ad sanctum Officium pertineant? & qualiter expediendi?

REGVLA CL.

Quando in alijs casibus propter formalem errorem contra fidem procedere possint Inquisitores, & qualiter?

REGVLA CLI.

CAPVT XXI.

De obligatione denunciandi casus spectantes ad sanctum Officium, & de pœnis, sub quibus illorum notitiam habens id facere astringitur.

QVid, & quotuplex denunciatio? in quo ab accusatione differat? & an vtriusq; obligatio circa hæresim, & apostasiam vrgeat?

REGVLA CLII.

Quæ delicta spectantia ad sanctum Officium denuncianda? an prorsus occulta, etiam non præmissa correctione fraterna? an præterita, & iam emendata?

REGVLA CLIII.

Quinam denunciandi? qui item habiles, & obligati ad denunciandum, & testificandum in sancto Officio? an filius contra patrem? & e contra?

REGVLA CLIV.

Cuinam denunciandum, maxime vbi plures sunt Inquisitores absq; dependentia? vel ordinarius loci etiam edictum sanctæ Inquisitionis publicat? & an ei, licet non publicet?

REGVLA CLV.

Quando denuncianda delicta contra fidem? an statim, vel intra terminum aliquorum dierum? quid si transiuit annus a publicatione edicti?

REGVLA CLVI.

Vbinam delicti contra fidem facienda denunciatio?

ciatio: & an ob damnum imminens excusetur quis ab obligatione Inquisitorem adeundi, vel ei denunciandi?

REGVLA CLVII.

Quomodo, seu sub qua forma facienda denunciatio, vt sit iuridica? & satisfaciat quis praecepto denunciandi?

REGVLA CLVIII.

Quaenam poena contra nolentes denunciare delicta fidei opposita, vel contra denunciantes falso, aut non legitime?

REGVLA CLIX.

Ab excommunicatione contracta ob omissam denunciationem delicti contra fidem quisnam potest absoluere?

REGVLA CLX.

LIBER PRIMVS DE MATERIIS

TRIBVNALIVM FIDEI.

SEV DE REGVLIS MVLTIPLICIBVS PRO FORMANDO

Quouis eorum Ministro præsertim Consultore quoad qualificationem dicti, vel facti in causis fidei, & quoad alia illi antecedenter annexa; maxime circa personas Inquisitorum, & Officialium ad persecutionem hæreticorum, aut recedentium a vera Fide Catholica.

PROOEMIVM.

1 VIRGA, *atq; correptio tribuit sapientiam*, ait sapientissimus Salomon, Prou. 29. Cui concinit cum manifesta allusione illud S. Apostoli ad Titum 1. *Quam ob causam increpa illos dure, vt sint sani in Fide:* quæ duo sacræ scripturæ testimonia opportune quidem occurrunt, vt huic primo libro, imo vniuerso Operi Regularum multiplicium pro formando Consultore sancti Officij ianuam aperiant, & ingressum ad quæcumq; introspicienda facilem muniant. Statim enim in fronte ipsius pro aliquali explicatione vltimæ particulæ propositi tituli, ad persecutionem hæreticorum &c. hoc de persequendis hæreticis primo loco, vel leuiter attingendum; quandoquidem executionis ordo, cui perpetuo, iuxta stabilitum in præfatione ad Lectorem, addicti erimus, ita po-
2 stulare videtur. Prædictam autem persecutionem optime Salomon per virgam, & correptionem, Paulus vero per increpationem duram nobis ostendunt, cum sane appareat manifeste hanc esse eandemmet virgam illam, qua vt Iudex in causis fidei ipse Apostolus vtebatur 1. Corin. 4. *Quid vultis?* inquit, *in Virga veniam ad vos* &c. vt traditum a nobis Prolegomeno 11. atq; huius Virgæ qualitatem indicat illud Psal. 2. *Reges eos in Virga ferrea*; ergo admodum dura. Vnde nullum dubium, quin loquatur Salomon, & Apostolus non tam de correptione priuata, fraterna, & secreta, quæ iniungitur a Christo Domino, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*; quam de iuridica fori externi, procedente vsq; ad sententiam per legitimas probationes, maxime contra hæreticos eorumq; punitionem, vti patet ex vltimis verbis S. Apostoli, *vt sint*, inquit, *sani in fide*: nec minus quidem connotata per virgæ nomen, & per aduerbium, dure, quibus
3 illi vtuntur, quam illud importare censentur. Cæterum, vt paucis his proœmioli vice adductis aliquid adiungatur, finis, seu effectus inde proueniens ab vtroque, Salomone scilicet, & Paulo assignatus, obiter etiam perpendendus; nimirum vt sapiant hæretici, & intelligant, vt resipiscant, & conuertantur, seu melius ipsius Apostoli verbis, *vt sint*, inquit, *sani in fide*. Hoc namq; pijssima mater Ecclesia, & quicumq; eius ministri ex huiusmodi Virga, & correptione, ex dura increpatione, seu persecutione hæreticorum semper intendunt, huc omnia Tribunal sanctæ Inquisitionis constituentia, huc tot consultationes, tot qualificationes, huc reliqua ad causas Fidei Catholicæ spectantia iugiter diriguntur. Prædictus vero effectus quis ibit inficias, habeat locum in persecutione etiam ad pœnam vltimi supplicij? deperdito videlicet, & confracto corpore, iuxta illud eiusdem Psal. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos*; vel iuxta illud opportunius: *Tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi* 1. Corin. 5. quod si dictus effectus in taliter persecutis, ob pertinaciam, & obstinationem aliquando non proueniat, saltem proueniet ille alius, nempe persecutionem hanc cæteri videntes, vel audientes, forte huiusmodi exemplari perterrefient, & ab omni hæresum labe aufugere curabunt. Sed iam ad rem ipsam propius accedentes, operi tradendarum multiplicium Regularum, cum breui ipsarum probatione, & cum suis quandoq; notatioribus, & illationibus absq; vlla amplius mora incumbamus.

CAPVT PRIMVM

De iustitia, conuenientia, potestate, & obligatione procedendi contra hæreticos, aut recedentes a vera Fide Catholica.

PROCEMIOLVM.

4 NON agimus hic in specie de punitione hæreticorum, seu de pœnis particularibus conuicto, aut suspecto de hæresi infligendis; imo neque in genere de potestate, & obligatione illos puniendi (de vtroq; nobis copiosus erit sermo alibi, præcipue toto lib. 6. huius operis tanquam in proprio loco) sed tantum breuissime de iustitia, potestate, & obligatione persequendi eos, seu contra eorum crimina hæresis, vel Apostasiæ procedendi. Quod est quid magis genericum præcedens,
5 ac suppositum ad quæcumq; peragenda in Tribunali sanctæ Inquisitionis imo ad erectionem huius, & ad electionem Inquisitoris, atq; officialium eius; ac proinde primo loco expendendum: tametsi Auctores, vt Franciscus de Castro citandus, & alij inter hæc vix distinguant, ac de vtrisq; simul pertractent.

Quid de extrahendis hæreticis ab erroribus etiam vexando ipsos?

REGVLA I.

6 NON sunt relinquendi hæretici, aut apostatæ a fide in suis pessimis erroribus, & falsis sectis, sed vt ab his recedant, & resipiscant, excitandi, et si opus fuerit, molestia etiam afficiendi.

7 Contra hanc, quæ ab omnibus Catholicis admittitur, præcipue a citandis statim extat antiquus ille error inuentus ab Apelle quodam Marcionis hæresiarchæ discipulo circa annum Domini 178. vt cum Eusebio lib. 5. Hist. Cap. 13. & Nicephoro lib. 4. cap. 29. tradit Prateolus verb. Apellinistæ, & hoc tempore denuo excitatus a Gerardo Casandro, teste Card. Bellarmino lib. 3. de laicis, cap. 19. mordicus affirmantibus non esse molestandos hæreticos, sed relinquendos in sua quemq; fide, qualiscumq; illa sit; si sacram scripturam, & symbolum fidei admittant; quamuis in alijs cum Ecclesia Romana non concordent.

8 Sed inde refellitur error; quia tenemur & Christo Domino, & Ecclesiæ Romanæ credere, atque hanc vice illius nobis loquentem audire. Vnde sic de non audientibus eam, Matth. 18. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus* &c. Ac proinde molestia iuridice afficiendus vt resipiscat.

9 Nota obiter, quod ex prædicto errore Apellistæ in alium peiorem inclinare videantur; nimirum vnumquemq; in sua fide, vel lege saluari: Iudæum in Mosaica, Maurum, vel Turcam in Mahumetana, credentem Luthero
10 in Lutherana, & sic de reliquis. Verum hoc sicut nihil forte hodie mentibus quorumcumq; Infidelium tenacius infixum, ita nihil credo stultius, nec magis cum falsitate coniunctum. Nam iuxta doctrinam ad Ephes. 4. & Ioannis 14. *Vnus tantum dominus Deus, vna æterna veritas, vna fides, & vna sola via ad glo-*
11 *riam Regni Cælestis*. Adducit notatum hic Franciscus Suarez, tract. de Fide, disp. 20. sec. 3. num. 2. pro refutando primo errore Apellistarum quod post Bellarminum citatum egregie præstat, cum sic valde ingeniose clauum clauo trudat.

Coactio hæreticorum ad amplectendam Fidem licitane?

REGVLA II.

12 NON est illicitum, sed admodum rationi consonum cogere hæreticos, aut recedentes a vera Fide Catholica, ad eam depositis, & retractatis quibuscumq; erroribus, totamente amplectendam.

13 Opponitur e diametro huic veritati error ille Donati, & Donatistarum, de quo D. Augustinus varijs in locis, præcipue lib. 1. contra Epistolam Parmeniani cap. 7. & lib. 2. contra Epistolam Gaudentij cap. 25. innouatus ab VViclephe, & Ioanne Hus, vt constat ex Concil. Constantiensi sess. 8. & 15. ac similiter a Luthero, qui impudenter, & absolute affirmant esse illicitam talem coactionem. Fundantur in eo, quod fides debeat esse libera, spontanea, & non
14 coacta; & sic cogendo tollatur libertas. Sed falsum est hoc, vt docet Suarez ibidem num. si sit sermo de coactione conditionata, quæ relinquit libertatem sufficientem ad præceptum fidei, sicut ad quæcumq; alia præcepta libere, & meritorie: exequenda secus de coactione absoluta, quæ omnino tollit libertatem; ergo licitum est illa vti pro reducendis hæreticis ad fidem Catholicam.

Sed melius dicitur cum B. Th. 22. quæst. 10. art 8. & D. Augustino quod infideles qui nunquam susceperunt fidem, non sunt cogendi, secus de infidelibus qui susceperunt fidem seu fidei signaculum, hi enim non coguntur ad fidem, sed solum ad seruandum fidem quam libere acceptarunt &c. cogi possunt, & debent.

An con-

An conueniens, iusta, ac necessaria persecutio hæreticorum, si a legitima potestate fiat.

REGVLA III.

15 VNdequaq; iustum & rectum est, ac consequenter valde conueniens, imo & necessarium persequi hæreticos, & apostatas a fide, atq; contra istorum errores procedere, si hoc ex legitima potestate, & iurisdictione executioni mandetur.

16 Tradunt hanc vti prorsus certam de fide scriptores, vt Simanchas de Catholicis instit. tit. 46. Castrus lib. 2. de iusta hæret. punitione. Bellarminus vbi supra cap. 12. & Farin. de hæresi quæst. 189. a num. 1. quidquid oblatrent Apellinistæ, & alij hæretici. Inde ostenditur fundamentali ratione. Quia procedere contra delicta publica Reipublicæ perniciosa est valde iustum, conueniens, ac necessarium, sed hæresis perniciem summam infert populo Christiano, vt per se patet; vnde in scriptura sacra, hæretici vocantur *lupi rapaces, non parcentes gregi.* Math. 7. Actor. 20. er o iustitiæ cõgruit, & valde expediens, ac necessarium est eos persequi, & contra delictum hæresis, vel apostasiæ procedere, si hoc ex legitima potestate fiat: pro quo sit,

17 mentali ratione.

Quid de potestate Ecclesiæ Catholicæ procedendi contra hæreticos?

REGVLA IV.

18 PLenaria potestas, & iurisdictio completa, ac vniuersalis non deest Ecclesiæ Catholicæ ad procedendum contra quoscumq; hæreticos, aut apostatas a fide atq; contra de hæresi, vel apostasia suspectos, vel infamatos.

19 Est etiam hæc certa de fide apud omnes, ex citatis, apud Castrum, & Suarez ibidem a n. 10. qui probat efficaciter formando argumentum a minori ad maius cum D. Cypriano, cuius hæc sunt verba lib. de exhortatione Martyrum cap. 5. *Si ante aduentum,* inquit, *Christi circa Deum colendum, & idola spernenda, hæc præcepta seruata sunt, quanto magis post aduentum Christi erunt seruanda?* ita ille: vnde nunc sic, si Hebrææ synagogæ tribuit Deus hãc potestatem persequendi declinantes, omisso eius cultu, ad idola, & falso circa ipsum sentientes, vt patet ex Deut. cap. 13. & 17. quanto potiori ratione censendus est Christus Dominus eam Ecclesiæ sponsæ suæ reliquisse ad procedendum

20 contra hæreticos, aut recedentes a vera fide? Et quidem stando in solo lumine naturali, omnis resp. bene instituta, ad sui conseruationem debet potestatem habere ad persequendos malefactores, ergo respublica Christiana, quæ lumine supernaturali regitur, eam sine dubio habebit ad procedendum contra hæreticos, &c.

Circa quorum persecutionem prædicta Ecclesiæ potestas se extendit?

REGVLA V.

21 PRædicta Ecclesiæ Catholicæ potestas, & iurisdictio solum se extendit circa eos, qui post susceptum re ipsa Baptismum a vera fide in aliquo, vel in totum recedunt: secus circa quoscumq; alios non intinctos sacro fonte baptismali.

22 Ad huius ostensionem vti etiam de fide certæ sufficit nobis sancti Apostoli authoritas (quæ cuilis debet esse instar multorum millium) sic scribit 1. Corin. 5. *Quid enim mihi de his qui foris sunt, iudicare? non ne de his, qui intus sunt, vos iudicatis? nam eos qui foris sunt Deus iudicabit:* quasi diceret, potestas ad iudicandum circa fidem, vel religionem mihi, aut alicui vestrum, Corinthij, vel cuilibet hominum concessa tantum se extendit ad eos, qui sunt intus, idest intra Ecclesiam suscepto baptismo; qui ianua est necessaria ad ingressum in eam; non vero ad eos, qui foris sunt, seu ad non baptizatos; quorum iudicium circa dictum caput soli Deo reseruatur. Et conuincit ratio, quia potestas, & iurisdictio tantum exercetur respectu subditorum; at homines incipiunt esse subditi Ecclesiæ suscepto baptismo: ergo vera est vltima pars regulæ.

23 Infero hinc quid dicendum de Catechumeno infideli, instructo in rebus fidei diuinæ, quæ etiam fuerit ei iam infusa, recedente a proposito recipiendi baptismum, & renouante voluntatem manendi in infidelitate: nempe quod hic, licet quoad Deum sit hæreticus, vel apostata; & talis vocari possit; nullo tamen modo quoad Ecclesiam; neq; hæc habet potestatem procedendi contra ipsum: ita doctissime ex communi fere omnium Thomas Sanchez tom. 1. Ope. moralis lib. 2. cap. 7. num. 34.

24 Quamuis doctrina huius V. Regulæ absolute loquendo vera sit; notandum tamen in aliquibus casibus posse officium sanctæ Inquisitionis procedere contra infidelem non baptizatum; vt si impediat volentem transire ex infidelitate ad Christianismum vel si post transitum accepto baptismo ad infidelitatem apostatando redire suadeat, vel procuret; & sic in alijs: de quibus ex professo versus finem cap. 10. huius primi libri explicando edictum sanctæ Inquisitionis agetur.

Qualiter potestas procedendi contra hæreticos in summo Pontifice residet?

REGVLA VI.

25 CVM omnimoda plenitudine, & vniuersalitate potestas Ecclesiæ prædicta, & iurisdictio ad persequendos hæreticos, aut apostatas a fide, residet penes quemcumq; Romanum Pontificem legitimum D. Petri successorem, & Christi Domini Vicarium.

26 Hæc est contra duplicem erroneam sententiam; quarum altera manifeste hæretica omnem potestatem coercendi hæreticos etiam pœnis spiritualibus, vt excommunicationis, aufert omnino a Papa, & ab alijs superioribus Ecclesiasticis, & tribuit eam totaliter Regibus, & Principibus temporalibus, respectiue vnicuiq; in suo Regno, vel Principatu; quæ valde viget

in An-

in Anglia, & in alijs locis septentrionalibus teste Suarez lib. 3. defensionis fidei cap. 7. & Bellarmino per eum citato: altera vero mitior hoc sic diuidit, vt concedat illis potestatem persequendi hæreticos quacumq; pœna spirituali sola; his vero qualibet tẽporali tãtum. Auctor huius erroris fuit Marsilius Patauinus, & post eum Guilelmus Barclaius, vt tradunt ijdem Bellarminus, & Suarez, multis illos erudite refutãtes.

27 Veritas tamen Regulæ vt de fide certa clare constat ex textibus sacris: *Pasce oues meas*, Ioan. 21. ait Dominus Petro, & cuiuis ex eius successoribus; vbi secundum communem intelligentiam sanctorum Patrum, & Doctorum, verbum, Pasce, metaphorice eis, vt pastoribus spiritualibus accommodatum, hanc vim habet, non solum dirigendi, sed coercendi etiam oues, nempe homines, pœna corporali adhibita, vbi opus fuerit, & reuocandi eas ad gregem Ecclesiæ, a quo resilierant, multo clarius indicat hanc potestatem illud psal. 2. *Reges eos in virga ferrea*, vt exponunt S. Basilius, Genebrardus, ac alij, & ibi immediate sermo est ad Christum Dominum, mediate vero ad quemuis eius Vicarium Romanum Pontificem.

Eadem potestas in Episcopis, aut quasi episcopis quousq; extenditur?

REGVLA VII.

28 Residet etiam dicta potestas procedendi contra hæreticos, aut apostatas a fide penes Episcopos, & penes alios iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, attento iure Diuino & Canonico, cum limitatione tamen, nempe penes vnumquemq; circa suam Diœcesim, aut suæ Iurisdictionis locum.

29 Tam certa est hæc, quam præcedens: vnde breuissimam eius probationem attingo, allegando tantum textus, seu iura: & quoad diuinum sufficit illud Actor. 20. sæpius à nobis adductum, præcipue Prolegomeno 2. nu. 3. & 12. *Attendite vobis*, inquit Apostolus *& vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: & paulo post. *Ego scio quoniam intrabunt lupi rapaces*, idest hæretici non parcentes gregi: verbo, regere, eadem vis inest, vt patet, quæ metaphorico, pasce, quod nuper perpendimus; vnde nihil addendum, ne actum agamus. Quoad ius canonicum, diuersa ibidem citauimus, vt cap. Excommunicamus §. addidimus de hæreticis cap. ad abolendum eodem titulo in 6. cap. Felices, & cap. eam te, de rescriptis &c.

Obligatio persequendi Hæreticos quam stricta in habentibus ad id potestatem?

REGVLA VIII.

30 Qvicumque potestatem, & iurisdictionem habent ad procedendum contra hæreticos, aut a fide Catholica recedentes, vt traditum Regulis 6 & 7. maxima astringuntur obligatione, & quidem sub mortali id vigilanter, & sine mora executioni mandare.

31 Suppositis iustitia, conuenientia, & potestate prædictis supra, & probatis, sequitur ex natura rei manifeste obligatio persequendi hæreticos; sed manifestius ex forma, qua id illis iniungitur, maxime in scriptura sacra, nempe per modum imperatiuum, & per terminos talem obligationem exprimentes: *Pasce oues meas*. Ioan. 21. *Attendite vobis, & vniuerso gregi* &c Act. 20. *Corripe illos dure, vt sint sani in fide*, ad Titum. & similia; multo tamen manifestius ex natura & grauitate, ac necessitate rei iniunctæ, nempe persecutionis hæreticorum ad extirpandam hæresim, quod hæc sit tãtopere perniciosa Reipublicæ Christianæ, & quia, vt ait Apostolus Timoth 2. *sermo eorum*, nempe hæreticorum, *vt cancer serpit* &c. Circa hanc autem obligationem concordes sunt citati Auctores, & alij atque hæc pro hoc loco sint satis; recurret alibi iterum sermo de hac obligatione, vbi pœna explicabitur, sub qua D.D. Inquisitores ad hoc obligantur.

CAPVT II.

De creandis Inquisitoribus, ac Commissarijs; & de qualitatibus in eis requisitis ad ipsorum creationem, atq; de reuocatione, si illas postea eisdem deesse constet.

PROOEMIOLVM.

1 IActo, & explicato hoc quasi fundamento totius Operis, quod ex omni iustitia, conuenientia ac necessitate sit procedendum contra hæreticos, vel recedentes a vera fide, & quod adsit potestas in Ecclesia Catholica, apud summos Pontifices scilicet, & apud Episcopos ad id præstandum, & quod illi teneantur quamprimum præstare: sequitur seruato executionis ordine agendum de creatione Inquisitorum, qui illos persequantur. Vt applicem eis denominationem nonnullis legatis Sedis Apostolicæ in varijs Prouincijs Christianitatis tribui solitam, obligatio tamen de qua in vltima Regula Capitis præcedentis, ita tantum sub disiunctione eos astringit vt teneantur contra hæreticos procedere; vel immediate per se ipsos, & ab hoc sæpius excusantur ob grauia negotia, quibus necessario sunt intenti, vt non semel a nobis dictum in Prolegomenis, præcipue Prolegomeno 10. nu. 3. *Nequeuntes* inquit Paulus III. Constit. incipient. *Licet ab initio, per nos solos; alijs etiam arduis occupatos curis &c.* Vel mediate per suos Delegatos Inquisitores, aut Commissarios, seu Vicarios, qui inuigilent contra hæreticos. Ergo de istorum creatione consequenter hoc loco tractandum.

An so-

An solus Papa habeat ordinariam facultatem creandi Inquisitores Fidei Catholicæ?

REGVLA IX.

SOli Romani Pontifices consueuerunt, vt Ordinarij, & tanquam ipsorum proprium creare ministros nomine Inquisitorum insignitos ad procedendum contra hæreticos, & cognoscendum de causis Fidei. Consueuerunt etiam, & consuescunt ex delegatione alij, quibus id ab illis concessum.

SIcuti hæc omnino certa; ita & communis apud Doctores: & quidem hoc secundum, cum appareat quid facti, inductione esset ostendendum, verum vti parum ad rem conducens consulto prætermitto; quamquam iam ex parte innotescit per tradita a nobis Prolegomeno 3. à num. 9. de creatione sancti Dominici in Inquisitorem contra hæreticos Albigenses ab Amaldo Abbate Cisterciēsi Legato Sedis Apostolicæ executa, & ab alijs duobus eiusdem Sedis Legatis confirmata: innotescet etiam magis ex dicendis duplici Regula sequenti. Expressum autem in prima præsentis Regulæ parte, & connotatum maxime per particulam *soli*, quis non videat respectu Episcoporum dici? qui tametsi ordinaria iurisdictione præditi, nusquam tamen leguntur hoc, de creandis Inquisitoribus Delegatis pro suis Diœcesibus exercuisse.

Qualiter facultas concessa Cardinalibus Congregationis, & alijs pro Regnis Hispaniæ creandi Inquisitores inferiores delegatos?

REGVLA X.

EMinentissimis DD. Cardinalibus sacræ Congregationis Vrbis sancti Officij facultatem perpetuam, & amplissimam concesserunt Summi Pontifices creandi Inquisitores Fidei delegatos pro varijs Prouincijs Christianitatis: eadem facultas concessa fuit a Sede Apostolica Inquisitoribus Generalibus Hispaniæ, & Lusitaniæ respectiue pro illis Regnis, ac Dominijs Regum Catholicorum.

DOctrinam totius huius regulæ explicatam complete, & practicatam tradidimus in varijs locis nostrorum Prolegomenorum, quæ perlegas quæso: vnde hic tantum citandæ aliquæ Bullæ Pontificiæ, in quibus concessio, vel confirmatio dictę facultatis continetur. Primo Paulus III. constit. incip. *Licet ab initio*, qua sacram Congregationem sancti Officij fundauit, illam facultatem, §. 8. Dominis Cardinalibus concedit. Eandem paulo post Pius IV. per Bullam inchoantem, *Cum nos per nostrum* &c. confirmauit similiter Pius, V. constit. incip. *cum felicis recordationis* &c. Item Sixtus V. illa cuius initium est, *Immensa æterni Dei* &c Reliqua videas Prolegomeno 8. a num. 4.

8 Quoad commissionem dictę facultatis factam Inquisitoribus Generalibus Hispaniæ sufficit Bulla Sixti IV. obtenta per Catholicos Reges Ferdinandum V. & Elisabetham, vt traditum Prolegomeno 4. num. 2. Quoad factam autem Generalibus Lusitaniæ Inquisitoribus videndus Antonius Sousa citatus a nobis sæpius pro hac re.

Quid de priuilegio concesso Dominicanis, & Franciscanis eligendi Inquisitores ex propria Religione?

REGVLA XI.

9 COncessum item fuit olim amplissimum Priuilegium a Sede Apostolica Generalibus, & Prouincialibus Ordinum sancti Dominici, & sancti Francisci creandi Inquisitores delegatos ex Religiosis respectiue propriæ Religionis: quod post multum temporis reuocatum, & inde id seruatum quoad eos creandos, quod præcedenti Regula dictum.

---

10 COnstat hoc vltimum ex vsu ipso: primum vero de concessione simul, & de confirmatione dicti Priuilegij ex Bullis Pontificijs, pro Dominicanis ex Bulla edita circa annum Domini 1254. Innocentij IV. incip. *licet ex omnibus*, & ex alia successoris eius immediati Alexandri IV. incip. *olim præsentiens*. Pro Franciscanis vero eiusdem Alexandri IV. similiter inchoante, *licet ex omnibus*, quarum meminit Peña in directo part. 3 com. 52. vers. multis vero Pontificum, & cum eo Antonius Santarellus tract. de hæresi cap. 40. dub. 1.

11 num. 6. Ratio potissima, teste eodem Peña cum Syluestro hæresis 2. quæst. 1. concessionis dicti Priuilegii fuit, quod ipsi Generales, & Prouinciales maiorem notitiam habere poterant de suis fratribus, & facilius iudicare, quinam essent magis idonei ad munus Inquisitoris legitime exercendum.

12 Nota, quod hic quando limitatur absolute pro Italia illud priuilegium Dominicanis, & Franciscanis concessum, intelligi ex vi dictarum bullarum. Nam attentis alijs rescriptis Apostolicis extra Italiam etiam fuit saltem aliquibus eorum concessum, iuxta iam tradita a nobis prolegomeno 5. num. 5. nempe per Constitutionem Martini V anno 1420. fuisse concessum Prouincialibus Dominicanis Aragoniæ, vt pro Regno Valentino ex sua Religione Inquisitores crearent, quos iudicarent aptos pro rei dignitate ad tale munus administrandum.

13 Nota item prædictos Inquisitores Religiosos a quocumq; olim crearentur, vel nunc creentur, quoad ea, quæ spectant ad Officium sanctæ Inquisitionis, nullo modo tunc fuisse, neq; nunc esse subiectos suis Prælatis Regularibus: quoad reliqua vero ad obseruantiam Religionis pertinentia non habuisse olim neq; hodie habere exemptionem ab eis. Tradit ibidem.

Santa-

Santarellus num.7. ex direct.par.3.quæst.11. & 12. & ibi Peña com. 60. & 61. habeturq; expresse in Bulla Alexandri IV. incip. *Catholica*
14 *Fidei* &c. Cæterum ex Clementina 2. §. Qui equidem, de hæreticis patet potuisse tunc ab eorum Prælatis, si in spectantibus ad sanctum Officium deliquissent, puniri, quæ Clementina iam abrogata est, vt notat ibidem Peña. & nunc dicti Inquisitores Religiosi a Cardinalibus Congregationis sancti Officij puniuntur.

Concessumne Inquisitoribus Delegatis eligere sibi Commissarios cum iurisdictione subdelegata?

REGVLA XII.

15 POssunt, & solent quicumq; Inquisitores, a quouis creentur secundum Regulas præcedentes eligere sibi Commissarios, seu Vicarios, quibus ad exercendum munus sanctæ Inquisitionis suam iurisdictionem subdelegent, prout iudicauerint expedire: nequaquam tamen isti alios subdelegatos creare possunt.

16 TRadit vtramq; partem huius Regulæ, & ostendit perdocte, vt reliqua Ferdinandus de Castro Palao tract. 4. de Fide disp. 8. pun. 12. §. 2. num. 12. & 13. Constat prima affirmans ex cap. Ne aliqui de hæreticis, & ex Clementina 1. eodem tit. §. porro. vtrobiq; enim hoc supponitur vt certum, cum simul de Inquisitoribus, & eorum Commissarijs sit sermo, ibi, Deinde coram dictis Inquisitoribus, & substitutis ab eis, & §. Vtrum, ibi, Inquisitoribus prædictis, & alijs ad dicti executionem Officij substituendis ab eis. Sed clarius expresso nomine Commissariorum Clemen 2. de hæreticis, ibi, super hoc deputatis Commissarijs.
17 Vide Peñam in Direc.3.part.com.62.& Ioannem Azor 1. part. instit. mor. lib. 8. cap. 18. quæst. 10. qui ad ostendendum hoc plura iura adducunt sed prædicta sint satis. Ratio est quia Delegatus a Principe potest subdelegare, ex cap. super quæstionem de Officio Iudicis Delegat. & ex communi Doctorum; ergo idem poterit Inquisitor cum sit delegatus supremi Principis, seu Sedis Apostolicæ, vnum scilicet, vel plures sibi Commissarios, seu Vicarios pro vno, vel pluribus locis substituere: ad quid vero possit extendi hæc subdelegatio, patebit ex dicendis cap sequenti.
18 Altera pars Regulæ negatiua cum Glossa cap. super quæstionem §. porro, verbo Transfert, de Officio Iud. Deleg. & Glossa in cap cum causam, verbo Delegatus de Appellationibus, & cum Panormitano, Alexandro, & alijs communiter traditur vt certa a Peña 3. par. Direc. quæst.15. com.64. & a nostro Ludouico Molina tract.5. de Inst.disp.28. num.8. Patet inde, quia si subdelegatus posset subdelegare alium, posset etiam hic similiter tertium, & tertius quartum, quartus quintum, atq; sic in infinitum, quia non est maior ratio, cur concedatur magis primo subdelegato, quam alijs; at processum in infinitum sicut natura in naturalibus, iura in Ciuilibus abhorrent, & prohibent, l. fideicommissum §. siquis, ff. de legatis 3.

Quanam ætas in Inquisitoribus, & Commissarijs eligendis requisita?

REGVLA XIII.

19 AEtas Inquisitoris creandi a quouis ali[o] quam a Papa, quadraginta annos att[in]gere debet, attento iure communi, in Comm[is]sarijs vero sufficiunt triginta; imo & in i[psis] Inquisitoribus quandoq; maxime pro Tri[bu]nalibus Hispaniæ, & cum creantur a sacra C[on]gregatione Vrbis sancti Officij.

20 COncordant circa totum hoc Doctores; primum de ætate 40. annorum patet Clementina 2. de hæreticis, ibi: statuimus nullis ex tunc, nisi qui quadragesimum ætatis annum attigerunt, Officium Inquisitionis prædictæ committi Inquisitoribus: quæ conditio in hac electione apponitur pro forma, ita vt ali[ter] executa, sit nulla, & reuocanda, ita cum Pe[ña] in Direc 3. par Commen.55 Santarellus [in] citato num.5. & Castro Palao ibidem num.2[..]
21 Notandum tamen quod in Episcopo de i[u]re, solum postulatur ætas 30. annorum, ca[p.] cum in cunctis de elect. Ratio differentiæ assignatur ibi nu.6 a Panormitano; quia de Episcopi doctrina, prudentia, & moribus ante electionem solet fieri diligens indagatio; qu[æ] non præmittitur, vt in plurimum in electione Inquisitoris, ac proinde in hoc ætas matur[ior] 40 annorum requiritur, cum sæpius eligan[tur] absq; mora in locis remotioribus ab V[rbe] vel regia, vbi elector residet contra hære[ti]cos illic derepente insurgentes.
22 Vnde cum in Hispania pro eligendis Inq[ui]sitoribus prædicta indagatio exacte obser[ue]tur hinc ex priuilegio, vt vult Simanchas de C[a]tholica instit, tit. 34. num. 12. quod ait Peñ[a] citatus se non vidisse, nec reperisse, vel ex [...] potius, & consuetudine derogato iure, in qu[o]uis eligendo sufficiens est ætas 30. annor[um].
23 Atq; eadem ratio videtur procedere in elec[tis] a Sacra Congregatione: vel dic etiam cum C[a]stro Palao, inde in istis esse sufficientes trigin[ta] annos quod eligantur a Cardinalibus de scientia Summi Pontificis; imo sæpius, vt hoc, ad[...]dam, in præsentia, & cum cooperatione ei[us]
24 dispensantis in rigore Iuris. Sicut posset, no[n] attento iure, valide, & licite solus ipse a iqua[n]do eligere in Inquisitorem etiam minore[m] triginta annorum.
25 Quoad Commissarios autem habetur expres[s]se in iure, quod in ipsis sint requisiti, & suf[fi]cientes triginta anni, sic in constitutione Clemen.7. incip. Cum sicut, ibi, *Decernimus insu[-] per, vt vestros Vicarios, siue Commissarios instituere possitis, viros, vestra sententia prouidos aptos, & idoneos; dummodo trigesimum ætatis annum attigerint:* huius Bullæ meminit Peña in Direc.

in Direc.3. par.quæst.13. Commen.62. & eam refert inter Bullas Apostolicas.

Doctrina qualis Theologiæ, & Iurisperitiæ in Inquisitoribus desideratur?

REGVLA XIV.

EMinens valde doctrina requiritur in quouis Inquisitore, nempe Theologiæ simul, & Iurisperitiæ, si fieri potest; vel saltem vt in altera illarum admodum eruditus existat, & in altera per Assessorem, vel Consultorem ipsa prædictam suppleatur: quod si duo Inquisitores simul pro eodem loco creentur, alter doctissimus Theologus, & alter peritissimus Iurisconsultus esse deberet.

CIrca rem hanc vnum tantum verbum profert Eymericus in direc. 3. par. quæst. 3. quod scilicet esse debeat Inquisitor, sacra doctrina fidei eminenter eruditus; vbi Peña Commen.51. per doctrinam fidei bene exponit intelligendam esse sacræ Theologiæ cognitionem, cum iurisperitia nullo modo dicatur doctrina fidei. Hanc Eymerici sententiam tenent Melchior Canus lib.8. cap.7. de locis Theologicis, & alij, atq; quoad praxim ita obseruatur, vt pro quibusuis Italiæ prouincijs soli Theologi Inquisitores, siue Dominicani, siue Franciscani eligantur; a quibus non inepte, sed omnino secundum Regulas iuris causæ fidei expenduntur, & terminantur. Iam pro hoc efficax ratio, quod facile sit Theologo, adhibito aliquo studio, partes iurisperiti per se ipsum supplere; sed non e contra, imo valde difficile, & quasi adynaton sit iurisconsulto repræsentare personam Theologi.

Nihilominus Simanchas de Cath. instit. tit. 43. (mirum ibi ipse contra insignem Theologorum, sententiam propositam defendentem iniuriose insurgat: *Quicquid*, inquit, *Theologus ille deliret Occam*) & alij multi iurisconsultos tantum Doctores esse eligendos, pro munere Inquisitoris fidei obeundo affirmant; sic iam tenet vniuersalis vsus in Tribunalibus sanctæ Inquisitionis Hispaniæ; imo licet duo, vel tres, vt assolet, pro eadem prouincia, vel loco assignentur Inquisitores, omnes vt plurimum, contra mentem citati Peñæ, iurisperiti eliguntur, & omne id, quod ad Theologum spectat, quoad qualificationem dicti, vel facti, & quoad reliqua, per qualificatorem, vel consultorem, principijs Theologicis bene imbutum, suppleri solet.

Consultius autem esset, ac proinde curandum, quoad fieri potest, vt tradunt idem Peña, & part. 1. instit. mor. lib.8. cap.18. quæst. 3. quæst. 186. num.54. & alij, si vtraq; facultate, Theologiæ, & Iurisperitiæ polleret, & vtriusq; Doctoratus laurea repetiretur insignitus: vt pollet, & reperitur, & quidem peremi- nenter præsens D. Inquisitor huius nostri Tribunalis Melitensis Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Fabius Chigius Episcopus Neritonen. nunquam satis pro meritis laudatus, vt iam Prolegomeno XIII. attigimus: quod in posterum non raro euenturum speramus, cum plures ad vtriusq; facultatis notitiā acquirendam animum applicent: nunquam tamen retro, quod sciam, accidit, vt Inquisitor Melitensis esset simul, & Theologiæ, & V.I.D.

Quibus virtutibus Inquisitores fidei præditi esse debent.

REGVLA XV.

31 MVltiplicibus virtutibus in gradu præexcellenti acquisitis præditi esse debent, quicumq; ad Officium sanctæ Inquisitionis exercendum eliguntur, præcipue eximia prudentia, & non paruo zelo fidei, & iustitiæ, amota procul quauis huius corruptione, maxime per pecuniæ subornationem.

32 OStendit hoc magna ex parte constitutio Vrbani IV. cuius initium, *præ cunctis nostræ mentis*, ibi *Prouidimus igitur ibidem ad præsens personas aliquas circumspectas, pro tanto negotio deputari, quarum honesta conuersatio, exemplum tribuat pietatis*; & infra, *quatenus in charitate Dei, hominum timore postposito, virtutem spiritus induentes ex alto, prædictum Officium* &c. Quæ adducit Eymericus 3. par. Direct. quæst. 1. atq; ibi in comprobationem præsentis Regulæ sic affirmat: *Inquisitor*, inquit, *debet esse conuersatione honestus, prudentia circumspectus, constantia firmus, & virtutibus circumfultus*; ita ille: quo quid opportunius ad rem præsentem?

33 Circa virtutem prudentiæ, Peña commentando illam particulam Eymerici, *prudentia circumspectus*, optime affirmat, tametsi in quibusuis iudicibus quarumcumq; causarum hæc virtus sit valde requisita; tamen multo magis in Inquisitore pro causis fidei, cum plurima in eis potius prudentiæ, quam legum Regulis sint expedienda. Accuratius autem, & copiosius præ alijs de hac qualitate prudentiæ in Inquisitore necessaria loquitur Simanchas de Cathol. instit. tit.34. nu.10. *Inter virtutes omnes*, inquit, *iudicibus necessarias, prudentia obtinet principatum, virtus quidem occultissima, salubribus intenta consilijs, præterita, & futura conspiciens* &c. Vide reliqua apud ipsum. De zelo iustitiæ, & abiectione corruptionis eius, & subornationis iam per se patet quid tenendum, & magis patebit ex alibi dicendis Deo iuuante.

Qualiter non eligendus carens prædictis qualitatibus, & iam electus reuocandus.

REGVLA XVI.

34 DEficientibus omnibus, aut aliquibus, vel saltem a iqua ex conditionibus iuxta Regulas præcedentes, in persona eligenda ad Officium

Officium Inquisitoris requisitis, nullo modo est deueniendum ad eius electionem; quod si postquam deuentum fuit, illarum, vel illius defectus deprehendatur, ad huius reuocationem quamprimum est procedendum.

35 TRactat copiose Castrus Palao, vbi supra disp. 8 pun. 12. cum Eymerico in Direc. 3 par. quæst. 12. Peña ibidem, commen. 61. Farin. quæst. 186 num. 33. & cum alijs, de causis non eligendi aliquem pro exercendo Officio Inquisitoris fidei, aut electionem iam factam reuocandi, & ad tria generalia capita reducit, nempe impotentiam, negligentiam, & iniquita-
36 tem. Prædicti autem Doctores sub his capitibus comprehendunt non solum numericas, seu indiuiduales causas, quæ ante electionem iam existunt; sed illas etiam, quæ post eam de nouo emergunt: has nos ad alium locum opportuniorem, iuxta ordinem executionis iugiter obseruandum, remittentes priores, tantum, quæ electionem antecedenter impediunt, & annullant, breuissime attingemus.

37 Circa primum caput impotentiæ per se manifeste patet, quod nulli dandum quodlibet Officium, & multo minus a fortiori hoc sanctæ Inquisitionis, ac si iam sit datum, debeat ilico eo priuari, qui non potest ipsum exercere; vndecumq; impotentia proueniat, siue ex ignorantia, quæ opponitur dictis Regula XIV. de doctrina Inquisitoris, siue ex ægra valetudine, perpetua scilicet (non ex ea, quæ ad tempus breue durat; cum possit interim per Vicarium suppleri) siue ex ætate, inepta nempe, vel nimis iuuenili, non adhuc maturo rationis iudicio acquisito, repugnante dispositione iuris scripti, aut consuetudinarij iuxta dicta a nobis Regula XIII. vel nimis senescente, deficientibus iam viribus, tam animi quam corporis; quod etiam iuri naturali repugnat.

38 In exprimendis alijs causis non eligendi, aut reuocandi electionem sub capitibus secundo, & tertio negligentiæ, & iniquitatis comprehensis, non est cur hic diutius immoremur, cum contrarientur virtutibus illis in Inquisitore eligendo requisitis, de quibus iam Regula præcedenti diximus; nam secundum Philosophum *contrariorum eadem est scientia*, atq; de his iterum alibi nobis necessario agendum.

Electio digni Inquisitoris potest ne pro libito eligentis reuocari aut aliò ìs transferri?

REGVLA XVII.

39 IN Inquisitore iam legitime electo concurrentibus conditionibus prædictis, non potest, nec debet absolute pro libito elec[...] quicumq; ille sit (excipe Papam) eius ele[...] reuocari, imo nec ipse alio, maxime si inu[...] sit, transferri; nisi ex causa maioris boni, [...] periculi vitandi &c.

40 VTrumq; facile deducunt auctores ci[...] & citandi ex rescriptis Pontificijs, [...] quæ conceditur facultas Inquisitoribus, qu[...] suis Generalibus, vel Eminentissimis Cardi[...] libus Congregationis Sancti Officij, vel [...] creandi Inquisitores Prouinciales, aut loc[...] In illis enim semper apponuntur huiusm[...] verba: *si ita expedire visum fuerit*, vel, *si ita [...] bis videbitur*, aut similia: quæ non indi[...] plenum arbitrium, seu libitum absolutum, [...]
41 arbitrium regulatum iure, & æquitate. N[...] primo verbum, *expedire*, Officij conuen[...] tiam ostendit, cap. non solum, de regular[...] in 6. vt cum Menoch lib. 1. de Arbitr. qu[...] num. 5. & cum alijs, ab hoc relatis notant [...] in Direct. 3. par. commen. 59. & Castrus [...]
42 vbi supra num. 20. Item formula illa, *si i[...] bis videatur*; etiam continet arbitrium [...] viri, ac proinde lege, & ratione regulatu[...] docent ibidem Peña, & Menoch. eadem [...] 8. num. 2. ex l. si fidei commissaria liberta[...] de fideicommiss. libert, & ex l. fideicom[...] §. quamquam de legat. 3. vide plura apud ip[...]

43 Sed quid si creans Inquisitorem Prouin[...] lem dicat in litteris creationis committere [...] ces suas, dum ipse non reuocauerit, seu [...] suum beneplacitum. Adhuc nihilominus n[...] potest absq; iusta causa creatum ab Officio [...] uocare, aut alio transferre; inde patet, q[...] concessio facta ad beneplacitum perpetua [...] censeatur, vt ex communi tradit Menoch [...] & beneplacitum indicat arbitrium boni [...] iure, & æquitate regulatum, teste eodem [...] noch. quæst. 6. num. 10.

44 Causæ autem esse possent legitimæ tra[...] rendi Inquisitorem de loco in locum, quod [...] hoc sit erigendum nouum Tribunal sancti [...] quisitionis; & requiratur ad id persona [...] alibi in causis fidei versata: vel quod tra[...] tio fiat ad locum honoratiorem, aut salub[...] rem ipsi Inquisitori translato, aut pro repel[...] do periculo vitæ, & similibus.

CAPVT III.

De iurisdictione, seu potestate Inquisitoris, siue Ordinarij, siue Delegati, siue Subdelegati, seu Commissarij, qualis sit, et ad quas personas se extendat.

PROOEMIOLVM.

1 EXecuta iam legitime Inquisitoris fidei electione, prout traditum toto capite præcedenti, exp[...] diuntur statim Bullæ commissionis eius; ex quibus, aut aliunde aduertat primo loco opor[...] quid,

...id. & quatuor iurisdictionis, & facultatis in tali commissione sibi traditum. Prudens enim Iu... cuiuscumque fori, tam interni Sacramenti Pœnitentiæ, quam externi pro causis cuiusuis gene..., antequam ad sui numeris executionem manum inijciat, ne Andabatarum more procedat, aut in ...enam messem falcem mittat; quam habeat iurisdictionem pro eo exequendo bene perpendat. Qua..., vt ad id præstandum nouis Inquisitoribus lumen aliquod præferre incipiamus, retento execu...onis ordine, statim hic contenta in titulo huius tertij Capitis sumpto initio a Romano Pontifice, ...ultiplicibus Regulis expendemus.

...Papa ordinariam habeat iurisdictio proce...endi contra hæreticos, se extendat ad quos...cumque personas quantumuis præeminétis.

REGVLA XVIII.

ROmanus Pontifex pro sua suprema auctoritate, est Inquisitor fidei ordinarius, & ...dex supremus, ab eoque omnes alij Inquisi...res, & Iudices pendent, atque sine vlla restri...one eius potestas, & iurisdictio se extendit ...procedendum contra quoscumque hæreti...os, aut de hæresi suspectos, cuiusque sint sta...us, gradus, & conditionis.

CErtissima est tota huius Regulæ doctrina, & nullus ex catholicis reperitur, qui eam ...on admittat; fremant licet peruersissimi, & ...sceleratissimi nostri temporis hæretici, ipsam ...morsu canino lacerantes, ac totaliter reijcien...es, atque pro viribus quoad possunt, summam ...ecclesiæ Dei dignitatem Pontificiam in dies ...agis obseruantes. Cæterum veritas fidei ...ostræ adeo ex seipsa circa hoc præcipue caput ...otestatis, & iurisdictionis Romani Pontificis ...axime contra ipsos hæreticos lucet, atque ...lendescit, vt, sicut hinc ægris, seu talpinis ...oculis obscuriores tenebras semper ob...adit; ita nostris Catholicorum sanis, & sim...licibus clarius, absq; vllis probationibus ap...reat, ac maiorem splendorem suauiter infun...t. Vnde breuitati de more studens, ab omni ...olixa probatione, præter traditam in Regu... 6. cap. 1. abstinebo, & tantum hic vt ostendã ...d quoscunque Christianos se extendere Pon...ficis summi potestatem in casu hæresis.

Primo definita fuit hæc veritas in varijs ...onsilijs Aecumenicis, in Nicæno Cant. 39. ...bi dicitur, quod data sit potestas Pontifici Ro...ano in omnes Christianos, & in omnes popu...os in Lateranensi sub Innocentio IV. circa ...num Domini 1215. & in Lugdunensi, vt alia ...ura omittam, sub Innocentio IV. præsente, ...nno 1245. in cap. ad Apostolicæ, de sententia, ...re iudic. in 6. ita post platinam in vita Inno...entij IV. & post alios refert Henricus Spon...nus in suo Auctuario Chronol. ad annales ...æsaris Barouij.

...tem ratio conuincens pro eadem doctrina ...ormatur; quia quando Christus Dominus di...it D. Petro, & mediate cuilibet eius legitimo ...ccessori, Romano Pontifici, *Pasce oues meas*, ...oann. 21. sub particula, *oues*, comprehendit quoscumq; Christianos baptizatos, cuiusuis status, & conditionis alioquin quiuis istor. esset extra ouile Ecclesiæ; quod est valde absurdum dicere; ergo supremus Pastor Romanus Pontifex potest, & tenetur non solum eos dirigere ad salutem æternam, & vt impedimenta contra huius acquisitionem remoueant, cogere; sed ipsos etiam, si amplexis erroribus, aut excitata contra Ecclesiam rebellione, ab eius ouili resilierint, grauiter corripere, & si opus fuerit castigare inflictis pænis, & spiritualibus, vt excommunicationis; & temporalibus, prout magis expedire bono communi, & priuato iudi-

10 cauerit. Quæ correptio, & castigatio videntur exprimi per symbolo illos virgæ, & baculi, psal. 22. qui totus est de officio Pastoris, *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Tradunt, & tenent hanc doctrinam Catholicam innumeri pene auctores, ex quibus vide precipue Cardinalem Bellarminum toto tractatu de potestate Papæ in temporalibus, Simanchus de Cathol. instit. tit. 45. num. 25. & Suarez lib. defensionis fidei cap. 23.

Qualiter olim Papæ Legatus de Latere contra hæreticos procedere posset? qualiter modo?

REGVLA XIX.

11 LEgatus Papæ de Latere tametsi in litteris Legationis, seu officij nihil exprimeretur, poterat olim ex vi iuris contra hæreticos, vel Apostatas, aut de vtrolibet suspectos procedere: secus hoc tempore; nisi ipsi expresse a Summo Pontifice, vel a sacra Congregatione fuerit concessum.

---

12 PArs huius affirmans adducitur Farinac. de hæresi q. 186. §. 1. ex Vmbert. locat. in iudiciali Inquisit. verbo Legatus num. 2. vbi pro ea refert constitutionem Vrbani IV. & ex Gundisaluo tract. de hæreticis q. 7. num. 8. qui manifeste affirmat, quod Legatus a Latere sedis Apostolicæ circa delictum hæresis vel Apostasiæ a fide, sit Iudex competens; allegat textum in cap. vt commiss. de hæreticis in 6. & ratio fauere videtur, quia dicti Legati de Latere vices Summi Pontificis in omnibus plenissime gerunt, ergo etiam in hac materia fidei.

13 Verum bene idem Farinac. & cum eo Castrus Palao vbi supra punct. 12. §. 1. nu. 1. resol-

uunt

uunt hoc iam hodie non esse in vsu, & requiri expressam concessionem à Papa, vel saltem a Sacra Congregatione Vrbis Sancti Officij. Vnde si quod erat ius Canonicum illis hoc concedens, iam per desuetudinem omnino abrogatum censetur.

Contra quos in causis fidei Episcopus sit Iudex Ordinarius? & quid de eius Vicario?

REGVLA XX.

14 EPiscopus in causis fidei ratione suę dignitatis, & officij, est Iudex competens & ordinarius, habetque facultatem procedendi contra quoscumque subditos propriæ Diœcesis, & cognoscendi de eorum delictis hæresis, vel Apostasiæ iurisdictione ordinaria: non autem eius Vicarius, nisi sit ei in particulari, & specialiter concessum.

---

15 PAtet hoc de Episcopo manifeste ex Clementina 1. §. propter quod, de hæreticis, ibi, *tam per Diœcesanos Episcopos, quia ad ipsos spectat hæreses extirpare, & bonum fidei promouere &c.* imo hoc competere ipsis iure Diuino iam alibi à nobis ostensum ex illo Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi &c.* Sic tradunt vt certum Simancas in Enchiridio tit. de Episcopis num. 2. & 3. Penna 3. p. Direct. q. 1. Comment. 50. Azor. 1. p. lib. 8. cap. 18. q. 2. & alij.

16 NEgatiua circa Vicarium generalem expenditur a Farin. q. 186. num. 13. Ex mente diuersorum, quos refert, præcipue Ioannis de Imola, in Clemen. 1. num. 19. Cardinalis Zabarellæ ibidem §. duro, num. 9. in q. 12. Vmbert. locat. in iudiciali Inquisit. verb.
17 Episcopus num. 6. Qui bene limitans ait *hoc non procedere casu, quo Episcopus in deputatione Vicarij, expressit aliquid ex his, quæ speciale mandatum exigunt, adiuncta clausula generali, nempe, & omnia alia, quæ nos possumus, etiam si mandatum speciale requirerent, &c.* nam tunc posset Vicarius Generalis de Hæresis crimine cognoscere.

18 NOtandum autem quamuis attento rigore iuris non posset olim Episcopus procedere contra Hæreticos, nisi cum consilio sui Capituli, vt habetur expresse cap. ad abolendam, de Hæreticis, consuetudine tamen iam diu receptum est, vt absq; eo procedat. Ita cum eodem Farin. num. 14. & 15. & cum alijs ab eo relatis affert Castrus Palao ibidē num. 4.

Est ne etiam Iudex Episcopus contra non subditos & exemptos? & qua iurisdictio?

REGVLA XXI.

19 HAbet etiam Episcopus in sua diœcesi facultatem, & iurisdictionem ad procedendum contra exemptos, aut priuilegiatos in causis Hæresis, vel Apostasiæ, hæc autem iurisdictio respectu istorum, an sit ordinaria, seu potius delegata? vtrumque probabile, sed probabilius hoc vltimum attento iuris rigore.

---

20 PRimum, quod habeat, patet, quia ita disponitur expresse in capite ad abolend. *§. Si qui vero de Hæreticis, vbi ad literam: qui vero fuerint, qui a lege iurisdictionis Diœcesanæ exempti, soli subiaceant sedis Apostolicæ potestati; nihilominus in eis, quæ sunt contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant iudicium, & eis in hac parte, tamquam a sede Apostolica delegatis, non obstantibus libertatis suæ priuilegijs, obsequantur.*

21 EX quo textu, ibi, eis in hac parte tanquam a sede Apostolica delegatis, deducit, & probat efficaciter Glossa id quod probabilius diximus, hanc iurisdictionem Episcoporum contra exemptos esse delegatam, quam Glossam sequūtur alij multi, Ioann. Andr. Felin. Abb. & quibus citatis adhæret Farin. vbi supra num. 7. Et confirmatur, quia in casibus, quibus Episcopi tali iurisdictione procedunt contra exemptos, non appellatur à sententia interlocutoria Episcopi ad Archiepiscopum, sed ad Papam delegantem, vt omnes concedunt, & tradunt Simancas Cathol. instit. tit. 6. nu. 3. & Farin. q. 186. num. 9. ergo induit naturam iurisdictionis delegatæ, & non ordinariæ.

22 Quamquam ex eodem textu, cap. ad abolendam, inducantur alij ad dicendum probabiliter esse hanc iurisdictionem ordinariam: ita Hostien. in dicto Cap. ad abolendam nu. 13. & Marianus Soccin. eodē cap. nu. 14. 15. Ratio, est quia a iure ipso in proposito tam generaliter & vniuersaliter Episcopis concessa est delegatio; at quoties iurisdictio delegatur alicui non ratione personæ, sed dignitatis & Officij, nequaquam delegata, sed ordinaria censenda est, naturamq. & priuilegia ordinariæ habet, argumento ex l. Cum Prætor, ff. de iudic. & copiose ostendit Sanchez lib. 2. de matr. disp. 40. nu. 14.

23 Notandum vero, circa modum, seu stylum procedendi Episcoporum in crimine hæresis siue ordinaria, siue delegata iurisdictione procedant, sic decidi in cap. Par hoc, §. finali de hæreticis in 6. nimirum ibi, Illum in procedendo modum obseruent, quem Inquisitores possunt, & debent, intellige, obseruare, secundum iura communia, vel secundū speciales concessiones, aut ordinationes sedis Apostolicæ. Adducunt cum Glossa, ibi, & cum alijs per eos citatis Simancas Cathol. instit. tit. 25. num. 4. & Farin. de hæres. quæst. 186. nu. 16.

Quousque multi Episcopi simul in aliquo Concilio possunt contra recedentes quoquomodo à fide Catholica procedere?

REGVLA XXII.

24 MVlti Episcopi simul in aliquo Concilio auctoritate summi Pontificis coacto præexcellentē valde, & amplissimam habēt potestatē nō solum ad decidendas, & notificandas res, seu veritates quascunque fidei diuinæ, sed etiam ad condemnandos declinantes ab ea,

seu

Seu oppositum ei sentientes, aut docentes, & ad declarandos eos hæreticos: vel hæresiarchas, cuiuscunque gradus, conditionis, ac dignitatis, quantumuis præeminẽtis existant: atque ad puniendos ipsos per denunciationem excommunicationis, ac per depositionem à dignitate, vel officio, & alijs pœnis prout de iuxe

---

PRimam partem huius Regulæ circa potestatem Episcopis in aliquo Concilio auctoritate Papæ legitime congregatis concessã decidendi, & declarandi res, seu veritates fidei supponimus hic vt certam de fide, eam copiosius indicabimus infra, quando agemus de regulis seu normis credendi, inter quos præcipuum locum tenet Cõcilium œcumenicum ex facultate summi Pontificis coactum.

Secundam partem de potestate dicti Concilij persequendi, & declarandi hæreticos, aut hæresiarchas, eosque puniendi, expendimus modo: & quoad eius thesim patet iam ex traditis a nobis Prolegomeno II. a nu. 4. vbi eam copiose, & efficaciter comprobauimus discurrendo per varia, & principaliora Concilia ad ostendendum progressum. Tribunalium fidei, vidimus permultos hæreticos, vel hæresiarchas a pluribus Episcopis simul legitime cõgregatis fuisse condemnatos. Nam efficax formatur argumentum ab actu, vel facto ipso iuridico ad potentiam, vel facultatem agendi, ergo hanc habent Episcopi in aliquo Concilio &c.

Quoad Hypothesim vero eius, nẽpe quod possint exercere dictam potestatem, & iurisdictio nem persequendi hæreticos, circa quoscunque Ecclesiæ subditos, cuiusuis sint gradus, conditionis, ac dignitatis quantumcumque præ excellentis, constat manifeste sumpto argumento ex iuribus, & decisionibus Conciliorum adductis paulo ante Regula X V I I I. pro ostendenda simili potestate, & iurisdictione Summi Pontificis in quoslibet Christianos, a vera fide Catholica recedentes, nempe Concilij Nicæni, canon. 39. Lateranensis, sub Innocentio III. & Lugdunensis, vt alia omittam, sub Innocentio IV. item deducitur ex cap. Ad Apostolicæ, de senten. & re iudic. in 6.

Conuincitur etiam inde a simili, quia sicut dictum est Diuo Petro, & mediate cuilibet eius successori, Romano Pontifici, *Pasce oues meas.* Ioan. 12. & sub particula, *oues*, comprehendun tur quicunque Christiani baptizati, iuxta expositionem interpretum, quam afferunt Bellarminus, & Suarez sub finẽ dictæ Regulæ XVIII. citati; ita dictum est non solum singulis episcoporum; sed omnibus etiam, vel pluribus simul, in aliquo Concilio congregatis. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei &c.* Act. Apost. cap. 20. & sub particula, *Vniuerso gregi*, per se patet, quod sint comprehensi omnes Ecclesiæ subditi; ergo quemcunque istorũ, cuiusuis gradus, conditionis, & dignitatis existat, poterunt illi declarare hæreticum, aut hæresiarcham, & contra ipsum vsque ad vltimum supplicium procedere, si veram fidem deserens ab vniuerso grege resiliat.

29 Videtur tamen posse obijci, quod in casu hæresis quiuis Episcopus ea infectus, aut de ipsa indiciatus sit subiectus immediate Romano Põtifici, & non Inquisitori, etiam Generali, nec sacræ Congregationi Eminentissimorum Cardinalium Vrbis, neque vlli alteri, vt paulo post Regula XXVIII. tradimus decisum in cp. Inquisitores, de Hæreticis in 6. ergo omnes, vel plures Episcopi in aliquo Concilio congregati non poterunt contra illum procedere.

30 Respondetur negando consequentiam; nam eo ipso, quod Concilium auctoritate Papæ fuit coactum, & ab eo approbatum, Episcopi in illo congregati habent potestatem, & iurisdictionem ad procedendum cõtra quemcunque hæreticum, aut hæresiarcham, siue Episcopum, siue Patriarcham, &c. patetq. a posteriori ex facto ipso; quam in diuersis Concilijs œcumenicis condemnati fuerũt vt Hæretici, vel Hæresiarchæ varij Episcopi vel Archiepiscopi: & Patriarchæ Constantinopolitani, vt tradidimus Prolegomeno II.

Capituli sede vacãte iurisdictio in causis fidei circa quos se extendit? & qualiter?

REGVLA XXIII.

31 CApitulum Sede vacante est etiam iudex competens in causis fidei; potest que procedere contra subditos Diœcesis; non autem contra exemptos, quoquo modo priuilegiatos: oppositum etiam probabile. Exequi autem id valet per suum Vicarium: Imo ita expedit.

---

33 AFfirmatiua pars similiter habetur decisa in cap. Ad abolendam de Hæreticis, ibi, *Vel clerici ipsi sede vacante*, & cum Glossa ibidem, ac cum alijs communiter docent Simanchas Cathol. inst. tit. 25. nu. 6. & Farinac. quæst. 186. nu. 177. Qui ex Deciano in tract. Crimin. lib. 5. cap. 21. nu. 13. bene addit ibidem nu. 179. nomine Sedis vacantis intelligi non tantum vbi sedes vacat absolute; sed etiã quando Diœcesis non potest gubernari ab Episcopo, vel quod iste sit in captiuitate, vel quod inciderit in amentiam, & adhuc non sit prouisum a Papa de coadiutore, vel quod ad Episcopatum promotus nondum eum administret, ob non expeditas litteras, vel ob alias causas, quas longum esset hic percensere.

35 ALtera pars negatiua inde ostẽditur, quĩ Capitulum sede vacante solum succedit in his, quæ competunt Episcopo ex iurisdictione ordinaria; non vero in his, quæ ex delegata quod vt axioma certum ab omnibus admittitur. At probabilius duximus, quod procedant Episcopi cõtra exemptos iurisdictione sola delegata; ergo non succedet in hoc capitulum sede vacante: atque ita tenent cum multis relatis Farinac. quæst. 186. nu. 182. & Castrus Palao ibidem, nu. 6.

37 Cæterum cum non careat probabilitate oppositum, vt traditum a nobis Regula 21:

quod

quod Episcopus cognoscere possit de causis Fidei exemptorum iurisdictione ordinaria, consequenter dicẽdum est probabiliter in hoc etiam succedere Capitulum Sede vacante: ita docet cum Marian. Socin. in dict. cap. Ad abolendam, num. 44. ibidem Castrus Palao, quem videas quæso.

38 Idem Castrus bene num. 7. tradit hanc iurisdictionem posse, & debere Capitulum exequi non per seipsum, sed per suum Vicarium ad hoc specialiter deputatum (alioquin sine hac specialitate nequibit, vt diximus supra de Vicario Episcopi) colligitur clare ex Clemen. 1. §. prop-

39 ter, de hæreticis. Et ratio congruens suadet, quod expediat fieri per Vicarium, quia alias secretum adeo necessarium in Tribunali sanctæ Inquisitionis vix seruari posset, neque ita breui tempore expeditio causarum exequi, vti sæpius requiritur.

Olim quomodo Prælati Religionum causas Fidei suorum subditorum iudicarunt?

REGVLA XXIV.

40 PRælati quarumcunque Religionum quondam Iudices competentes fuerunt in causis Fidei, & facultate, seu iurisdictione ordinaria procedere poterant contra quoscunque subditos suos quomodolibet exemptos, si de hæresi, vel Apostasia conuicti, aut suspecti fuissent.

---

41 DOctrina huius Regulæ per modum narrationis historicæ tradita fuit a nobis Prolegomeno X. num. 15. & inde probata, quod superiores Religionum attento quouis iure Diuino, & humano habeant iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem respectu suorum, siue isti sint Religiosi, siue tantum serui, seu familiares, aut vassalli circa quarumcumq; causarum genera: ad ipsosque etiam dirigantur verba illa Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi*, in quo &c cum facultate procedendi cõtra omnes illos in casu hæresis, vel Apostasiæ: atque hoc supponunt vt certum Farin. quæst. 186. num 28. & multi alij ab eo citati, tractantes illud dubium, an de iure contra Religiosos, aut exemptos possint alij (excepto Papa) quã eorum superiores in causis Fidei procedere? de quo paulo post.

42 Cæterum hodie iam totaliter ablata est iurisdictio superioribus Religionum in similibus causis Fidei respectu sibi subditorum, nam quamuis Pius IV. constit. incip. *Pastoris æterni*, postquam quascumque personas Religiosas, vel subditas Prælatis Religionum, quomodolibet exemptas, aut priuilegiatas Inquisitoribus locorum, vel prouinciarum subiecerat adiunxisset hanc limitationem, nisi superiores earum præuenerint: postea tamen Paulus V. alia Bulla incip. *Romanus Pontifex*, etiam istam præuentionem sustulit, & absolute absque vlla restrictione eas dictis Inquisitoribus delegatis a Sede Apostolica subiectas esse præcepit.

43 Hinc infero quod non videam, quomodo possit sustineri id, quod docent aliqui ex recẽtioribus scriptoribus, alioquin magni nominis apud omnes, agentes de facultate Capituli Sede vacante in causis Fidei, quod pari modo, atque istud, possint alij similiter iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, vt sunt aliqui Abbates, & Priores, procedere contra sibi subditos hæreticos, vel Apostatas, vel de vtroque suspectos, si enim isti Abbates, vel Priores sunt Religiosi, vt communiter esse solent, vel tunc statim fieri, emissa professione intra sex menses iuxta dispositionem Triden. sess. 25. cap. 21. de Regularibus, & Monial. quando Abbatiæ, vel Prioratus eis conferuntur, per Bullam citatam Pauli V. sine dubio erit ipsis omnino sublata iurisdictio in similibus casibus hæresis aut apostasiæ, circa eorum subditos, vel Religiosos, quos tales habent, vel etiam a fortiori circa Religiosos, siue seruos, siue familiares, siue vassallos, quomodolibet exemptos, seu priuilegiatos.

44 Adiungo in confirmationem exemplum Religionis Hierosolymitanæ, quæ prætendit esse nullius Diœcesis, & habet Abbatias, & Prioratus cum iurisdictione quasi Episcopali, tamen vt audio nullibi cum similibus subditis, seruis, familiaribus, & vassallis cognoscit causis Fidei &c. ergo nec alij Abbates, aut Priores Religiosi cognoscent. Ita mecum sentiunt Viri docti a me consulti, præcipue Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Inquisitor Fabius Chigius Episcopus Neritoñ. & quidem illi sunt excusandi, qui ante, quam Bulla Pauli V. in lucem prodiret, ita asseruerunt; sed alij magis recentiores, qui post eam editam, quomodo quæso excusabuntur?

Qualiter ad connexa se extendit iurisdictio Inquisitorum? & hæc ordinaria ne? an delegata?

REGVLA XXV.

45 QVi communiter Inquisitorum nomine insigniuntur, siue immediate a Papa, siue ab alijs ex priuilegijs creentur, sunt præcipui Iudices in causis Fidei, cum suis annexis, & dependentibus: iurisdictione tantum delegata, non ordinaria.

---

46 TOta fere habetur in iure expresse, aut ex eo saltem deducitur: pro prima parte est textus expressus in Clemen. 1. §. propter, de hæreticis, ibi, tam per Diœcesanos Episcopos, quam per Inquisitores; vbi agitur de causis Fidei tractandis. Quod autem de connexis causis, seu de incidentibus, & dependentibus possint isti cognoscere, deducunt doctores ex Clemen, Dispendiosum, & ex l. nulli, C. de Iudicijs, Decius in cap. pastoralis, num. 4. de appellationibus, & docent Farinacius quæst. 186. num. 26. & Peña cum Eymerico 3. part. Direct. Commen. 10 vers. in prædictis omnibus: vbi inuenies, quæ sint connexa, emergentia, & dependentia.

Ra-

Ratio etiam conuincit, quia qui concedit iurisdictionem ad cognoscendum de causa principali, censetur concedere etiam pro cognoscendis emergentibus connexis, & aliquo modo dependentibus; alioquin non esset bene, & complete prouisum.

Iam quod eorum iurisdictio sit delegata, & non ordinaria, colligitur ex Bulla Vrbani IV. incip. *licet ex omnibus*, ibi: *Prouidimus igitur ad præsens personas aliquas pro tanto negotio deputari.* & ex cap. ne aliqui, de hæreticis in 6. vbi dicitur Officium Inquisitoris a sede Apostolica, seu a summo Pontifice esse commissum, quod non diceretur, si esset iurisdictionis ordinariæ: & quidem, vt commissum deberet morte committentis, seu delegantis expirare, saltem quoad negotia integra. Sed fauore fidei cautum a iure vt perpetuo duret; quæ cautio necessaria non fuisset, si ordinariæ Iurisdictionis Officium Inquisitoris esset. Confirmatur, quia Iudex ordinarius ad quæcumq; causarum genera ex vi iuris, & proprij officij solet iurisdictionem habere; sed Inquisitor solum habet ad causam hæresis, atque ad ei annexa; ergo non est Iudex ordinarius, sed delegatus. Ita multi Doctores melioris notæ, vt Pena cum Eymerico 3.p. Direct. q.4. commen.53. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 6. & Farinacius q.186. num. 39.

Quamquam ijdem Doctores negare non possunt hanc Inquisitorum iurisdictionem in aliquibus participare de priuilegijs iurisdictionis ordinariæ, tum quod non expiret per mortem delegantis, vt iam dictum, tum quod possit Inquisitor substituere sibi Vicarios. &c.

Delegati ne sunt Inquisitores particulares a Generalibus Inquisitoribus electi? & vnde illorum iurisdictio?

REGVLA XXVI.

INquisitores particulares cuiusq; loci, aut prouinciæ, imo & Concilij supremi non subdelegati eorum a quibus ex priuilegio Pontificio creantur, vt a Cardinalibus sacræ Congregationis, aut a Generali Inquisitore Hispaniæ; sed proprie sunt, & dicuntur Delegati Sedis Apostolicæ, aut summi Pontificis, ab hoc que immediate suam potestatem, & iurisdictionem accipiunt.

HOc vt certius, & magis commune tenent præter modo citatos alij, vt Ioannes Royas singul. 114. num. 4. Report. verbo Inquisitor, vers. in Inquisitores, & noster Molina tract. 5. de iust. disp. 28. num. 7. quidquid vnus Simancas tit. 34. num. 14. & non alius, quod sciam, in contrarium dicat. Ostenditur primo ex Clem. 1. §. propter de hæreticis, & ex cap. per hoc etiam de hæreticis in 6. vbi absolute Inquisitores, qui cum Episcopis procedere debent in causis fidei, a sede Apostolica deputati dicuntur. Sed clarius ex Constit. Alexandri IV. incip. Quod super §. adiecistis, ibi: *Super quo taliter duximus ordinandum, quod idē Prior possit tres, vel quatuor idoneos ad hoc opus* (nempe ad procedendum contra hæreticos) *assumere, qui parem cum ipso habeant potestatem, & amouere illos, ac ipsorum loco alios substituere, quotiescumque viderit expedire: ipsi autem Priori, & alijs sic assumptis*, &c. *similia faciendi conceditur ab eadem sede facultas*; ita ibi. Ergo illi tres, vel quatuor non Delegati Prioris (Dominicani scilicet) sed sedis Apostolicæ erant, & ab hac immediate facultatem, seu iurisdictionem accipiebant: quo quid opportunius, & efficacius ad probationem totius Regulæ?

51 Adiungo præterea, omissis alijs, hanc rationem doctrinalem, qua Inquisitores supremi Concilij, quamuis a Generali Inquisitore eligantur, ostenditur non esse huius delegatos, sed summi Pontificis, seu sedis Apostolicæ, sicque ipsi in suis expeditionibus exprimunt; quia alioquin non daretur ab alijs Tribunalibus sancti Officij appellatio ad eorum Tribunal; cum appellare quis non possit ab vno subdelegato ad alium subdelegatum; ergo idem erit de reliquis Inquisitoribus, quod licet creentur ab Inquisitore Generali; non huius Delegati, sed sedis Apostolicæ erunt.

52 Nec in contrarium adductum a Simanca quidquam releuat, quod Generalis Inquisitor in litteris electionis eorum asserat vices suas committere: quia id fit, vt appareat iurisdictionem a sede Apostolica eisdem concessam esse ab ipso dependentem, quæ dependentia conueniens iudicatur vt rectius, & securius in causis Fidei Inquisitores procedant.

Ad quas personas cuiusque Delegati Inquisitoris iurisdictio extenditur?

REGVLA XXVII.

53 POtestas, seu iurisdictio cuiuscumque Delegati Inquisitoris particularis, aut Prouincialis, vel etiam Generalis, se plenarie extendit ad quaslibet personas cuiusuis status, & conditionis in loco, vel prouincia, aut Regnis, & Dominijs suæ iurisdictionis existentes, vel delinquentes seculares, aut Regulares, vel aliquo modo exemptos, seu priuilegiatos.

54 Hæc quoad omnes eius partes decisa extat in iure Canonico cap. vt Officium, §. denique de hæreticis in 6. cap. accusatores, in fine, cap. ad abolendam de hæreticis. Vnde quotquot sunt Doctores eam admittunt cum omni extensione exceptis limitationibus statim tradendis. Quod si olim iurisdictio Inquisitoris non se extendebat ad Religiosum exemptum, qui erat iam præuentus a suo Prælato; præuentio hæc iam sublata est a Paulo V. vt paulo ante dictum.

54 Notat bene cum Eymerico Peña 3. par. Direct. quæst. 31. Commen. 80. quod sub hac regula comprehendantur etiam Reges, & Regales personæ, quales sunt, vt explicat idem Peña, Duces, Marchiones, Barones, Senatores &c. attento

tento rigore dicti Capituli, vt Officium, §. deniq; ibi, Cuiuscunq; sint conditionis, dignitatis, & gradus: tutius tamen, & conuenientius esse summum Pontificem consulere, priusquam ad procedendum contra tales deueniatur, vt prouideat ipse, & vtetur eius consilio vel mandato. idem docet Ioannes Andreas in cap. Inquisitores, de hęreticis in 6. quē ibi sequitur Fracus.

Sunt ne Episcopi a iurisdictione cuiusuis Inquisitoris etiam Generalis exempti?

REGVLA XXVIII.

56 A Generalitate præcedentis Regulæ excepti sunt Episcopi, cum nullus Inquisitor etiam Generalis, nec DD. Cardinales sacræ Congregationis procedere possint contra eos, nisi de expressa sedis Apostolicæ licentia: sed deferre tenentur totum negotium ad summum Pontificem, vt ipse prouideat.

57 EXtat pro hac Regula totum cap. Inquisitores, de hæreticis in 6. vbi etiam deciditur, quod debeat Inquisitor denunciare sedi Apostolicæ Episcopum hæreticum, vel de hæresi diffamatum: in Rubro compendiosius sic, Inquisitor Papæ super hæresi, sine speciali mandato non inquirat contra Episcopum, sed si eum
58 culpabilem sciuerit, denunciabit Papæ. Vbi sicut in nigro Episcopi nomine intelligitur etiā titularis, cū verè sit Episcopus, electus item, & confirmatus a sede Apostolica, licet nondum consecratus, eo quod iam Episcopalem iurisdictionem habeat: haud ita de electo sed nondum a Papa confirmato dicendum; docent ex communi omnium Simanchas Cathol. instit. tit. 25. num. 11. & 12. & Molina noster vbi supra n. 19.
59 Extendit se nihilominus iurisdictio Inquisitoris ad recipienda dicta testium contra Episcopum, vt ea transmittat ad summum Pontificem,
60 sicq; huic eum denunciet. Item vbi eius delictum hæresis esset notorium ad ipsum carcerandum, & carceratum Romam Papæ mittendum, si sit fundata suspicio de fuga, vel si ex dilatione carcerationis appareat clare periculum grauium malorum, vt quod sint interim plures ab eo seducendi. Ratio est quia isti casus ex benigna interpretatione legis exceptuati censentur, docent, Simancas ibidem nu. 8. Peña 3. par. Direct. quæst 27. commen. 76. & Farin. cum alijs ab eo relatis quæst 186. num. 116.
61 Addit optime ibidem Peña ex Bulla Pij IV. incip. *Romanus Pontifex, posse* DD Cardinales Sacræ Congregationis procedere contra Episcopos existentes extra Vrbem, maxime in locis de hæresi suspectis, citando eos, informationes capiendo, processus vsq; ad conclusum formando citra prolationem diffinitiuæ sentētiæ; quæ dispositioni Papæ relinquitur: vnde ipse de actis vsque ad eam statim certiorandus.
62 Notat etiam benè ibidem Peña cum Deciano Repor. Inquis. & a ijs per eum citatis, tametsi nequeat Inquisitor cōtra Episcopum procedere, & videatur alius Episcopus ad id iurisdictionem habere, si Episcopus de hæresi suspectus in eius Diœcesi existat aut delictum committat, ex cap. ad abolendam, de hæreticis, vbi absolute absq; limitatione conceditur facultas Episcopo ad procedendum contra exemptos, qualis est alius Episcopus respectu eius: verum cautius fore si in simili casu Sedes Apostolica consulatur.

Nuntij, & Legati Sedis Apostolicæ eadem ... exemptione fruuntur.

REGVLA XXIX.

63 AB eadem generalitate excipiuntur Nuntij, & Legati Sedis Apostolicæ, & eiusdem Sedis officiales, contra quos nullus Inquisitor, siue Delegatus, siue Ordinarius, ... Episcopus potest procedere in causis hæresis nisi de expressa licentia summi Pontificis.

64 DEcisum legitur in Extrauagante Ioannis XXII. cū Matthæus, de Hæreticis: nec requiritur maior probatio; sed declaratio tantum terminorum. Per nomen Nuntij hoc loco intelligitur Legatus sedis Apostolicæ ex textu cap. nobilissimus, 97. dist. Per nomen item Officiarium intelliguntur designati a sede Apostolica ad aliquas causas, ipsam, honoremq; eius dignitatem prospicientes; non vero missi ad causas particulares inter partes decidendas, cum illi non negotium sedis Apostolicæ; sed particularium personarum tractent: ac proinde priuilegio Officialibus dictæ sedis concesso, non fruuntur, ita Peña, citatis Lapo, & Decio 3. par. direct. quæst. 26. Commen. 75. & noster Molina tract. 5. de iust. disput. 28. num. 20.

An vnus Inquisitor possit contra alium in causis fidei procedere?

REGVLA XXX.

65 TAndem a prædicta generalitate excipiuntur ipsi Inquisitores, dum sunt in Officio, quod vnus aduersus alium in causa fidei procedere non possit; siue sint socij, munus sanctæ Inquisitionis simul in eodem loco exercentes, siue diuersis locis, aut prouincijs ad hoc ipsum deputati.

66 COnstat hæc manifeste tum ex vulgari, ac vero axiomate, quod par in parem non habeat potestatem; tum ex doctrina duplici Regula præcedenti tradita; quod Inquisitores sint Delegati, seu Legati, aut Officiales sedis Apostolicæ; at contra hos in crimine hæresis nullus procedere potest, iuxta dictam constitutionem Ioannis XXII. Cum Matthæus de hæreticis, nisi ex licentia summi Pontificis; vnde Inquisitor, aut Episcopus, seu Ordinarius solum poterit sumptis informationibus Inquisitorem hæreticum, vel de hæresi suspectum denunciare, respectiue, vel summo Pontifici, vel sacræ Congregationi Vrbis, vel Generali Inquisitori, vt prouideant, & saltem ab Officio eum amoueant.

...eant. Nam contra iam amotum ex quacunq; causa, non est dubium quin possit alius Inquisitor particularis procedere: tradunt doctrinam hanc, vt magis certam Peña cum Eymerico in direc. par 3. quæst. 30 Com. 76. Farin. relatis multis quæst. 186. nu. 124. & 131. Azor par. lib. 8. cap. 18. quæst. 14. & Molin. de iust. tra. 5. disp. 28. num. 21. & alij plures.

Vnde non sunt audiendi aliqui, vt Ioann. Royas singul. 109. qui absq; fundamento distinguunt inter crimen hæresis occultum, & Notorium, atq; circa hoc Episcopo contra Inquisitorem facultatem procedendi concedunt. Cum enim dicta constitutio Ioann. XXII. non distinguat inter occultum, & Notorium, nec nos distinguere debemus. Et multo minus audiendi sunt alij vt Zanch. de hæreticis, cap. 8. nu. 9. qui absq; hac distinctione secreti, & Notorij id Episcopo concedunt: contra quos est dispositio prædictæ cōstitutionis Ioann. XXII. Quod si isti auctores hoc ita sentiant propter casus suspicionis fundatæ de fuga Inquisitoris hæretici, aut manifesti periculi de seductione aliorum, & similes, quos Regula 28. num. 60. diximus exceptos, ex benigna interpretatione legis, admittimus eorum sententiam, & idem nunc, quod, ibi, testamur.

Inquisitores qualiter possint suis Commissarijs iurisdictionem elargiri?

REGVLA XXXI.

Commissarijs, seu Vicarijs a se creatis iuxta tradita num. 16. & 17. Regulæ XII. potest Inquisitor quilibet in causis hæresis, vel partem suæ iurisdictionis, vt pro suscipiendis informationibus, aut formando processu, vel totam vsque ad diffinitiuæ sententiæ prolationem tribuere, prout iudicauerit expedire contra quascunq; personas suæ iurisdictionis.

71 Ita docent Peña cum Eymerico 3. par. direct. q. 13. commen 62. Molina noster tract. 5. de iust. disp. 28. num. 8. Azor par. 1. lib. 8. cap. 8. quæst. 10. & Farin. cum alijs ab ipso relatis, quæst. 186. num. 29. qui pluribus comprobat. Potissima tamen ratio est, quia Inquisitor, vt traditum supra, est Delegatus sedis Apostolicæ; sed Delegatus potest subdelegare, & Commissarium sibi substituere, committendo ipsi plene vices suas, ex cap. super quæstionem, de Officio Iudicis Delegati, ergo &c.

72 Quamquam circa hoc attendendus est stylus cuiusque Tribunalis sancti Officij, & seruanda instructio, si quæ tradita. Et quidem in Hispania, vt ait noster Molina loco citato, iuxta instructionem quamdam Hispalensem, cuius meminit Peña vbi supra, Commen. 10. solum ad recipiendas informationes institui solent Commissarij. Exemplum certissimum tibi trado in charissimo fratre meo Iacobo Salelles sacræ Theologiæ Doctore Canonico Gandiensi, quem simul & amoris, & honorificentiæ causa nomino, huic pro meritis excellentium virtutum, & literarum, maxime in concionando præstantiæ a Dominis Inquisitoribus Valentinis commissio fuit tradita cum prædicta limitatione pro informationibus tantum suscipiendis in diuersis locis Valentinæ Diœcesis contra hæreticos, aut Apostatas a fide Catholica, seu de hæresi, vel Apostasia quoquo modo suspectos, quorum non pauci erant ex Mauris postea eiectis.

CAPVT IV.

De exequendis ab Inquisitore initio sui muneris circa Ordinarium, & Principem loci; de creatione, aut confirmatione Officialium necessariorum Fiscalis, & Notarij ad erigendum nouum Tribunal, vel ad promouendum iam erectum.

PROOEMIOLVM.

Videbatur vlterius progrediendum in ostendenda potestate, & iurisdictione DD. Inquisitorum circa materiam, seu circa casus proprios sancti Officij; sed de hoc multo opportunius paulo post, in publicatione, atq; declaratione per partes edicti sanctæ Inquisitionis; ex qua etiam Consultores Theologi ad qualificandum in dictis, vel factis contra fidem, non exiguum lumen accipient. Cum autem prædictæ publicationi, & declarationi in executione necessario præcedat erectio Tribunalis sancti Officij, vel promotio iam prius erecti, conuenienter de hac, & de annexis ipsi necessario statim agendum.

An obligatio nouo Inquisitori se sistendi coram superioribus loci Ecclesiastico, & Temporali?

REGVLA XXXII.

Inquisitor iam electus, & cum prædicta facultate alicui loco, vel Prouinciæ deputatus debet quamprimum se sistere vtrique potestati Ecclesiasticæ, & seculari, Regi scilicet, aut Domino; vel Magistratui Ciuitatis, aut regionis illius, & Episcopo Diœcesano, vel Capitulo, sede Vacante, atque ipsis de sua Apostolica commissione plenam fidem facere.

3 Tradunt Simancas de Cath. instit. tit. 44. nu. 1. cum Eymer. in direc. 3. par. initio Peña Comen. 1. post citatum ab isto Corradum Brunum lib. 1. de legat. cap. 8. & consonat instructio 1. Hispalensis, de qua mentionem fuit ipse

Peña,

Peña, estque conforme dispositioni Iuris Ciuilis l. obseruare, ff. de off. Proconsulis. Probat efficaciter Eymericus, quia alias, si ante fidem factam exequi suum munus inciperet, posset, & merito Inquisitor per illos cum molestia impediri, aut saltem retardari, cum ex iure nemo sit credendus Delegatus, nisi ostendat literas suæ Delegationis, vel aliunde probet, cap. cum in iure, de Officio Delegati.

4 Nota, vt reliquis de populo innotescat de aduentu, & de Officio, ac potestate Inquisitorum expediens esse id, quod in Concilio Biterrensi cap. 1. disponitur per hæc verba: *Conuocatis Clero, & Populo, & proposito verbo Dei, mandatum vobis factum, & aduentus vestri causam, lectis literis, quarum auctoritate procedere habetis, sicut oportere noueritis, exponatis*: hæc ibi, & affert Peña citatus. Sed vix credo est in vsu cum per publicationem edicti suppleatur, de qua postea, quamquam Reuerendissimus D. Cubelles primus Inquisitor huius Tribunalis Melitensis non omisit id, quod in Concil. Biter. disponitur, vt dictum est Prolegomeno 13. à num. 5.

Quid de Iuramento Principis protegendi fidem? & de concessione literarum saluaguardiæ, etiam cum coactione?

REGVLA XXXIII.

5 POtest Inquisitor exigere, & expedit sæpe, vt exigat a prædictis Magistratibus, aut Principibus secularibus iuramentum solemne de præstando auxilium, & fauorem contra hæreticos, de persequendo eos, & liberando Ecclesiam ab ipsis: exigere etiam literas saluaguardiæ, seu adiutrices ad Gubernatores, vel Officiales Regni, aut Prouinciæ, vt idem præstent tempore visitationis: atque hos, & illos, si requisiti noluerint, cogere ad id præstandum sub pœnis excommunicationis, & alijs.

6 VAriæ extant leges Canonicæ, & Ciuiles disponentes circa emissionem huius Iuramenti, & obseruantiam rei, quæ iuratur, præcipue cap. ad abolendam, §. statuimus, & cap. excommunicamus, il primo, §. moneantur, de hæreticis, Rescriptum item Innocen. IV. incip. *ad extirpanda*, §. teneatur, il primo, & aliud Clem. IV. similiter incip. ad extirpanda; Federici etiam Imperatoris Const. incip. *Commissi nobis*, item *inconsutilem*, item *Patarenorum*, tandem *Catharos*; adducit eas Peña in fine direc. atque his, & alijs copiose ostendit veram doctrinam huius Regulæ, Farin. de hæresi qu. 182. num. 22. cum multis, quos ipse citat. Qui

7 bene addit promissionem de obseruandis dictis legibus Canonicis, & Ciuilibus esse exprimendam in ipso Iuramento; copiosius tamen præ cæteris tractat hunc locum Eymericus 2. p. Direc. & cum eo Peña Comen. super cap. excommunicamus, §. moneantur, de hæreticis, & 3. p.

8 initio, Comen. 1. 2. & 3. Vbi proponitur forma requirendi hoc Iuramentum, & prædictarum literarum protectricium, seu saluaguardiæ, vt vocat ipse Eymer. more Hispano; qui specificat quoad Iuramentum, quod præstari debe[at] tactis sacris Euangelijs, & genibus flexis.

9 Sed heu hodie, nec flexis genibus, neque st[an]do, nec alio modo vsquam, quod sciam, præst[a]tur: cuius omissionis duplicem originem as[si]gnant citati Peña, & Farin. videlicet ex negligentia Episcoporum, & Inquisitorum, vel e[x] interpretatione prædictarum legum præscr[i]bentium hoc iuramentum, vt interpretatu[r] Hostiensis in dicto §. moneantur, num. 10. quo[d] sit præstandum in solis terris, seu prouincijs

10 vbi fama est, hæreticos habitare. Sed hanc interpretationem adeo latam non admittunt ali[j], vt Card. Zabbarell. circa idem, § moneantur, num. 1. vbi ait præstandum esse in quibuscumque locis, etiam non suspectis de hæresi; cum textus generaliter, & absolute in illis canonibus, & legibus loquantur.

11 Mea quidem sententia obseruari debe[t] semper hoc de dicto Iuramento præstando, [sal]tem quoties de nouo in aliquo loco Tribun[al] sanctæ Inquisitionis erigitur, vti obseruatu[m] fuit in erectione huius nostri Tribunalis Melitensis, iuxta tradita a nobis Prolegomeno XIII. a num. 5. cum ex vi literarum sacræ Congregationis Reuerendissimus Dominus Episco[pus] Cubelles Inquisitor Delegatus Sedis Ap[osto]licæ in istis Insulis fuit institutus: Qui in [pu]blicatione earum a multis, præcipue ab Ill[us]trissimo Magno Magistro Valletta illud ex[e]git. Sequentes autem Inquisitores vsque a[d] præsens tempus de eo exigendo, quod sciam, non curarunt: sicut nec econtra consueuerun[t] se præsentare coram vllo Superiore seculari, aut Ecclesiastico, ad faciendam fidem de sua

12 commissione. Stylus sic habet, eodem die, quo huc peruenit, vrbanitatis gratia visitat Eminentissimum Magnum Magistrum nouus Inquisitor, & ei porrigit Breue Pontificium, quo paucis verbis, & notitia de aduentu, & commendatio personæ ipsius Inquisitoris tan-

13 tum continetur. Aliud autem Breue, vbi munus, seu commissio eius Apostolica multis extenditur, nequaquam vllo modo ostendit.

Nouo Inquisitori creatio Notarij, aut confirma[tio] iam antea creati quomodo expediens?

REGVLA XXXIV.

14 INquisitor quicumque nouus, vt Tribuna[l] sanctæ Inquisitionis erigere, aut iam erect[um] promouere incipiat, ad omnia iuridice peragenda, & instrumentis authenticis perpetuo firmanda, potest, & debet quamprimum eligere vnum, vel plures Notarios ex his, qui Notariatus Officium exercuerunt, aut iam electos ab antecessore confirmare (quod expedientius) ex quouis statu seculares laicos, aut Clericos, etiam Sacerdotes, vel Religiosos quosuis, ipsosque ad tale Officium exercendum, etiamsi noluerint, sub excommunicatione &c. compellere.

15 EXpendit hoc de potestate Inquisitorum creandi Notarios, seu Tabelliones Eymericus 3. p. direc. quæst. 18. & resoluit negatiue quæ

quæ resolutio prima fronte falsa apparet, sed bene ipsum a falsitate purgat Peña Commen. 67. quia in cap. vt Officium, §. verum, de hæreticis in 6. & in rescrip. Vrbani IV. incip. *licet ex omnibus*, §. ad conscribendas, si bene perpendantur, tantum concedebatur eis, vt possent constringere illos, qui iam Notarij erant, etiamsi Religionem ingressi, & professi fuissent, reassumere pro sancto Officio Notariatus munus: item concedebatur, non habita copia Notariorum, vt possent assumere duos viros idoneos ad conscribēda sanctæ Inquisitionis acta. Neque erat aliud ius tempore Eymerici, quod creandi nouos Notarios Inquisitoribus facultatem tribueret. Prodijt tamen postea Constitutio Pij IV. incip. *Pastoralis Officij cura*, in qua eis hæc amplissime conceditur: Imo in rescriptis particularibus, quibus noui Inquisitores constituuntur, eadem concessio creandi Notarios exprimitur, vt vidimus in illo D. Petri Duzzinæ, & in literis sacræ Congregationis Vrbis, quibus D. Cubelles Inquisitor fuit constitutus.

Optime notat ibidem Peña ex Campegio apud Zanchinum cap. 9. vers. Adde rursus, non eo ipso aliquem siue Religiosum, siue secularem Notarium eligi, aut de nouo institui, quod ab Inquisitore ad acta sancti Officij scribenda applicetur, sed requiri, vt eius electio, vel institutio fiat coram alio Notario, & testibus, tradaturque ei atramentum cum calamo, & seruatis alijs ceremonijs solitis, atque de obseruatione omnium per instrumentum authenticum dicti Notarij assistentis constet.

Quænam conditiones in Notario eligendo requisitæ? & qualiter statim post electionem iurare debeat?

REGVLA XXXV.

IN Notario sancti Officij eligendo, præter alia in quouis Ministro requisita, de quibus supra ex parte dictum, & postea amplius dicetur; duo maxime opportuna, primo vt si fieri potest, sit iam practicus in exercendo munere Notariatus pro alijs Tribunalibus, & opportunius, si ex practicis pro isto sanctæ Inquisitionis. Item adeo bonæ famæ, & morigerus, vt dubitari nequeat de eius fidelitate: vnde de obseruatione huius, & secreti, & aliorum ad suum munus spectantium emittere statim iuramentum debet.

TOtam huius regulæ doctrinam colligo ex traditis per Simancam de Catholic. instit. tit. 41. num. 7. 8. & 9. per Campegium, & Peñam adductos, & per Farin. cum alijs multis ab eo citatis quæst. 185. a num. 10. Quoad fidelitatem Notarij sancti Officij in suo munere exercendo, & emissionem iuramenti simul, patet ex Clem. 1. §. Porro de hæreticis, ibi: *Notarij quoque Inquisitionis coram Episcopo, & Inquisitore, vel substitutis ab eis iurabunt suum Officium fideliter exercere*. Et quidem si a quouis Notraio pro quolibet Tribunali, vel pro regimine Reip. in eius creatione hoc de fidelitate ipsum creans sub iuramento exigere semper solet, dicens eidem: *Esto Notarius, & fidelis* (quæ est vna ex ceremonijs in tali creatione seruari consuetis) quanto magis exigendum ab eo, qui creatur pro regimine, seu pro Tribunali tanto maioris excellentiæ, & necessitatis, defensionis scilicet Fidei Catholicæ contra hæreticos.

21 Addendum item id, quod ad omnino conuincendum hactenus probatum etiam inseruit, nempe, si Notarius sub dicto iuramento pro vno regimine, vel Tribunali creatus, ad aliud Tribunal, vel regimen eligatur, aut applicetur, non teneri iterum iurare, secus est, si pro Tribunali sanctæ Inquisitionis sit electus, seu applicatus. Constat ex dicto §. Porro. Clem. 1. de hæreticis, de hac enim iteratione iuramenti ibi est expressus sermo, & tradit Ioann. Rojas singul. 141. cum Glos. in eodem §. Porro, verb. *iurabunt*. vbi supponit tex. opportunum valde (quod in Notario sancti Officij ait Regula præsens requiri) vt scilicet eligatur ex iã creatis, & practicis in munere Notariatus pro alijs Tribunalibus, & multo opportunius, si ex practicis pro isto sanctæ Inquisitionis, quo enim maiori notitia rerum, & modi procedẽdi huius scripturarum item, ac processuum, qui in Archiuo asseruantur, præditus fuerit, eo conuenientius, & fructuosius munus suũ exercebit, atq; eo maius lumen nouis Inquisitoribus præferet.

22 Hinc infero expediens valde esse id, quod attigi præcedenti regula, vt Inquisitor ad promouendum Tribunal sanctæ Inquisitionis iam alicubi erectum accedens, confirmet Notarium denuo a suis antecessoribus electum, & confirmatum, nec de eo auferendo, & creando alio nouo deliberet, nisi ex valde vrgenti causa propter rationem dictam. Vnde merito propter eandem sublatum est hoc, quod in nostro Tribunali Melitensi fuerat iam vsu receptum, vt vnusquisq; nouus Inquisitor nouum etiam Notarium secum adduceret; inconueniens enim maximum, quod inde sequebatur experientia ipsa constitit; cum igitur Inquisitor, & Notarius scripturarum, & causarum præcedentium, ac veterum, quibus nouæ sæpius sunt connexæ, vel non legitime istæ expediri poterant, vel non nisi maxima cum difficultate.

Promotor fiscalis qualiter à nouo Inquisitore eligendus, vel confirmandus? quodnam eius Officium?

REGVLA XXXVI.

23 AD complementum erectionis noui Tribunalis sancti Officij, vel ad promotionẽ iam prius erecti, omnino expedit, vt nouus Inquisitor quamprimum instituat Promotorem fiscalem, aut iam ab antecessoribus electum, & confirmatum, denuo confirmet: qui in manibus ipsius Inquisitoris, aut substituti ab eo iurare

rare illi debet de exercendo fideliter munus suum, quod præcipue consistit in supplendo vices accusatoris.

---

24 DOcent Simancas Cath. instit. tit. 53. num. 3. & 4. Ludou. Paramus lib. 3. de ord. Iudic. sancti Officij, quæst. 9. Farin. cum alijs ab eo relatis quæst. 185. num. 40. Quoad primum compleri scilicet erectionem huius Tribunalis per creationem Fiscalis, ac proinde statim esse creandum, quod incidit cum vltimo de supplendo vices accusatoris, fundatissimo discursu ex doctrina communi prædictorum auctorum, & aliorum sic ostenditur; quia attento quouis iure omne iudicium, seu causa iudicialis tribus ad minus personis constare debet, nempe Iudice, Reo, & Actore, seu accusatore, si causa sit criminalis (additur quarta Notarius scilicet, vt authentico instrumento de actione constet) cumque sæpius deessent accusatores, etiamsi crimina publice grassarētur, quod nollent homines accusare ob timorem pœnæ talionis, si in probando crimine deficerent, vel ob alias causas, atque hinc grauissima damna
25 Reipub dimanarent. Opportune prouisum fuit a iure, vt pro quibuscumque Tribunalibus institueretur quidam minister, vocatus fiscalis, aut Promotor fiscalis, vel Aduocatus fi-
26 scalis, qui vices accusatoris suppleat. Hic autem in Tribunali sanctæ Inquisitionis adeo occupauit locum, vt quamuis alia Tribunalia, adhuc a particularibus personis, quoties accusare volunt, accusationes recipere soleant, hoc tamen sanctum Tribunal a solo Fiscali eas recipit, de quo plenius infra, & de modo accusandi, ergo statim eligendus.

27 Quoad aliud de emissione iuramenti exercendi legitime munus suum innotescit ex eadem Clem. 1. §. Porro, pe hæreticis, ibi, & idem fiet de alijs personis necessarijs ad prædictum Officium exequendum: pronomen *idem*, refertur ad iuramentum a Notario emittendum, de quo in Tex. immediate antea, & a nobis Regula præcedenti: perpendenda item particula *necessarijs*, & ex ea deducendum efficax argumentum a minori necessitate ad maiorem, cum tanta sit personæ fiscalis, vt sine hoc sanctæ Inquisitionis Tribunal nullatenus consistere possit.

Quibus virtutibus, & Conditionibus Promo[tor] fiscalis præditus esse debet?

REGVLA XXXVII.

28 PRomotor fiscalis Sancti Officij, vt vic[es] accusatoris legitimè suppleat; & reliq[ua] muneris sui completè, vt ius postulat, exequ[a]tur, debet esse vir probus, diligens, industr[i]us, atque V. I. D. excellentissimus, præ[ter] virtutes fidelitatis, & secreti, quæ in quo[uis] eius ministro requiruntur.

---

29 ITa ijdem Doctores proxime citati, Sim[an]cas ibidem num. 1. *Eligendus est*, inq[uit] *Vir probus, diligens, industrius. & Iurisp[eritus]* Ludouicus Paramus circa eius excellenti[am] in iurisperitia, ita loco citato, num. 37. *[Vt] sciat*, inquit, *suam intentionem Exacte insti[tu]ere, oportat illam esse iurisperitum:* & paulo p[ost] num. 40. ita efficacius ex iure, *Si vero*, inqu[it] *Promotor fiscalis Iuris Pōtificij, & Cæsarei p[er]fectam cognitionem obtinuerit facile, recte, iuridice apud Inquisitores officium suum ex[ercebit]* net, l. sciendum, §. 1. & l. Paulus, 1. & Bart. ff. de legat. circa probitatem, item d[ili]gentiam, & industriam prosequitur idem [Pa]ramus num. 41. *Opportet, inquit, illum probum, diligentem & industrium, vt cognos[cat] quando, & quomodo possit accusationem pro[po]nere, & causam prosequi, &c.*

30 IN custodiendis scripturis sancti Offi[cij] præcipue fidelitas Promotoris fiscalis [re]poscitur, ex mente Iacobi Simancæ tit 41. [num.] 9. qui hanc curam ipsi simul, & Notario co[m]mittit per hæc verba, *scripta*, inquit, *San[ctæ] Inquisitionis sub tribus clauibus custodien[da] sunt: quas promotor fiscalis, & Notarij ser[uare] tenentur, neque legi, aut ostendi vnquam deb[ent] nisi coram alijs omnibus, &c.* Verum circ[a] hoc attendendus stylus cuiusque Tribuna[lis] Sanctæ Inquisitionis, & crederem id arb[i]trio Inquisitoris relinqui. De secreto ser[uan]do agetur capite sequenti simul cum alijs m[i]nistris Sancti Officij.

CAPVT V.

De instituenda, aut confirmanda ab Inquisitore Sacra Congregatione Sancti Officij, creatis scilicet, vel confirmatis alijs officialibus, Assessore, Qualificatoribus, Consultoribus, Aduocato Pauperum, ac reliquis ministris, & familiaribus.

PROOEMIOLVM.

1 ERecto Tribunali Sancti Officij, declaratisque officialibus semper ad ipsius executionem simpliciter, & omnino necessarijs; sequitur vertat oculos nouus Inquisitor, & nos cum ipso ad alio[s] ministros, in titulo expressos, maxime ad eos, ex quibus Sacra Congregatio componitur, non ita sim-

plici-

citer, & absolutè ad eandem executionem necessarios; sed aliquo modo ipsi cooperantes. Vnde hic singulorum cooperationes, & qualitates singulis ferè Regulis indicabimus.

Eligendus ne etiam Assessor ab Inquisitore? ac qualis, & ad quid?

REGVLA XXXVIII.

Vxta cõsuetudinem aliquorum Tribunaliũ sancti Officij eligẽdus est Assessor, aut confirmandus iam prius electus, qui sit coadiutor Inquisitoris in recipiendis denuntiationibus, examinandis testibus, in formando processu, in alijs similibus; quique in congregatione, ut alij Consultores, votum ferat. Vnde esse debet insignis V.I.D.& in rebus sancti Officij valde practicus, præter virtutes paulo ante in Aduocato fiscali expressas.

IN iure præcipuè ciuili adeo copiosè de Officio Assessoris agitur, vt extent circa eius munus tituli integri ff.de off.Asses.&C.de Assessor. frequenterque assignantur Assessores in ibusuis Tribunalibus, tam ecclesiasticis, quã secularibus ad supplendum quandoque inscitiam, quandoq; laborem iudicum, seu vt sint quasi Iudices. Vnde ait Roias de hæret p.1.nu. 6. cum Domin cap. statutum, num. 33. de rescript. in 6. & Lapo per hunc citato, *si causa sit mere canonica, & spiritualis, & assessor mere legista, hic poterit recusari*.

Cæterum in Tribunali sanctæ Inquisitionis vix vllus est vsus huius ministri, præcipuè in Regnis Hispaniæ, & in hoc propinquo Regni Siciliæ vix vlla mentio de Assessoribus, imo illorum nomen inauditum, aut saltem confusum cum eo Consultorum, quasi sint idem, vt confundit, seu coniungit Simancas dic. tit. 41. num. 11. per hæc verba: *Assessores periti, quos Consultores nominare solemus, ab Inquisitoribus conuocandi sunt, vt in causis fidei consilium eis præbeant, &c.*

Nihilominus in Tribunali sacræ Congregationis pro causis fidei Vrbis Officium Assessoris magnæ æstimationis habetur, vt omnino distinctum ab Officio Consultoris, cum multo maiori facultate, & extensione in vsu causarum fidei, quam illud, nempe circa omnia in hac Regula per nos expressa, & circa alia. Vnde minor Farin. cuius residentia, quasi iugiter fuit in Curia Romana, cum perspectum in d. Tribunali Vrbis munus Assessoris sine dubio habuerit, haud vllum de eo in suo tractatu de hæresi verbum protulisse, quod apud ipsum inuenire potuerim. In nostro item Tribunali sanctæ Inquisitionis Melitensi similiter Officium Assessoris longe diuersum est ab Officio Consultorũ, ac multo plures functiones complectitur, quod experientia ipsa quotidiana nobis Consultoribus, & alijs clarè innotescit, nempe expressas in Regula.

Solent autem eligi in Assessores, vt in plurimum insigniores ex his, qui iam per aliquod tempus in ipso Tribunali sancti Officij munus Fiscalis, aut Consultoris, aut Pauperum aduocati exercuerunt: hincque fit, vt ad Assessoratum accedant cum notitia, & praxi sufficienti negotiorum sanctæ Inquisitionis; & consequẽter iam apparet, quod debeat esse excellentissi-

8 mus V.I.D. Electio Assessoris in Tribunali Vrbis crederem, quod fiat ab Eminentissimis DD. Card. cum approbatione Summi Pontificis: Electionem vero Assessoris pro nostro Tribunali Melitensi, sicut & Promotoris fiscalis sacra Congregatio sancti Officij Vrbis sibi reseruauit, vt alibi diximus.

Quid de eligendis Qualificatoribus Doctrina Theologica præstantibus.

REGVLA XXXIX.

9 IN Tribunalibus sancti Officij Hispaniarum Lusitaniæ, Siciliæ, & reliquis in quouis Dominio Regis Catholici erectis, vbi vt in plurimum Inquisitores non sunt Theologi, sed mere Iurisperiti, assignari solent ab eis diuersi viri in Theologica facultate adeo insignes, vt eam iã publice professi fuerint, vel ad profitẽdũ ipsã habiles habeantur, qui tantum Qualificatoris munus exerceant, seu dictis, vel factis in causis fidei qualificationem, siue censuram tribuãt

10 CIrca hanc optime Ioannes Roias vbi supra num. 384. per sequentia verba, *in exponendis*, inquit, *verbis dubijs, agnoscendisq; factis, vel dictis suspectis, vel hæreticis periti Sacræ Theologiæ professores vocãdi, qui vulgo Qualificatores nuncupantur, quorum assertionibus omnimodam Inquisitores adhibeant fidem*, l. septimo mense ff. de stat. hom. l. semel, C. de remilit. cap. causam matrimonij, cap. proposuisti, de probat. & statim idẽ Roias nu. 385. *Nam cuilibet*, inquit, *experto, & perito in arte sua credendum est*, Bart. in procemio ff. vet. §. 1. nu. 8. plene Angel. in l si vacan. C. de bon. vacan. lib. 10. hactenus dictus Roias, apud quem plura inuenies, quibus nihil opportunius, & satis superque ad probationem rei præsentis.

11 Vnde nota nihil mirum si in prædictis Tribunalibus Hispanicis duplex fuerit institutum munus, Theologi scilicet Qualificatoris, & Consultoris, re ipsa quoad praxim vnũ ab alio omnino separatũ. In toto enim negotio sanctæ Inquisitionis hoc solum caput qualificandi propositiones, vel censurã dictis, aut factis, pro causis fidei tribuendi, tãti ponderis, ac momẽti habetur, vt nullum certo ei adæquari posse videatur. Vnde merito proinde nos huic primo libro nostri operis titulũ indidimus de Cõsultore Theologo, seu de Regulis multiplicibus pro eo formãdo, quoad qualificationem in dictis, vel factis &c. sine distinctione vtriusque muneris, cũ tam in eisdem Tribunalibus Hispaniæ, quam in alijs totius Christianitatis cuncta spectãtia ad Qualificatorem, per Consultorem Theologum suppleantur, & alia plura ab hoc pro expeditione causarum fidei executioni mandentur. † Quare multo maioris æstimationis, & honorificentiæ censetur titulus hic Cõsultoris, quam ille, Qualificato-

lificat oris; cum soleant, qui per aliquot annos in munere qualificandi versati sunt ad altiorẽ gradum consulendi promoueri. De materia tãdem, seu de casibus in quibus qualificatio locũ habet, & de modo, tempore, & loco eam tribuendi conuenientius infra in epxlicatione edicti sanctæ Inquisitionis dicetur.

Congregatio ex Theologis, & Iurisperitis instituenda ne ab Inquisitore, vel confirmanda, etiam cum coactione ipsorum?

REGVLA XL.

13 Coadunanda est, vel confirmanda a nouo Inquisitore Congregatio ex Consultoribus viris lectissimis, vtraque facultate sacræ Theologiæ, & Iurisperitiæ valde præexcellentibus, quorum consilio, & directione in causis fidei tractandis, & expediendis, quoad omnia capita qualificationis, carcerationis, intentionis, quæstionis, abiurationis, & punitionis, atque his annexa, vbi opus fuerit, iuuari possit, ad hocque iuuamen præstandum compellendi, si forte ipsũ præstare noluerint.

14 De his Consultoribus, seu assessoribus, vt appellat Simancas vbi supra, & alijs conuocandis, siue congregandis, etiam sub præcepto, si opus fuerit, ad hunc effectum præstandi consilium Inquisitori extat textus expressus in cap. vt commissi de hæreticis, in 6. ibi. *Aduocandi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ve nobis assistant, & in huiusmodi sententijs præbeant consilium opportunum, ac eis quod super his nobis humiliter pareant, in virtute obedientiæ iniungendi,* vbi cum glos. in figuratione casus, multi canonistæ, quos citat, & sequitur Farin. q. 185. num. 188. vt Archidiach. num. 5. & Ioann. Andreas num. 2. verb. peritos, extat etiam textus in cap. statuta quædam, §. iubemus, eodem titulo de hæreticis in 6. adducendus à nobis Regula sequenti n. confirmat idem constitutio Alexand. IV. incip. *Cupientes*, quam in fine Direc. adducit Franc. Peña, qui cum Eymerico p. 3. q. 77. hoc copiose docet, specificat autem esse vocandos consultores præcipue Theologos, vbi Inquisitores sunt iurisperiti, vt in Hispania; sed de vocandis etiam tunc Canonistis, ac Legistis affirmat bene Ioann. Roias p. 1. de hæreticis, numer. 404. *quamuis ipse Inquisitor sit insignis iurisperitus*, & addit *posse vocari laicos coniugatos, dummodo sint honesti, prouidi, & probatæ vitæ, vt periculum corruptionis tollatur.*

Simancas de Catholic. inst. tit. 41. n. 13. Zanch. tract. de hæreticis cap. 15. num. 3. Decian. trac. crimin. lib. 5. cap. 24. num. 10. & alij optime docent non excusari prędictos consultores ab accessu ad congre ationem, & ab obedientia Inquisitoris, eo quod consilium gratis tribuere debeant, nec possint salarium vllum exigere; quia omnes Christiani negotium fidei defendere, & procurare tenentur. Vnde possunt cogi ab Inquisitore ad dictum cõsilium præstandum, quod tradunt Eymericus 3. p. Direc. q. 77. & ibi Peña, citatis alios concordes circa

16 Com. 126. Quamquam idem Doctores re[...] addunt licitum esse consultoribus salariu[...] accipere, si Inquisitor sponte ex sua proui[...] discretione ipsum eis afferat, ita adductus [...] rin. p. læsæ num. 190.

17 Illa denique sex capita præcipua in hac R[...] gula proposita, circa quæ viri docti in con[...] tationem vocantur, iam in præfatione to[...] operis aliqualiter exposuimus, & bipart[...] æqualiter inter Theologum, & iurisperitu[...] ostendimus, coposiusque infra suis locis exp[...] cabuntur.

An teneatur Inquisitor sequi Consilium Con[...] rum? aut saltem ab eis ipsum petere?

REGVLA XLI.

18 Auditis Consultoribus in Congrega[...] ne, quod teneatur Inquisitor in exp[...] tione causarum, & sententia ferenda ipso[...] consilium sequi, non caret probabilitate: [...] tamen probabilius est ad hoc nequaquam [...] gatio semper eum astringit dictum consili[...] ab ipsis petendi, maxime in causis arduis.

19 Nulla expressa in iure de hac re de[...] reperitur; ac proinde, cum sit ex se [...] ficilis, valde circa ipsam controuertunt Do[...] res, suntque inter se diuisi. Primam parte[...] Regulæ mordicus tenet Arnal. Arbertinus Agnos. asser. q. 26. num. 11. & 12. funda[...] præcipue in textu ex cap. statuta quædam, [...] iubemus de hæreticis in 6. ibi de ipsorum (id[...] iurisperitorum, qui antea expressi) consi[...] ad sententiam, vel condemnationem proced[...] volumus: magnam vim facit Albertinus in par[...] ticula *de Consilio*, quod hæc, vbicumque in [...] apponitur, denotet causam proximam, & ma[...] terialem, & de sui natura augentem, l. 1. ff. de [...] positi, & cap. Episcopus 35. dist. adeo vt nec[...] sario sit consilium petendum, & obseruand[...] in agendo alioquin actus erit nullus, seu in[...] dus; secus vero de particula *cum Consilio* [...] cundum Bart. cum alijs ad l. 1. §. si plures, [...]

20 mer. 4. ff. de exert act. Item fundatur, qu[...] vbi in iure præcipitur aliquid fieri de consi[...] alicuius, hic censetur esse electus, ad id facie[...] dum, cap. fin. de off. Delegat. l. inter artific[...] ff. de solut. hanc etiam partem tenere vide[...] tur Eymericus 3. p. direc. q. 78. & 79. ex [...] eiusdem textus cap. statuta, §. iubemus, qu[...] ibi iniungatur Inquisitoribus, vt integrali[...] ostendant processum dictis consultoribus [...] præbendum fundatum consilium, quod ipsi [...] cuturi sunt, hancque esse sententiam Eymeric[...] quod Consultores habeant votum decisiuum [...] in causis fidei affirmat eius Commentator Pe[...] ña citandus, est etiam sententia Archid. in [...] cap. vt commiss. de hæreticis in 6. verbo con[...] & aliorum quos refert, sed non sequitur Farin[...]

21 q. 185. num. 192. In Lusitania certum e[...] Consultores seu Deputatos habere decisiuum iuxta Ant. Sousam in suis Aphorismis lib. [...] cap. 1. num. 14.

22 Oppo-

Oppositum autem firmius tuentur dictus Penna Commentar. 122. & ipse Farinac. cum iuribus pro hac parte ab eo adductis. Ratio est quia apud Consultores nulla residet iurisdictio ordinaria, aut delegata, sed plane apud Inquisitorem, Bartolus in lege prima ff. de off. assess. & Decius in cap. si pro debilitate de off. delegat. ergo illorum Consilium, seu suffragium non est decisiuum. Item quia Consilium non reputatur de essentia actus, vt super leg. finalem, §. necessitate, C. de bonis quæ liberis, tenent Doctores, vt Bald. num. 14. quæ ratio destruit secundam oppositæ sententiæ. Interpretatio autem illarum particularum, de consilio, & cum consilio, nullo modo vrget, cum non habeat firmum fundamentum in iure, & potest dici, quod sit libere inuenta.

Nec obstat textus in dicto §. iubemus, cum ex eo ad summum deducatur, quod teneantur Inquisitores petere consilium a Consultoribus, non vero ipsum sequi: imo hæc petitio moderatur in capitulo vt commissi, de hæreticis in 6. ibi, *aduocandi quoque prout expedierit, peritos quoslibet, vt vobis præbeant consilium opportunum:* cum particula valde moderata, *prout expedierit*, atq; ob id in fine Regulæ dixi maxime in causis arduis. Adderem tunc etiam in non ita arduis, quando Inquisitor de nouo accedit ad regimen Tribunalis sancti Officij, & est vnus solus; nam licet excellat in facultate Theologiæ, aut iurisperitiæ, cum dictum officium habeat peculiarem stylum, & modum procedendi, particulares etiam terminos locutionis, qui ipso vsu addiscuntur, fere in omnibus saltem per aliquot menses adiutorio & consilio nouus Inquisitor indiget. Vbi autem sunt plures simul Inquisitores, vt in Tribunalibus Hispaniæ, antiqui supplent defectus recentiorum

Vtrum assignandus ab Inquisitore Aduocatus, & qualis pro defensione Reorum? an etiam Procurator?

REGVLA XLII.

Eligendus est etiam a nouo Inquisitore, vel confirmandus iam prius electus alius minister nomine Aduocatus, qui in dicta Congregatione, & extra eam defensionem Reorum suscipiat, vbi est locus defensionis: hic oportet sit V. I. D. vir probus, ac fidei zelator. Præter Aduocatum autem raro concedendus est Procurator alicui ex reis denuntiatis.

27 Tametsi Farinaceus quæstione 197. num. 54. regulam vniuersalem negatiuam proponat, ostendatq; in hoc differre Tribunal sanctæ Inquisitionis a reliquis Tribunalibus, quod in his semper Aduocati concedantur Reis, & dilatio ad hos quærendos ex lege prima §. ait prætor ff. de postulat. secus vero in illo ex textu in cap. statuta quædam, de hæreticis in 6. ibi, *& absq; Aduocatorum etc.* qui textus intelligendus est, sicuti intelligit ipsemet Farinac. numero 75. cum limitatione, nempe casu, quo iam constat de hæresi, vel Apostasia inquisiti, vel per propriam eius confessionem, vel per alias legitimas probatio-
28 nes: dum tamen de delicto est dubium, & inquisitus illud negat, semper ei conceditur Aduocatus, qui ad eius defensionem pariter crimen negare potest; ita plures relati ab eodem Farinac. præcipue Simancas Cathol. institut. titulo 5. num. 2. vbi etiam ei non petenti esse dandum affirmat, quando post trinam monitionem adhuc crimen negat; idem asserit titulo 43. numero 22. & Roias singul. 53. numero 2. ne absq; defensione pereat.

29 Exprimit bene Eymericus virtutes, & qualitates requisitas in dicto Aduocato tertia parte titulo de defensionibus reorum, numero 117. ibi, *et sic concedetur sibi Aduocatus, probus tamen, et de legalitate non suspectus, vir V. I. Peritus, et Fidei zelator, et procurator pari*
30 *forma:* hactenus ille. Verum id, quod addit de procuratore, quod etiam Simancas Cathol. institut. titulo 52. & alij tuentur, & sine dubio concedi posset; *raro tamen id fiat*, inquit Anton. Sousa libro 2. Aphor. capitulo 31. num. 3 *Aduocatus enim sufficit, ac etiam Inquisitores, qui ex officio reum defendere tenentur*; ita ibi Sousa, & pari modo Penna commentar. 28. versu, ac quantum, & adducit instructionem Madrilianam prohibētem expresse dari inquisitis de hæresi procuratorem, ibi, *dari non debent, quia experientia docuit multa incommo-*
31 *da inde solere prouenire etc.* Concludit tandem Penna seruandam circa hoc cuiusque Tribunalis consuetudinem.

In Causa fidei contra minorem 25. annorum præter Aduocatum, assignandus ne ei Curator?

REGVLA XLIII.

32 QVoties denunciatus de hæresi, vel Apostasia fuerit minor 25. annorum, prius quam Promotor Fiscalis cōtra eum procedere incipiat, præter Aduocatum assignandus est etiam ipsi Curator, si non excesserit annos pubertatis, qui circa causam fidei, prout de iure potuerit, eiusdem curam habeat: quicquid sit de vsu alicuius Tribunalis, nullatenus id obseruantis.

33 MAgna est difficultas, & controuersia inter Doctores circa Curatorem dandum minoribus; non enim desunt, qui eodem modo de hoc, atq; de procuratore sentiant. Cæterum plures auctores, & melioris notæ partem affirmantem optime tuentur, præcipue Farin. crim. quæstionum 81. 9. cap. 10. numero 352. Sousa vbi supra capitulo 32. numero 3. & Penna in direc. tertia parte commentar. 28. vbi in comprobationẽ adducit instructionem Madrilianam de anno 1561. capitulo 25. ibi, *si reus fuerit minor 25. annis, dabitur curator, cuius auctoritate ratificet &c. confessiones suas; sed curator non sit ex officialibus sancti Officij, & potest esse Aduocatus eius, vel qualibet alia persona grauis, fidelis, & bonæ conscientiæ*, hacte-
34 nus instructio illa. Ex quibus probabiliter deduci videtur, quod idem possit, & Aduocati, & Curatoris vices gerere, sicque in hoc nostro Tribunali Melitensi aliquando obseruatum, & forte in aliquibus alijs pari modo.

35 Cæterum quidquid sit de identitate personæ pro eodem munere, quod non omnino reprobo, iidem Doctores, præcipue Penna, & Sousa vere affirmant, si quid cum minoribus gestum sit absq; auctoritate Curatorum, id ipso iure irritum esse, & nullum, lege clarum C. de auctor. præstan. Matthæus de Affict. decis. 208. incip. minor adultus. Alexan. consil. 115. & Anton. Gomez tom. tertio de delic. capitulo primo numero 64. ergo dandi sunt eis Curatores, etiamsi non petant, nec curent.

36 Vltimo loco aduertendum, quod quamuis attento iure communi illi dicantur minores, qui 25. annos ætatis non compleuerunt, secundum tamen leges Regni Siculi, quæ etiam in hac Insula Melitensi obseruantur, habendi sint minores nondum 18. annos completos nati.

Quid de electione Depositarij, & Capitanei ab Inquisitore facienda?

REGVLA XLIV.

37 AD erectionem item Tribunalis sancti Officij, vel ad promotionem iam prius erecti, eligendi sunt, vel confirmandi, qui alias electi, a nouo Inquisitore duo alij ministri, nempe Depositarius, seu Thesaurarius, & Capitaneus, siue præcipuus sententiarum eius executor.

---

38 HAec vix vlla indiget probatione, sed breui tantum cuiuscunque partis seu terminorum declaratione, quam tibi exhibeo maxime cum Simanca Cathol. institut. titulo 41. vbi de singulis aliquid attingit. Primo de depositario, qui etiam Thesaurarius vocari solet, quia recipit, & conseruat redditus, ac bona temporalia Tribunalis, quæcumque vndecumque illa habeat, vt salaria Inquisitoribus & alijs ministris, quibus dari consueuerunt, inde soluat atque ex præscripto Inquisitoris in alia Tribunali necessaria impendat. Hinc Simancas ipsum appellat *Receptorem*, eodem loco numero 33. de quantitate salarij vnicuique tribuenda in Tribunalibus Hispa-
39 niæ, ibi, *totidem Receptori*: & paulo post: *Quæ salaria possunt augeri arbitrio Generalis Inquisitoris, & soluenda sunt a Receptore temporibus præfinitis: qui si secus fecerit, priuari poterit ab ipsis Inquisitoribus officio; instruc. 4. Tolet. capitulo 2. & instruc. 3. Vald. capitulo 13.* hactenus Simancas; qui etiam titulo 36. ita salaria illis (*nempe absentibus absque licentia, vel vltra tempus licentiæ*) *non soluantur a Receptore, nisi libro absentorum per ipsum inspecto.*

40 Item de Capitaneo, qui vulgo Hispanice Aguasil maior, cuius munus magnæ honorificentiæ habetur, & viro nobili, vt in pluribus committitur: hic præ cæteris erectionem Tribunalis sancti Officij, & huius iustitiæ executionem repræsentat virga oblonga sub manu erecta fere semper incedens. Vnde bene Simancas dicto titulo 41. cum appellat executorem, ibi, executori sexaginta, scilicet millia nummorum æreorum, vulgo ispanice Marauidis, pro eius salario: quæ appellatio executoris valde quadrat ipsius muneri; cum proprium eius sit, adiuncta cooperatione officialium inferiorum, mandata Inquisitoris quoad capturam, & carcerationem reorum, quoad sententiam prolatam contra eos, & quoad reliqua occurrentia promptissime exequi.

Eligendi ne etiam ab Inquisitore familiares, & alij ministri?

REGVLA XLV.

41 TAndem pro complemento erectionis Tribunalis sancti Officij, aut promotionis iam prius erecti, creandi sunt a nouo Inquisitore, vel confirmandi per prædecessores alias creati, varij familiares, seu Crucesignati, qui ad varia ab illo iniungenda inseruiunt, ministri etiam magis inferiores, vt Carcerarij & nuntij.

---

42 QVoad familiares constat ex Clemen. Nolentes § Porro, de hæreticis, vbi deciditur posse Inquisitores habere armatam familiam, seu familiares ad defensionẽ suę personę, & domesticorũ suorũ & ad capiẽdos hæreticos, atq; ad alia promotioni Tribunalis sãcti Officij expediẽtia, vsusq; armorũ quacũq; lege prohibitorũ ad tales effectus diu, noctuq; ipsis sicut & alijs

quibusuis

his ministris eiusdem Tribunalis est concessus, ex textu expresso in Clementina secunda §. fin. de hæreticis: Dummodo non sit abusus in executione talis priuilegij, ita in eadem Clementina ibi: *Porro Inquisitoribus ipsis districtius inhibemus, vt nec abutantur quomodolibet concessione portationis armorum*, & pari modo in extrauagante Ioan. 22. incip. *Exigit vestri Ordinis*: tradit copiose Farinacius quæstione 182. a num. 89 vsque ad 94. cum Eymerico 3 p. Direc. q. 56. & ibi Penna Commentar. 105. & cum alijs.

Porro dicentur Inquisitores abuti concessione portationis armorum, quoties licentiam concedent deferēdi ea familiaribus, & ministris, non necessarijs, vt patet ex eadem Clemen. in fine de hæreticis. Quinam autem censeantur familiares necessarij, qui vero secus, vix posse videtur assignari regula certa, quæ inseruiat pro quibuscumque Tribunalibus. Vnde frustra ni fallor, laborat Simancas ibidem num. 17. in assignando numero eorum pro Tribunalibus Hispaniæ circa Ciuitates maiores, & minores, & circa Villas &c. Cum iuxta circumstantias temporum, locorum, & Magistratuum sint plures, vel pauciores assignandi, non quidem solo arbitrio Inquisitorum particularium, sed adhibito etiam Generalis Inquisitoris, aut Eminent. Cardinalium sancti Officij Vrbis, vt cautius circa hoc procedatur, & magnæ dissensiones inter Inquisitores Prouinciales, & Magistratus temporales hinc sæpius oriri solitæ occasione multitudinis eorum circa ipsos abscindantur.

Verum multo maiores non raro oriuntur, (quæ vix interposita etiam Regis, vel Principis auctoritate abscindi possunt post assignata haud semel concordata) ob competentiam Iurisdictionis temporalis in causis dictorum familiarium, & ministrorum sancti Officij: circa quod similiter nequaquam assignari valet Regula certa, & determinata pro omnibus Tribunalibus, quidquid asserat Simancas citatus, num. 18. affirmans *in criminalibus subesse familiares, & quosuis ministros sancti Officij iurisdictioni Inquisitorum* (exceptis aliquibus casibus ab ipso expressis) non verò in ciuilibus, & circa hęc agendum cum eis ac si familiares non essent, ex l. eo tempore ff. de milit. testam. nam licet in aliquibus Tribunalibus Castellæ ita se forte res habeat, in alijs Coronæ Aragoniæ a viris fide dignis audio aliter se habere, nempe quod præter casus aliquos exceptos, tam in ciuilibus, quam in criminalibus iurisdictioni Inquisitorum subijciantur. In Tribunali vero Regni Siciliæ valde circa hoc variatum est, vt apparet ex concordatis editis a Philippo II. anno 1580. & 1591. ac nuper a Philippo IV. anno 1633. quæ attente legi, & video etiam in ciuilibus circa aliquos casus esse Iudices Inquisitores suorum familiarium. De reliquis tandem Tribunalibus Italiæ, & aliarum Regionum nihil certi scio circa hoc iurisdictionis temporalis in causis familiarium, ac proinde omnino reticeo. Item nihil hic circa carcerarios, & nuntios in particulari exprimo; quia infra lib. 2. opportunius de eis dicetur.

50 Nota autem circa familiares huius nostri Tribunalis Melitensis, quod licet sint numero pauci, nempe viginti tantum pro omnibus istis Insulis ex decreto Sacræ Congregationis Vrbis, competentiam tamen Iurisdictionis circa ipsos Dominorum Inquisitorum esse admodum latam, nēpe in actiuis, & passiuis omnibus quoad criminalia, in actiuis vero tantum
51 quoad ciuilia. Nota etiam quod in diuersis, quæ de iure spectant ad Ordinarium diœcesanum, sunt Iudices Inquisitores dicti, & cognoscunt de confessione annuali, & de communione in Paschate suorū familiarium, & ministrorum; tribuunt item his monitoria pro causis occurrentibus reuelandi &c.

Quid de Iuramento a quibusuis ministris sanctæ Inquisitionis faciendo? & de probationibus præmittendis ante eorum electionem?

REGVLA XLVI.

52 Omnes ministri, seu officiales sanctę Inquisitionis præcedentibus Regulis expressi, & alij si qui sunt, ac eorum substituti ab Inquisitore, vel de eius licentia ab alio assignati, emittere debent solemne iuramentum exercendi fideliter munus suum, & celandi quæcumq; arcana sancti Officij; ad vtrumque autem conducet, si præmissis probationibus iuridicis, viri honesti, bonæ famæ, & Christiani antiqui, nullam ex Iudæis, vel Mauris, aut ex prosecutis in sancto Officio pro causa fidei originem ducentes eligantur.

53 De hoc Iuramento circa vtramque partem agit Simancas eodem titulo numero 30. & 31. & quoad primum de exercendo fideliter munus suum (quod etiam iurare solent quiuis Reipublicæ ministri) ostendit ex Clementina 1. §. porro, de hæreticis, & ex lege rem nouam C. de iudic. & ex lege iubemus 2. de erogat. milit. ann. & hæc probatio sufficit, cum res per se pareat. Pro secundi probatione de celando sancti Officij arcana, quod est magis proprium nostri Tribunalis sanctæ Inquisitionis, adducit idem Simancas instruction. Tolet. capitulo quarto, & testimonium Dominici Soti libro de ratione tegendi secretum, quæstione prima, & exornat, more suo, eruditione aliqua propositis exemplis, Persarum, & aliorum, qui in seruando secreto pro
54 bono Reipublicæ regimine excelluerunt. Vnde bene concludit si quis ex officialibus, aut familiaribus sanctæ Inquisitionis arcana eius prodere ausus fuerit, debere hunc statim priuari officio, & alijs pœnis pro criminis qualitate puniri.

55 Dixi in Regula, ac eorum substituti ab Inquisitore, vel de eius licentia ab alio

assignati, quia omnes ministri per se ipsos officijs inseruire debent, non autem per substitutos, cum eorum industria requiratur, & non substitutorum, ergo nullus minister sancti Officij potest pro libito aliquem sibi substituere, sed ex licentia superioris, & concurrente causa legitima, ita ibidem Simancas num. 35. ex Valedolit. instruc. cap. vlt. & est vtrique iuri conforme, l. nullus qui, C. de decur. & cap. vlt. §. 1 de officio delegati.

56 Quoad vltimum de eligendis ministris quibusuis, & familiaribus honestis, bonæ famæ, Christianis antiquis &c. iam aliquid supra expressimus *circa* aliquos eorum, nempe circa Commissarios: seu Vicarios Inquisitoris cum Penna in direct. 3. p. q. 14. cōmen. 63. vers. creabit vero, specificat item Farin. q. 186. num. 55. quod debeant esse pij, & Christiani antiqui, quæ qualitates pietatis, & antiquæ Christianitatis absq; radice, vel origine vlla Iudaismi, aut Mahumetismi, vel prosecutionis de hæresi, sūt pari modo requisitæ in omnibus, qui munus aliquod in Tribunali Sanctæ Inquisitionis exercent, ad ipsumque exercendum admitti nunquam deberent, nisi prius de prædictis qualitatibus per legitimas probationes omnino constaret.

57 Hoc autem adeo stricte in quibuslibet sāctæ Inquisitionis Tribunalibus Hispaniarum obseruatur, vt quatenus nobiles, etiamsi titulati, vt Comites, Barones &c. ad familiaritatem sancti Officij sint admittendi (hanc ipsi sæpius eo fine procurant, vt a iurisdictione Proregis, vel Magistratuum temporalium eximātur) dictas legitimas probationes illarum qualitatum pietatis, & veteris omnimodæ Christianitatis

58 proferre cogantur. Non possum non hic adducere exemplum dilectissimi Parentis, qui prolatis huiusmodi probationibus munus familiaris sancti Officij Valentini obtinuit, & per multos annos fideliter exercuit in negotijs non raro magni momenti & quod linguā

59 Arabicam calleret. Vnde cum ad ingressum meum in Societatem Iesu iuxta præscriptum Sixti V. (quod postea fuit reuocatum) strictissimæ probationis originis, legitimitatis &c. requirerentur, has Parentis amantissimi, & alias similes fratris mei Canonici, de quo Regula xxxj. nu. 72. P. Rectori Collegij Gandiensis exhibui, cum fide authentica, quod essem filius legitimus illius Ioannis Salelles, & frater huius Iacobi Salelles: quibus exhibitis, licet immeritus in hanc sanctissimam Religionem Societatis Iesu fui admissus 17. ætatis anno 1590. Incarnationis Dominicæ die quarta Octobris, ex quo fluxere iam quinquaginta anni, *& fere* sex menses quod Deo Opt. Maximo sit *gratia*, qui faxit, eo paracto, quod parum superest vitæ in eadem Societate perseuerans diem vltimum feliciter claudam, ac tandem beatitudinis æternæ metam pertingam.

CAPVT VI.

De publicatione Edicti Sanctæ Inquisitionis, iustitiæ scilicet, & gratiæ; deque huius concessione, vel secus, habita prius concione de Fide, vel de opposito eius, nempe hæresis damno &c.

PROOEMIOLVM.

1 Post erectum Tribunal sancti Officij, & institutam, vel confirmatam eius Congregationem ex Officialibus, & Consultoribus prædictis, quid sequitur attento executionis ordine a nouo Inquisitore præstandum? vt aliquem videlicet ipsorum Theologum, vel alium approbatum Concionatorem assignet, (nisi forte ipsemet Inquisitor concionari velit) qui coram vniuerso Populo in Ecclesia Maiori, voce si opus fuerit præcoris die festiua, congregato concionem habeat de Fide, vel de necessitate & obligatione defendendi eam, aut de damno per hæresim, vel Apostasiam Ecclesiæ Catholicæ illato, aut de simili materia: sicque disponantur Auditores ad audiendum, & obseruandum Edictum Sanctæ Inquisitionis.

Tametsi pro mea tenuitate vndequaq; haud idoneum D.D. noui Inquisitores me vnum ex Consultoribus Congregationis sancti Officij Melitensis ad id præstandum multoties assignarunt. Vnde varias conciones ad hunc finem composui; ex quibus operæpretium duxi aliquas hic apponere, non eodem idiomate Italico, quo ipsas publicè in Templo Sancti Laurentij habui, sed stylo concionatori in Latinum conuersas, quod conuenientius a iuris sapientissimis sic fuit iudicatum, vt fiant magis communes omnibus Christianitatis nationibus, & sint pro forma, & exemplari ad similes componendas, cuicumque qui in posterum eidem functioni publicandi edictum Sanctæ Inquisitionis assignabitur.

CONCIO PRIMA.

De publicatione edicti sanctæ Inquisitionis.

Sine fide autem impossibile est placere Deo. Ad Hebræos xj.

Suggestum hoc hodierna die. A. A. celeberrima stipatum frequentia nouus ego, ac publicus præco, non concionator ascendi, qui licet hoc mihi onus euulgandi edictum impositū ab Illustriss. viro, atq; in hoc genere Principe fuisse sentiam: tamen ne forte audaciæ, atq; arrogantiæ nota conuincar, si tantum mihi munus arrogem solum Apostolo Paulo diuini Spiritus Præconi concessum; optimum factu iudicaui tanti Præconis vocem, auctoritatemque veluti ducem sequi, atque a propositis ipsius verbis ne latum quidem vnguem hoc loco discedere. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*.

Idem gentium doctor suam hanc nobis sententiam cōfirmandam videtur assumere, fideique quam maximum eligere quasi inuictissimæ Heroinæ Trophæum: dum ait: *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*. Nam cum nihil fuerit communius in Philosophorum Licæis, nihil acceptius, aut euidentius Ethnicis Antiquorum ingenijs, quam illud, ex nihilo nihil fit, quænam victoria maior esse potest, quam ea, quam ipsa fides de tot, tamque validis eorum argumentationibus reportauit, suamq; Deo omnipotentiam a tenebricosis illis Ethnicæ sapientiæ telis intaminatam, integramq; seruauit? quandoquidē hodie in scholis fidei Christianæ lumine collustratis vna omnium tum Theologorum, tum Philosophorum etiam voce comprobatur, vt verissimum illud: *Aptata esse secula verbo Dei*. Atque hoc nonnisi fide, inquit Apostolus, *Fide intelligimus aptatæ esse secula verbo Dei. O admirabilem fidei vim, virtutemq; in auditam in hac testimoniū* (idē subdit Apostolus) *cōsecuti sūt senes*, omnes scilicet Patriarchæ atq; Prophætę quorum primus est ille de quo in Genes. legimus: in fide plurimā hostiā Abel, quam Caim obtulit Deo, atq; ob hanc fidem illius sacrificium gratissimum Deo, contra autem infidelissimi Caimi hostia nullo modo accepta fuisse dicitur. Fide Henoc translatus est, ne videret mortem, ante translationē enim testimonium habuit placuisse Deo. Fide Noe responso accepto de ijs quæ adhuc non videbantur, aptauit Arcam, Fide Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem nesciens quo iret. Fide obtulit Abraham Isaac cum tentaretur. Hinc fit vt admirans idem Apostolus ad Rom. 4. inquit, *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Nec minus vxor eius Sara sui sponsi fidem imitata. Fide ipsa Sara sterilis virtutem in conceptionē seminis accepit. Neue ex meo aliquid afferens hinc progrediar longius, iisdē Apostoli verbis hanc concludam sententiam, qui cum fidem Isaac, Iacob, Ioseph, Moysis, aliorumque heroum celebrasset, deinde subdit: *Et quid adhuc dicam? deficiet enim me tempus narrantem de Gedeone, Barac, Samson, Iephtæ, Dauid, Samuel, & Prophætis.* Quæ quidem omnia eo pertinent, vt ostendam quam gratos in Dei Optimi Maximi oculis, atq; conspectu fides nos sanctissima reddat. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*.

Sed hoc idem liceat in præsentia efficacioribus aliquanto argumentis, & quasi e visceribus causæ, vt aiunt, deductis confirmare. Atq; optime quidem S. Doctor Angelicus in secunda secundæ q. 5. art. 1. illam definit his verbis: *Fides est habitus virtutis infusus, quo infallibiliter, & sine vlla formidine credimus a Deo reuelatis ob auctoritatem Dei reuelantis.* Sed hæc ab illa D. Pauli definitione a me vlterius hic explicanda tanquam e fonte manauit. Est autem Fides, inquit Apostolus, *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*. Sed omissis omnibus ne longius extra temporis lineas diuager, tantum hic obiter verbum illud *substantiam*, e Græcis liceat inuestigare: apud quos est ypostasis quæ quidem vox vel existentiam, & subsistentiam significare videtur, vel potius substantiam.

Quod autem ad substantiam, aut existētiam attinet in hoc Sanctus Chrysostomus, Theofilatus, Theodoretus, alijque conueniunt, tam Veteres, quam Recentiores; *Fides enim* aiunt *est sperandarum subsistentia & existentia rerū*, qua nimirum fideles tam certi, atq; securi viuunt de ijs, quæ spes tanquam futura promittit, ac si ea quasi iam præsentia ipsis cernerent oculis, ipsis manibus contrectarent. Neque ab hoc dissentire videtur quod est in textu syriaco: vbi dicitur *Fides est peiesa*, idest, persuasio, & certitudo de ijs rebus, quæ sunt in spe, perinde ac si iam existerent. Immo etiam adderem facilius, ac securius animum acquiescere quodammodo, ob auctoritatem Dei reuelantis, quā ob ipsorum sensuum testimonium; atque adeo subdit Apostolus; *Argumentum non apparentium*, quod idem est per D. Thomam, ac *assensus, quo*, inquit, *adhærescimus veritati*. A Græcis autem per elenchos, exprimitur idque diuus Chrysostomus, & Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 1. explicant in hunc modū (*demonstratio, atque, conuinctio*) quasi dicant, cedant, necesse est huic argumento Fidei omnes Philosophorum probationes, cedant Mathematicorum euincentium argumenta.

Idem ipsum confirmat alia *significatio*, nempe substantia sicuti enim substantia fundamentum est omnium accidentium, quæ statim, sublata substantia, corruunt; ita & omnia, quæ speramus bona, in sola fide nitūtur. quod etiā innuit Sanctus Dionys. Areop. cap. 7. de diuinis nominibus: quando docuit diuinam fidem esse stabile, firmumq; fundamentum eorum, qui crediderunt eos in veritate defigens. Atque hoc illud est fundamētum, quod idē Apostolus prima ad Corint. 3. se iecisse gloriatur, vt sapiens Architectus *fundamētū posui, fundamētū alíud nemo potest ponere præter id quod positum est.* Ad eū scilicet exædificandam Vrbē, eiusq; structuram ab initio Dominus suos conduxit

Apostolos, quam deinde Diuus Ioannes Apocalyp. cap. 21. iam absolutã, atq; perfectam se vidisse testatur: *Vidi Ciuitatem sanctam Ierusalẽ nouam descendentem de Cælo, a Deo paratã &c.* sed æmulus ille laudum diuinarum Lucifer, & ipse suam condidit vrbem, in qua sibi imperij sui sedem designauit, vt innuit idem Euangelista Ioannes Apoc. 16. *Babylon magna venit in memoriam ante Deum*, vt acutissime S. Aug. in lib. qui inscribitur de Ciuitate Dei; & de Ciuitate Diaboli explicare videtur. *Quid enim aliud Hæreticos esse dicemus, quid Apostatas, quam quasi quosdam Babylonicæ Vrbis Architectos, aut operas ad eam struendam conductas, quas etiam iussit vti fidei fundamento, quo firmiter non Deo, sed sibi crederent. Vnde est veneficia omnia futilia, atq; irrita plerumque esse, nisi Diaboli verbis aliqua præstetur fides.*

Sed illud hic nullo modo prętermittendum puto, quod in Hebræo textu pro substantia, legitur Beethsẽ, vel pluraliter Beethsemi, quod idem esse videtur, ac os, aut ossa. Vt igitur corpus humanum naturaliter, nec informari ab anima posse videtur, nec vitam viuere, nisi prius firmissima ossium compagine sit constructum, atq; firmatum, ita & sine fidei firmamento anima Diuinæ gratiæ incapax esse, vnde ad Hebræos Apostolus 10. exclamat, *Iustus autem ex fide viuit*. Non ideo quod ipsa fides sit ratio formalis huiusce vitæ, vt cum Philosophis loquar: iam enim docet idem Apostolus prima ad Corint. 13. *Si habuero omnẽ fidem, charitatem non habuero, nihil sum*. Et S. Iacobus in sua Canonica: *Fides sine operibus mortua est.* sed quod necessaria conditio sit, atq; proxima dispositio, quam consequitur gratia. Sic enim legimus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est*. Vnde orta est illa doctrina in scholis sine fide nimirum Christi iam incarnati aut mediatoris venturi neminem in gloriam ingredi.

Atq; hoc quidem iure optimo, *non enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit*. ad dimicandum vero, quot vires ossa ministrent, quãtumq; addant animi, quis est qui nesciat? quin etiam olim ipse Samson non ense, non hasta, sed osse victoriam de hostibus reportauit, cum inuẽtam maxillam, id est *mandibulam asini, quæ iacebat*, accipiens interfecit in ea mille viros. Iud. 15. Quando igitur per Diuum Chrysostomũ Hom. 60. super Gen. *hostem habemus perpetuum, & fœderis nescium.* & apud Apostolum, *non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates, aduersus Mundi rectores tenebrarum harum*, ad Ephes. 6. nisi nos cõsilium illud sequamur, quod ipse docet: *In omnibus sumentes scutum fidei.* & Petrus; *Cui resistite fortes in fide*: nulla vnquam ratione hostes hosce superabimus: victiq; facili negotio concidemus, sine hac fide, quæ est substantia rerum, id est os: & nisi hoc osse armati fuerimus.

Quæ cum ita sint, quid mirum, si Apostolus in ea verba proruperit, *sine fide impossibile est placere Deo. Impossibile est*, inquit, non ea, inquam, impossibilitate, quæ tantum affert difficultatem. Secundum quam explicare oportet verba illa ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerũt etiã donũ cælestem, & participes facti sũt Spiritus Sancti & ... prolapsi sunt, rursus reuocari ad pœnitentiam* ne contradicere videantur verbis Domini ad Petrum: *dimittes non solum septies, sed vsque ad septuagies septies.* Verum etiam ea impossibilitate, quæ omnem excludit potentiam, aut possibilitatem, vt Philosophi loquuntur: ita quemadmodum sumitur atq; explicatur propositio illa ad Hebræos 6. *Impossibile est Deum mentiri*, & hæc, quam diximus, assumatur, atq; explicetur, *Impossibile est sine fide placere Deo.*

Intelligant igitur ij, qui per flagitia, & scelera a Fide recesserunt, quam maximum in barathrum omnium miseriarũ inciderint: qui teterrima, vel Apostasiæ, vel Hæresis, vel cuiuscumq; infidelitatis nota fœdati nõ sine magna diuinæ gloriæ iniuria, quam debent fidem, & reuerentiam æternæ Sapientiæ verbis, eam Diabolo fabularum auctori mẽdacissimo præstant. Tuum est, Quæsitor Illustris. hasce diuinæ gloriæ iniurias seuerissime vindicare; nostrũ A. A. talia infidelitatis facinora, atque peccata in iudicium deferre. Omnium autem æternam Dei bonitatem enixe precari, vt omnes, qui in tenebris infidelitatis Hæresis versantur, a tanta tamq; obscura excœcatæ mentis caligine aliquando resipiscãt, atq; ad veram Catholicamq; Fidei lumen aperiant oculos. Sine qua fide impossibile est placere Deo. Dixi.

CONCIO SECVNDA.

De publicatione edicti sanctæ Inquisitionis.

Ecce ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos; & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos in omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Hierem. 16.*

Quis vnquam crediderit A. A. quis cogitauerit vel horum verborum ambitu allegorice nobis describi sanctissimum Inquisitionis Tribunal? vel sub Piscatoris, & Venatoris apparatu Illustrissimi Quæsitoris personam delitescere? quippe qui feras, bestiasque Hæreticorum, atq; Infidelium, vel piscando caperet, vel venando irretiret? ita sane hi piscatores sunt, ac venatores, quos cælestis ille moderator orbis per Hieremiam Prophetam tot ante annis promisit in Ecclesiam se esse missurum. Idque hodierna luce ostendere, & comprobare pro mea virili parte conabor.

Ecce ego mittam piscatores &c. obscurum est (inquit doctissimus ille sacrarũ litterarũ interpres e nostra Societate Gaspar Sancez) *obscurum est, an hic Deus secunda promittat, an minetur aduersa*: quinam igitur hodie mihi comiter tanto in errore viarum rectum cõmonstrabit iter ad veritatem inspiciendam nisi suo veluti ductu patres, quasi nobis de suo lumine lumen accendant? horum igitur aliqui hæc Hieremię verba quasi Dei minitantis aduersa iudicant esse. Alij contra Dei secunda quodammodo promittentis. In prima autem sententia videntur

detur esse Diuus Thomas Theodoretus, Dionysius Carthusianus Nicolaus de Lyra Vgo, Vatablus Io. Maldonatus, alijq; quamplurimi, tam antiquorum quam recentiorum; eamque confirmant ex eo quod in toto fere contextu orationis, totoq; capite Hieremias recensere videtur incommoda mala, supplicia omnia quę Deus iustissime iratus Populo suo Idololatræ minitatur: mortibus ægrotantium *morientur, non sepelientur, in sterquilinium super faciem terræ erunt gladio, & fame consumentur &c. abstuli pacem meam a Populo isto, dicit Dominus; quia non fuit occulta iniquitas illorum ab oculis meis, & reddam primum duplices iniquitates, & peccata eorum, quia contaminauerunt terram meam in morticinijs Idolorum suorum*. Vnde probabilius inferunt prędicti interpretes Dei minitantis potius, quam Dei miserentis hunc esse sermonem, quod hoc etiam magis ab ipsis confirmatur, quia multo clarius & euidentius idem Proph cap. 23. describere, atq; explanare videtur quod hoc cap. 16 allegorice sub piscatoris aut venatoris figuris atq; inuolucris implicuit. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, & super habitatores eius, & interficiam eos, & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis*. Quis igitur dubitet Nabuchodonosor, aliosque Chaldæos tum piscatorum, tum venatorũ personam induisse, quippe qui ferro & flamma in syluis ac montibus per littora, & scopulos maximam Populi Israelitici cladem ediderunt, Regemq; Sedeciam, & suos in solitudinis cauernis, latebrisque latitantes, quasi tot feras e latibulis extraxerunt, tantamq; prædam in patriam contulerunt. Nisi forte placeat cum D. Thoma subtilius inuestigare venatoris personam Tito, & Romanis impositam fuisse, vt indicat particula illa *post hæc*; his enim postremam cladem Hebræorum, ac ruinã Vrbis Hierusalem reseruatam videmus. At vero piscatoris personam Nabuchodonosor Regi, ac Chaldæis fuisse datam e simillimis Ezechielis Prophetæ verbis cap. 12. intelligi potest. *Et extendam rete meum super eum & capietur in sagena mea, & adducam eum in Babylonem*.

Sed quoniã, vt Apostolus loquitur de Prophetis 1. Corint. 10. *omnia in figura contingebant illis*, non iniuria citati patres, hũc locum inuestigantes e miserrimis Iudæorum ęrumnis ad calamitates Ecclesiæ gradum faciunt, ad miserias populi Christiani quarum maxima, atque omnium pessima est amissio fidei & ipsa Hæresis, quam Apostolus ad Timotheum cap. 1. funeste deplorat his verbis: *Quidam bonam conscientiam repellentes circa fidem naufragauerunt*. His igitur minitatus est Dominus se missurum piscatores callidissimos ac venatores, a quibus, vel hamo sub esca fallentis doctrinæ latente caperentur, vel fallacium argumentorum laqueo irretirentur. Atque vtinam iam inde a primis nascentis Ecclesiæ incunabulis ad hanc vsque ætatem Christiana Respublica tam multorum hæreticorum fallentes hamos, aut venenatas sagittas non passa fuisset. Vtinam venatores illi pessimi Simon Magus, Cherintus, Nicolaus, Arrius, Nestorius, Mahomettus, Manes, Donatus, Luterus Caluinus, Malanzon, Beza, alijq; quamplurimi prædatores non extitissent. Non sane tot Regna, tot Vrbes miserrimis afflictas cladibus Hæreticorum deploraremus, neque vnquam Britannia, Gallia, Flandria, Saxonia, omnesq; fere septentrionis, atque orientis regiones, hac teterrima peste tabuissent.

Sed quonam modo fieri potest, dicet forte quis ingeniosior, vt tanta Ecclesiæ suæ Dominus damna patiatur? quique maximam animarum salutis curam gerit, tantas animarũ clades populo suo, tot Christianæ Reipublicæ calamitates, ac detrimenta per scelerauissimos homines, suæq; fidei infensissimos hostes importet? sed enim facillime his, quæ obijciuntur rebus responderent citati auctores, si vetera Hebræorum exempla referrent, quibus ostenderent eodem modo nunc Dominum populo Christiano teterrimos hosce venatores mittere, quo olim indurauit Dominus cor Pharaonis, aut imperauit Isaiæ dicens, *exceca cor populi huius & aures eius aggraua, & oculos eius claude*. Denique vti varie horum verborum sententia exponi potest ita & varias superiori dubitationi respõsiones adhibere ipsi possunt: multas autem doctissimus Pererius super cap. 11. Exod. affert ex Augustino, Chrysost. Greg. Thom. alijsq; Doctoribus. Sed illa Augustini communi fere omnium consensu in scholis retenta, quæ inprimis mihi maxime placet, est illa. Deum nimirum in huius generis calamitatibus, quæ non fiunt sine multorum peccatis, atq; criminibus tantum permittentem habere voluntatẽ, ac sæpe ipsis vti criminibus ad gratiam magis augendam, suamque magis pietatem illustrandam; *vnde permisit quidem* (aiunt Theologorum nonnulli) *Adami peccatum, sed quatenus illud incarnatio Verbi esset consequutura: si enim Adam* (aiunt) *non peccasset, Verbum incarnatum non fuisset*. Vel etiam Dominum iniquorum opera, atq; impietate tanquam suis lictoribus, ac ministris vti dicamus; sic enim exponitur ille locus Iob. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, eodemq; sensu sumitur a Cornelio a Lapide textus allatus a Hieremia, *Ecce ego mittam Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum. Seruum meum vocat*, inquit, *idest, lictorem, & executorem iustæ suæ vindictæ*. Testis in hac re mihi sit sanctus ille Eremi Monachus, qui cum ad pedes Christi Ecclesiæ Orientalis ab impijssimo Tyranno Phoca afflictæ, atque vexatæ deploraret ærumnas, (quas refert Anastasius Nyssenus in quæst. sup. script. q. 15.) cumque grauiter quereretur his verbis, *Domine cur fecisti eum Imperatorem?* hoc tulit a Christo responsum: *quoniam non inueni peiorem, si peiorem inuenissem, illum fecissem*. Quæ cum ita sint, optime possunt prædicti Auctores hunc locũ Prophetæ quasi Dei contra populum Christianum minitantis interpretari, & exponere.

Sed tempus admonere videtur, vt aliam

quam

quam multorum sententiam afferamus, eorum nimirum, qui putant varia his verbis commoda multaq; presidia Ecclesiæ suæ benignissimũ Dominum polliceri, in hac sententia sunt August. tract. 10. de vtilitat. ieiunij, Ambr. serm. 6. in psalm. 118 Orig. Hom. 2. in Hierem. Tertull. lib. 4. contra Marc. cap. 9. Aliique quamplurimi, cum e veteribus, tum ex recensioribus qui suã comprobare nituntur opinionem ex ipso contextu verborum, quæ superius eodem ipso capite Hieremiæ leguntur. *Sic enim est scriptũ, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur vltra viuit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Aquilonis et de vniuersis terris, ad quas eieci eos, et reducam eos in terram suam, quam dedi patribus eorum*. Quæ quidem verba Dei fauentis, ac miserentis esse planissime liquet. Vnde statim subdit. *Ecce ego mittam piscatores multos etc.* Iamq; re vera elegit Dominus Esdram, & Zorobabel, cæterosq; quorum opera, vt olim Moysis, & Aron ad liberandum populum vteretur.

Atq; hæc quidem ad literam: mystice vero intelligunt isti Doctores primis Christianæ fidei Quæsitoribus hæc verba, sanctis, inquam, Apostolis conuenire; quibus idem Dominus in Euang. Matt. 4. *faciam vos fieri piscatores hominum*, atq; Apostolorum potissimum Principi: *noli timere*, inquit, *ex hoc iam eris homines capiens* Matt. 13. & alibi sæpius eodem sermone vtitur Dominus.

Sed quemadmodũ his Hieremiæ verbis sanctissimum nobis Inquisitionis Tribunal significetur accipite. Nemo est qui nesciat sæpe sæpius in Euangelio maximeq; Matt. 13. Ecclesiam piscatorum retibus a Domino comparari: *simile, inquit, est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti etc.* Iam vero bis in Euangelio legimus ex Christi Domini iussu discipulos retia in mare iecisse, primum post concionem habitam ad turbas e nauicula Petri, cui dixit. *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam* Luc. 4. secundo post Resurrectionem. Cum enim sic percõtanti Domino. Numquid nulmentarium haberent, se nullum habere respondissent, tum ille *Mittite*, inquit, *in dexteram nauigij rete, et inuenietis.*

Atque hæc quidem loca sanctus Augustinus tract. 122. in Ioann. S. Gregor. Hom. 24. in Euãg. Rupertus, Beda, alijq; quamplurimi atq; ea quæ sequuntur verba considerant in primo piscatu Luc. 4. *concluserunt piscium multitudinem copiosam rumpebatur autem rete eorum*; at vero in secundo, cum non minorem forte pisciũ multitudinem cæpissent, vt innuit Euang. Ioann. 21. *cum tot, tantiq; essent, non est scissum rete*. De vtraq; sic piscatione Greg. *in illa*, inquit, *præ multitudine piscium rete rumpitur, quia nunc ad confessionem Dei etiam cum electis reprobi tanti intrant, qui ipsam quoque Ecclesiam Hæresibus scindunt; in ista vero piscatione, & multi pisces, & magni capiuntur & rete non rumpitur; quia sancta electorum Ecclesia continua Auctoris sui pace requiescens, nullis iam dissenssionibus laniatur*. Neque congrue de hac re Euseb. Emiss. itidem, inquit, *boni erant pisces isti, a quibus rete scissum non est, mali pisces hæretici, & schismatici, qui Euangeliorum retia quotidie scindunt*, idque confirmant Christi verba ad Petrum Alexandrinum Archiepiscopum. *Arrius scidit vestem meam*, idest Ecclesiam.

Quod cum ita sit, quis neget hoc Tribunal sanctissimum institutum a Domino ad hanc capturam piscium? quis dubitet nostris Quæsitoribus conuenire verba illa Prophetæ: *Ecce ego mittam piscatores etc.* sed isti nisi ope vestra atque opera vtantur, nisi vos libentissimo in hoc piscator, ac venatione opitulemini, frustra nitentur, neq; suum vnquam munus obire poterunt, adeoq; annuunt socijs, vt veniant, & adiuuent eos. quod tum quidem efficietis, cum in iudicium, si quid ad vestras aures peruenerit, quod contra Catholicam fidem commissum sit, deferetis.

Sed quod ad venatoris similitudinẽ attinet, nemo est, qui dubitet primas in hoc venationis genere dedisse partes Christo filio suo Deum Patrem, vt innuit Esaias 8. *Accelera, festina prædare etc.* & Patriarcha Iacob ad filium suum Iuda dicens *ad prædam fili mi ascendisti*. Hoc etiam modo sponsum veluti personatum indicant. Agnouit sponsa: *Ecce venit iste saliens in montibus transiliens colles.* Secundas autem tenuere partes Apostoli, Episcopi omnes atque Apostolicæ vitæ sectatores. Sed quoniam illi pluribus Ecclesiæ implicati negotijs inundante potissimum multitudine belluarũ piscatui, venationiq; penitus se dedere non poterant, ideo Dominus *post hæc*, inquit *mittam eis multos venatores*. Quæsitores nimirũ Illustrissimos, quorũ omnis cura, & cogitatio tota est in hac venatione posita, in hac eorum industria, atque solertia insistit, euigilat, elaborat. Vnde Innocentij Tertij temporibus nouis ob repentinas contra sacramenta, & Sanctissimum Trinitatis mysterium sapientia sua Diuus Bernardus cũ alijs illius ordinis sanctissimis viris obstitit quam acerrime. Atq; hæc fuit origo instituendi hoc Tribunal Sanctissimum. Post autem in Hispania sub Alexandro Tertio sãctus Patriarcha Dominicus Generalis Quæsitoris prouinciam gessit, alijq; subinde post eum eiusdẽ Ordinis religiosissimi viri hoc functi munere, nonnulliq; e sanctissima Frãciscanorum familia fuerunt. Ac demum peculiari ratione Catholici Regis tẽporibus multis in locis suæ ditionis hæc Tribunalia sanctissima sunt instituta, qua etiam tempestate hoc nostrum Melitense Tribunal, ad quod Diuina munificentia quotidie submitti Venatores peritissimos, duxit originem.

Sed multos, inquit, *Venatores*, pro multitudine nimirum, ac varietate ferarum, vt enim multas animarum veluti species multis sub animalium formis agnoscimus atq; in scripturis legimus: Cant. 2. *Veni columba etc.* & *Vox turturis audita est in terra nostra.* Ac Gen. 49. *Beniamin lupus rapax.* Ezechiel. 13 *quasi vulpes in deserto Prophetæ tui.* ita & in ijs, qui illas venantur magna inter illos intercedit dissimilitudo, & varietas. Sed quænam sit huius peculiaris, & propria Tribunalis venatio, docet

Sanctus

Sanctus Antoninus in psal. Dauid 79. qui allegorice sub nomine vineæ describens populum Hebræorum, cũ cecinisset *vt vineam de Aegypto transtulisti gentes, & plantasti eam: extendit palmites suos vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius*, subdidit: *vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam; exterminauit eam aper de sylua & singularis ferus depastus est eam.* Quid enim aliud Ecclesiam esse dicemus iuxta expositionem Sancti Antonini, quam vineam Christi sudoribus irrigatã, ipsius manibus bene cultam, ipsius demum cultura per laborem plurimum feliciter educatam: iamq; illa totam fere Palæstinam nouis frondibus inumbrarat, iam spem dare videbatur breui se suos palmites ab ortu ad occasum, ab Austro ad Aquilonem extensuram. Sed heu, quam subito viatorum passa est falcem, atq; securim, fidelium, inquam, improborum scelera, atq; peccata, quibus deuastata est funestissime, quam subito *exterminauit eam aper de sylua*, cum tyrannicam tam multorum rabiem perpessa est Imperatorum, Neronis, Decij, Diocletiani, aliorumq; Christiani nominis hostium, humaniq; sanguinis sitientium, quam celeriter *singularis ferus depastus est eam*, cum tantus Hæreticorum numerus quasi tot ferarum greges vndiq; e latebris emerserunt?

Vellem hic ego, si liceret, has vobis quasi digito commonstrare feras, & monstra Hæreticorum, variasq; eorum formas, & pelles, quibus illi quotidie induũtur ostendere. Sed forte essem aliquãto prolixior: tres igitur formas breuissime recensere sat erit; quarum prima sit lupina, quam sæpe in Sacris litteris Hæreticis tributam esse legimus; & quidem in Euangelio, *attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et in actis Apostolorum cap. 20. Admonet primos illos Ecclesiæ Christianos dicens: *Scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces* & alibi sæpius. Altera, quæ datur etiam hæreticis, vulpis est forma: *Prophetæ tui Israel, quasi vulpes in deserto*, Ezechiel. 13. & Cant. 2. *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Tertia demum est locustarum forma, sub qua Diuus Ioannes Hæreticos agnouit in Apoc. cap. 9. *Fumo putei exierũt locustæ in terram, & data est illis omnis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ, & habebant caudas sicut habent scorpiones*, atq; optime quidem addidit illis *scorpionis caudam*, qui familiariter colloquendo insidiose venenum Hæresis in cauda absconditum paulatim effundunt.

Sed forte quis, aut ferro aut flamma nostris utendũ esse venatoribus cogitauerit. Sed male videtur hic de pijssimi huius Tribunalis clementia iudicare, cum nihil in hoc aliud, quam animarum salus & vita quæratur. Longius igitur ab hac venatione absint, longius instrumẽta illa lethalia, vel ensis, vel spicula, vel tela, vel ignis. Ac non nisi retia, & laquei adhibeantur, vt quamuis huc ipse Arrius, Caluinus, Lutherus ipse cõfugiat, dummodo sponte confugerit, faciliora sine dubio, ac iucundiora fidei retia, quam hæresis licentiam, leuiora Ecclesiæ vincula, quam hæreticorum libertatem experiantur.

Sed si placet illa verba (*multos venatores*) nõ specifice, vt vsq; adhuc, sed numerice, vt ita dicam, accipiamus. Nec successiue tantum de ipsis Illustrissimis Quæsitoribus, qui tanquam ipsius venationis duces a Domino subinde mittuntur, sed in sensu (vt cum Philosophis loquar) simultaneo interpretemur, vt dicamus a Domino ad venandum multos simul, ac tot immitti venatores, quot sunt huius Tribunalis administri, quotq; vos estis A. A. hic mihi, qui adestis, quia *mandauit vnicuiq; Deus de proximo suo*, inquit, *Ecclesiasticus* cap. 17. omnesq; nemine Fidelium excepto Dominus hortatur in Cant. cap. 2. *capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*. Quod si quis vestrum contra Catholicam fidem peccata negliget, nec ad Illustrissimi Quæsitoris aures perferre curabit; caueat ne maioris anathematis subeat pœnam, caueat ne quis prius diligẽtior suam afferens prædam, præmium sibi tolat, & bona quæ Dominus sub Isaac persona promiserat, dicens, Gen. 27. *Affer mihi de venatione tua, vt comedam, & benedicam tibi*.

Sed finis sit A. A. nõ enim verbera verba minitẽtur, vti probos filios bonus ipse pater alloquitur, atq; ipse paternæ nutus voluntatis iustæ legis sit vobis præceptum edictum, & quoniam tanta hodie vestrum frequentia mihi spem inijcit vos huic Patris vestri cælestis desiderio (*affer mihi de venatione tua, vt comedã*) lubentissime obtemperantes tam iustæ tam sanctæ operam venationi daturos: eius nomine facile vobis felicitatem, & commoda, quæ cæteris significãtur verbis (*& benedicat tibi anima mea*) promittã: cuius reifirmissimo vobis sit argumento indulgentia 40. dierum, quam Quæsitor Illustrissimus hodie tribuit omnibus quicumq; hodiernæ huic celebritati interfuere. Dixi.

CONCIO TERTIA.
De publicatione edicti sanctæ Inquisitionis.

Noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.

Sic Iud. 5. cecinisse legimus Deboram, & Barach post insignem illam victoriam de Iabino Cananæorum Rege a populo Dei reportatam occiso per summũ dedecus duce Sisara, eiusq; exercitu contrucidato. *Noua*, inquam, *bella elegit Dominus*, quia nouo quodam, atq; inaudito mortis genere Sisaram interfectum videmus: *noua bella*, quia mulierum sunt ductu, ac virtute confecta, *nam erat* (scriptura inquit) *Debora Prophetrix, quæ iudicabat populum in illo tempore, quæ misit, & vocauit Barach filiũ Abinoem, dixitq; ad eum, vade & duc exercitũ &c. ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Iabin*. Et paulo post, *mulier nomine Iahel posuit supra tẽpus capitis Sisaræ clauum, percussumq; malleo defixit in cerebrũ, vsque ad terram. Qui soporem*

morti

morti consocians defecit, & mortuus est. Noua de mum bella elegit Dominus, quia non hostis cum hoste conflixit, non vir cum viro certauit, sed ipse Deus cum homine contulit manum. Deus enim ipse per se rem gerere dicitur, quando *elegit, quæ stulta sunt, & ignobilia, & contemptibilia mundi, vt confundat fortia, & ea quæ sunt destruat.* Iure igitur *noua bella elegit Dominus & portas hostium ipse subuertit.* Sed quorsum hæc hodie ex hoc loco mea tendit oratio? accipite A. A. hodierna mihi luce apud vos præconis voce vtendum esse arbitror: dũ omnibus, qui huc adestis, noua bella denunciaturus sum atq; indicturus sub illius sapientissimi, ac vetustissimi Imperatoris auspicijs, qui primus humano generi indixit: *Militia est vita hominis super terram.* Primum igitur mihi de quonam hominum genere Iob hæc verba fecerit, deinde de ipso genere belli dicendum est. *Militia &c.*

Non agit hic sanctissimus vir cap. 7. de illo genere hominum, de quo propheta Dauid psalm. 48. ait. *Homo cum in honore esset non intellexit comparatus est iumento insipientibus &c.* hos enim ne nomine quidem hominis dignos Diogenes iudicauit: cum horum magna stipatum frequentia forum Athenarum percurrens gestansq; accẽsam manu laternam ad meridiem; interroganti adolescenti, quid sibi cũ laterna illa quæreret, *hominem quæro*, respondit, *& non inuenio.* De vero igitur, ac proprio, dignoq; hominum genere hic sermo est.

Sed adhuc dubitant, & quærunt Auctores, an de se ipso Iob hoc loco loquatur, multiq; affirmãt recentiorum, ac præcipue doctissimus Societatis nostræ Pineda; sic explicat, ac si dixisset *militia est vita mea super terrã*, vt etiam explicatur illud cap. 7. *quid est homo, quia magnificas eum, &* cap 22. *numquid Deo comparari potest homo,* quasi ipse de se dixerit, quid sum ego, quia magnificas me, & numquid Deo cõparari possum ego; varijsq; alijs confirmat scripturæ exemplis, quibus, ne longior sim, prætermissis, ad aliam auctorum sententiam, quæ facit ad nos, veniamus: *Militia est vita hominis super terram.* Hoc loco Gaspar Sancez non sane imperitus e nostra Societate Sacrarum litterarum interpres, a multorum Patrum sententia non recedit, qui iudicant cuicumque hominum generi verba Iob conuenire, vt militia sit vita hominis, idest *cuiuscumq; hominis super terrã*, vnde in hoc sesu Diuus Chrysostomus in catena &c voluntatẽ Iob sic interpretatur, *quasi velit sanctissimus vir, se ab amici sui Themanitis contumelia iniurijsq; purgare, qui falso calamitates omnes sibi immissos a Deo, peccato, & vitio tribuebat; vnde respondit, militia est vita hominis super terram,* quasi dicat multa ferre secum incommoda atq; labores bellum, multas rem militarem pericula, nec raro complures esse milites, qui cum præclare rem gesserint, & multa cum virtute pugnarint, eos tamen afflictos, & consternatos videmus.

Verum Diuus Thomas putat hic potius respondere ad ea, quæ Themanites cap. 5. ipsi dixerat: *In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladij, a flagello linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit &c.* videtur Themanites felicitatem in terris omnibus, quicumq; Deo inseruierint vitamq; omni liberam calamitate promittere. Sed sum hoc esse demõstrat patientissimus vir, *militia*, inquit, *est vita hominis super terra*

Sed enim citatus Sancez acutissime in videtur esse sententia, nimirum *Iob, qua ami eius illum supra docuerant, non vt aduersant refutare, sed quasi discipulum reprobare;* roga *rat enim ille suos amicos,* dicens: *docete me, & go tacebo, & si quid forte ignoraui, instruite* quod igitur Themanites cap. 5 docuit *homo scitur ad laborem & auis ad volandum*, quo que intulit dicens, *quamobrem ego deprec Dominum, & ad Deum ponam eloquium meu* id ipsũ nũc pijssimus vir, atq; optime cõfir his verbis: *militia est vita hominis super terra* nec tamen oblitus Dominum deprecari, vt il docuerat, & ad Deum ponere eloquium su eodem ipso cap. initium faciens a septimo ver su id efficit; *memento Domine, quia ventus vita mea, &c.* vsque ad finem.

Vnde & nobis, cum omnibus sit hoc bell indictum huius tanti Imperatoris exem imitantibus a Deo hæc tria, quæ ad tan bellum feliciter gerendum maxime condu petenda videntur: primum vt nos hanc rei mi litaris scientiam sic edoceat, vt o im Dau psal. 143. *benedictus Dominus Deus meus; q docet manus meas ad prælium, & digitos m ad bellum.* Secundum, vt eodem nos in cer mine confirmet & adsit, vt olim eidem Dau aderat psal. 15. *a dextris est mihi ne commoue* & Paulo dicenti ad Philip. 4. *omnia possum in qui me confortet.* Tertium, vt cælestibus *ijs* no induat, atq; ornet armis, quibus Apostolus, vt sese induerent, hortabatur Ephesios 6. in *duite vos armatura Dei.* quæq; nobis i can 4. indicantur *mille clypei pendent ex ea, o m armatura fortium.*

At enim non omnia, ad omne bellum fac arma; quibus igitur ad hoc, de quo agimus, aptissimis vtendũ sit, facilius intelligetis, si be genus ante oculos vestros posuero. *Noua be la elegit Dominus & portas hostium ipse sub tit. Militia est vita hominis super terram* leg hic septuaginta, *tentatio est vita hominis su terram* quod idẽ ad Ephes. 6. colluctationis no mine Apostolus explicat dicens, *non est nob colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, se aduersus mundi rectores tenebrarum bar,* idest contra hostem teterrimum, cuius forti tudinem ipse Dominus, *Iob.* cap. 40. & 41. explicauit: *Non est super terram potestas qu comparetur ei.* Bellum igitur graue, & peric losum a tartareo duce nobis infertur. Et qu dem terrestre confirmant verba ipsa scriptur quibus ipse communis hostis interrogati Deo *vnde venis?* respondisse dicitur, *circuiui terr & perambulaui eam.* Naua e vero, & maritim asserit Græca illa notatio peiratirion, quæ pir ticam excursionem significare videtur vtrum que autem sua Apoc. D. Ioann cap. 12. tum terrestre, tum nauale minitatus, ve terræ in quit,

inquit, *& mari; quia descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam &c.* Sed fortè minus est hic hostis pertimescendus, quando impetus eius, ac vis in illo singulari certamine infracta est, quod cum eo Christus Dominus inijt, *cum Princeps huius mundi iam iudicatus, est* Ioann. 12. vt non a fortissimis tantum Christianæ militiæ ducibus Tartareus ille Gigas, sed sæpe etiam ab imbecillis virginibus, ac mulieribus superetur.

Alia nobis, & grauiora, longeq; periculosiora inferri bella cõfirmat in epistola sua cap. 1. S. Iacobus: *Vnusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatũ vero cum cõsummatũ fuerit generat mortem.* Et Paul. ad Gal. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur,* & ad Roman. 7. *sentio aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati.* Sed neque hoc nam diuturnum, tàm longinquum, tam vetus bellum hoc loco vobis nunciandum adueni; *noua enim* vt dixi, *noua bella elegit Dominus &c.* Atque illud etiam imminutum est bellum, postquam Dominus cecinit, *effundam de spiritu meo super omnem carnem.*

Neque illud tertium negligendum est bellum, in quo hominem homini aduersari videmus. Homo homini lupus, vt dicitur, & est in communi prouerbio, nec de bonorum tantũ, aut de vitæ incolumitate, sed sæpe etiam de ipsius animi salute dimicatur. Nunc verò quàm magnum, quamque calamitosum sit hoc belli genus testis est Adam, qui iam inde ab initio illius belli, quod per malum illud, vt in fabulis Paridi a Iunone, ita sibi, & suis a coniuge illatum erat, causam non prius agnouit, quam ipsius animæ suæ, & suorum detrimenta deplorauit. Testis etiam Abel, qui in ipsis nascentis orbis incunabulis fraternæ impietatis ense peremptus, roseis cruoris sui guttis suum ante sepulchrum ornauit, quam ad florentem ætatem peruenisset. Sed adhuc nimis longinqua, diuturna nimis, ac vetusta commemoro. Neque enim hæc, quæ dixi, sed *noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit.* Quæ autem hæc sint, quæ nos hodie vobis indicenda suscepimus, facilius profecto intelligemus, si relicto vetere duce Iob mysticum noui testamenti Iob, Christum scilicet Dominum, eoque meliorem ducem sequamur. Hic certe non vetera, non diuturna, sed recentia, sed noua nobis aperiet bella gerenda.

De hoc nouo duce refert D. Ioann. in Apoc. cap. 21. *& dixit, qui sedebat in throno, ecce noua facio omnia,* & paulo post addit, *& vidi Cælum nouum, & terram nouam, vidi Ciuitatem Sanctam Ierusalem nouam descendentem de Cælo a Deo paratam,* ad quam capiendam nouam vrbem noua etiam cõficienda sunt bella, qua dux ipse Christus Matth. cap. 10. nobis indixit, dicens, *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terra, non veni pacem mittere, sed gladium:* sed quinam alius in hoc bello nobis speculator existet, quam idem Euangelista Ioannes, qui ad maximum istius exercitus robur, ad varias s. equitum turmas inspiciendas, est a Deo in Apoc. vocatus. *Et vidi, & ecce equus albus & qui sedebat super illum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret, et cum aperuisset sigillum secundum exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illũ datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus.* tertio deinde recluso sigillo, *& ecce,* inquit, *equus niger, & qui sedebat super illum habebat stateram in manu sua.* ac denique post quartum resignatum sigillum *ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum nomen illi mors.*

Sed quis in tanta obscuritate rerum, ac mysteriorum sublimitate suam nobis quasi ductor præferat facem? placet hic quidem, & iure optimo in Apoc. interpretatione sancti Irenęi explanatoris antiquissimi sequi sentẽtiam, cum præcipue in eadem sint Ticonius, Primatius, Haymonius, Beda, Ioachimus, Albertus Magnus, D. Thomas, Pannonius, Ribera, Gannieus, Serrarius, S. Antoninus, Lyranus, Pererius, Viega, & alij, qui omnes album equum affirmãt Christianorum Ecclesiã significare purissimo virtutũ omniũ ornatu decoram, nouáq; quasi cælestis sapientiæ candidatam, cuius equiti Christo Sancto Domino, vtpote de reliquis tribus equitibus contra se pugnantibus victoriam reportaturo statim accinitur: *data est ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.* Nam equus ille rufus, & igneus non nisi Iudaicam significat synagogam, ac populum Hebræorum, igneum sane, quia in dextera eius ignea lex Deut. cap. 33. igneum, quia *ducebat eos per noctem in columna* ignis exod. 13. Niger autem equus Ethnicorum est multitudo Idololatriæ tenebris, atque caligine inumbrata: & qui sedebat super eum Romanum, inquam, Imperiũ *habebat stateram in manu sua,* per quam scilicet, quasi æqui iuris normam sub iustitiæ specie iniustas vniuerso Orbi leges, iudicia, iura describeret. *Quartus erat equus pallidus, et qui sedebat super eum nomen illi mors,* cuius sub specie, ac nomine Hæreticorum numerum intelligimus, qui cum Ecclesia tam crudelia gessisse semper bella quotidieq; gerere videntur, vt nihil maius, ipseq; pallidæ color mortis maximæ cladis atq; internecionis est signum.

Sed enim nemo vestrum A. A. ad huius pallidæ mortis aspectum exalbescat. Nemo turpis, atq; exanguis figuræ illius terrore percussus sedet in pedes, aut referat pedem, nam equus ille noster albus, atque eius eques Christus exiuit *vincens vt vinceret,* cum de Ecclesia sua Dominus dixisset, *et porta inferi non præualebunt aduersus eam.* Atque hæc *noua bella elegit Dominus,* & portas hostium ipse subuertit, *noua,* inquam, *bella* dicuntur, quæ contra Ecclesiam ad hunc vsque diẽ Hæretici suscepisse, hodieque adhuc suscipere videntur, ob noua s. quibus illam oppugnant errorũ arma, nouasq; bellorum causas ab ipsis inuentas, vt licet iam tum ab initio cœpta sit pugna, nũquam tamen sit intermissa, imo vero maiores semper in-

dies

dies resumere vires, atq; innouari quotidie videatur. Repetite quæso A. A. omniũ temporum memoriam post Christianæ Religionis exordium, sic plura certe inuenietis Hæreticorum monstra, non singula singulis fere ætatibus extitisse. Ac primo quidem emersit aliquando pessimus ille Simon Magus primæ Hæresis auctor, contra quem D. Petrus summus tum Ecclesiæ pastor multa cum laude pugnauit, hostemque e medio sustulit dicens, *pecunia tua tecum sit in perditionem quod donum Dei existimasti pecunia posse dari*. Sub idẽ fere tempus Cerinthus, & Nicolaus contra Christi Diuinitatem surrexerunt quos Apostolus, & Euangelista Ioannes felicibus suæ nisus Aquilæ pennis, quasi reluctantes dracones non rostro, non vnguibus, sed flatu tantum, ac voce deiecit. *In principio erat Verbum &c. & Verbum caro &c.* elapso deinde temporis spatio Hęresis Arrianę cõsubstantiale Patri Verbum esse negantis errores toto penitus orbe viguerunt, ad quos extirpandos penitusq; delendos D. Papa Syluester Nicenũ Concilium conuocandum curauit. Post hæc contra Spiritus Sancti diuinitatem Macedonius extitit, cuius Hęresim Bizantinum Concilium refutauit. Nestoriana deinde hæresis emanauit duas tribuens Christo personas, ac Beatissimæ Virginis Deiparæ nomen eripiens, atq; hanc Ephesinum Concilium funditus extirpauit. Eutychi deniq; ac Dioscorus emerserunt non nisi vnam in Christo naturam esse docentes, quod quam falsum esset Chalcedonense concilium demõstrauit. Dies hic mihi deficeret si singula subinde exorta bella, Deique Ecclesiæ per omne tempus illata recenserem. A Mahometo, Donato, Manes, Pelagio, Vigilantio, quibus omnibus alia, atque alia semper noua concilia restiterunt.

Nostra denique ætate vehemẽtius innouatũ est bellum, feliciterque pugnatum in sacro sãcta Tridentina Synodo contra monstra illa fœdissima Lutherum, atque Caluinum, qui prætérquamquod veterum hæreticorum Hæreses confirmarunt, nouos etiam contra omnia Sacra moliti sunt errores, ac præcipue Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum mordacibus venenatæ doctrinæ dictis momorderunt. Itaq; ad hæc bella vobis indicenda hunc ego locum hodierna luce conscendi, hæc *noua bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subuertit*. Ipse enim est, qui semper Ecclesiam suam vndique cinctam, atq; oppugnatam hostibus nouis subinde muniuit arcibus, nouisq; præsidijs, vel Conciliorum, vt vidimus, vel Tribunalium huius potissimum Sanctæ Inquisitionis, quod contra hæreticorum vim, atq; impetum ad defendendam Ecclesiam positum est. Cuius Illustrissimi Duces, quam bene rem suam gerant, quamque solicitis inuigilent curis ad strenue resisten dum hosti, eiusque vires refringendas, Melitæ non est obscurum, omnesq; quotidie ipsis oculis intuemur. Quod cum ita sit, videamus, ne turpe sit nobis a fortissimis ducibus tam egregiæ virtutis exemplo incitatis ab incepto desistere, ac pugnam per dedecus declinare, quæ omnibus, & singulis nemine excepto, cuiuscumq; ætatis. & generis a Dom... non solum indicitur, sed imponitur. Quapropter, inquit Apostolus, *accipite armatura[m]* ... I. *in omnibus sumentes scutum fidei*. Et ad Timoth. 6. vnicuique mortalium, ait *certa bonu[m] certamen fidei*. Sed hoc noua quadam ratione pugnandi, nam *noua bella etc.* detegendo scilicet quam celerrime, si quid contra fidem committeretur, atque in huius Tribunalis iudic... deferendo. Quod cum effeceritis dux videtur sine dubio milites vos sua dignos corona iudicabit, qui ait *non coronabitur, nisi qui legitime certauit*. Dixi.

HActenus de tribus concionibus pro publicatione edicti Sanctæ Inquisitionis ... nimis prolixus essem, si alias tres, quas et... de eadem materia, seu pro eodem fine composui, & publice habui, illis per extensum adiungere tentarem. Quare conuenientius existimaui loca tantum scripturæ, quæ ad eas fundandas initio vniuscuiusq; assumpsi, futuris concionatoribus in publicatione eiusdem edicti hoc loco tradere; vt inde ipsi alias efforment.

Thema pro quarta concione de publicatione edicti sanctæ Inquisitionis.

C*Apite nobis vulpes paruulas, quæ demoliu[ntur] vineas; nã vinea nostra floruit*. Cantic. cap...

Thema pro quinta concione de publicatione edicti sanctæ Inquisitionis.

E*Xurge Deus, iudica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipiente sunt tota die: ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum; superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper*. Psalm. 73.

Thema pro sexta concione de publicatione edicti sanctæ Inquisitionis.

D*Ata est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, et Spiritus Sancti*. Matth. 28.

POst concionem habitam explicari solet per summa capita edictum Sanctę Inquisitionis. Verum hoc duplex est, aliud gratiæ, & aliud iustitiæ, sicuti bene distinguunt Antonius Sousa statim citandus, & litteræ iussu Sacræ Congregationis ad Inquisitores transmissæ infra a nobis adducendæ, atque potest duplici publicatione, distincta diuersis diebus cum duplici etiam concione proponi, sicuti fuit propositum in fundatione huius Tribunalis sancti Officij Melitensis de mandato Reuerendissimi Domini Episcopi Cubelles, eius primi Inquisitoris, vt patet ex authenticis scripturis, quæ

in Ar...

in Archiuio dicti Tribunalis asseruantur: Vnica tamen publicatione, & concione vtrique satisfiet, si vtrumque eodem die proponere Inquisitori placuerit, sed iam pro edicto gratiæ sequentes Regulæ inseruient.

Tempus gratiæ qualiter concedendum ab Inquisitore, & quinam eius effectus?

REGVLA XLVII.

VBicumque nouum Tribunal Sanctæ Inquisitionis erigitur, vel aliquando cum accedit nouus Inquisitor, potest ipse statim assignare tempus gratiæ triginta, vel quadraginta, vel plurium dierum, prout ei conuenientius visum fuerit, intra quod quicumque sponte accedentes suos errores coram eodem confessi fuerint, & alios hæreticos, si quos nouerint, eidem indicauerint (etiam si dum durat tempus gratiæ præueniantur legitimis indicijs) absque vlla punitione mortis, exilij, carceris, confiscationis bonorum &c. expediendi, & reconciliandi sunt.

DEducitur ex cap. vrgentis de hæreticis, & clarè ex Concilio Biterrensi, cap. 1. & 2. vt refert Peña 3. p. Direct. commen. 22. vbi cum Eymerico num. 56, & cum Simanca Catol. instit. tit. 44. num. 3, docet, quod non sit liberum quibuscumq. Inquisitoribus hoc tempus gratiæ assignare, sed illis tantum qui noua Tribunalia S. Inquisitionis alicubi erigunt, atque pro hoc adducit instruct. Hispalen. cap. 1. & 3. Item illis quibus id expresse in litteris delegationis à Papa conceditur; hic enim interdũ ob causas rationabiles, quæ ipsius animum moueat, quod possit illud cõcedere quis negare audebit? maximè cum talis concessio temporis gratiæ non tam ad bonum particularium delinquentium, quam ad commune Ecclesiæ Catholicæ pro seruanda fide, & extirpandis erroribus dirigatur, Imo ex litteris infra adducendis iussu Sacræ Congregationis ad quoscumque Inquisitores Italiæ, & ad alios ei subiectos transmissis deduci clarè videtur, quod possint hi prædictum tempus gratiæ semper concedere.

Cum accedentibus tempore gratiæ quomodo agendum, nè fictè conuertantur.

REGVLA XLVIII.

ACcedentes tempore gratiæ, & delicta sua hæresis, vel apostasiæ confitentes, cum magna cautela recipiendi sunt, ne fraudulenter simulata conuersione sub agni specie lupũ tegant. Vnde eorum confessio esse debet iudicialis coram Inquisitore, & Ministris per scripturam authenticam Notarij, præmisso iuramẽto de veritate dicenda, tam circa se, quàm circa alios examinatis etiam testibus.

10 TRadunt totam hanc præter DD. citatos alij etiam in ostensione partium eius citandi: Pro prima de recipiendis cum cautela venientibus tempore gratiæ facit manifestè textus in cap. vt officium S. Prouiso solerter, de hæreticis in 6. & affert Ant. Sousa lib. 4. aphor. cap. 13. num. 1.

11 Quod autem confessio debeat esse iudicialis &c. constat ex consilio Biterren. cap. 4. & 5. vt refert, & docet ibidem Peña. Ratio est, quia dicta gratiæ concessio dirigitur ad extirpandas hæreses, vt inde emendatio, & præuentio ad non reincidendum proueniat, quod per solam confessionem iudicialem obtineri potest, cum sacramentalis ad id non inseruiat, nec prębeat indicium ad procedendum, si fortè reincidentia succederet, argumento ex cap. si Sacerdos, de officio Ordin. & tradit Ant. Gomez tom. 3. var. cap. 13. num. 9. cum Bald. in l. Archigerõtes, C. de Episcop. audien.

12 Ob candem etiam causam, seu finis dicti obtentionem, obseruandum etiam omnino, quod in Regula adiungitur de scriptura authentica, & de emissione iuramenti, & de examinandis testibus, ita idem Sousa, vbi supra n. 4 & Peña per eum relatus, cum Gloss. in cap. indicantem 30. q. 5.

13 Nota cum Eymerico 3. par. Direct. num. 59: cum Peña ibi, commen. 12 & cum Campegio in Zanchin. cap. 34. vers. considerent etiam, meritò esse prohibitum Inquisitoribus audire sacramentaliter confessionem cuiusuis, qui tẽpore gratię, vel antequam legitimè sit præuentus, ad se propalandum accedit; quia inde magnum inconueniens potest prouenire, nempe quod sic sacramentaliter confessus, si postea progressu temporis denuntietur, Inquisitori imponet confessionem eius sacramentalem reuelasse: Item quia Inquisitor non est Iudex in foro pœnitentię &c.

14 Prohibitio autem dicta Inquisitoribus nostri Tribunalis Melitensis iniuncta sępius fuit, vt patet ex diuersis litteris iussu sacrę Congregationis ad eos missis; quę cum multis alijs in Archiuio prędicti Tribunalis asseruantur.

An aliquando sit locus compositioni pro crimine hæresis?

REGVLA XLIX.

15 TAmetsi pro alijs criminibus, etiam capitalibus fieri possit compositio pecuniaria (exceptio vbi id lege peculiari, aut ratione cogẽte prohibitũ est) pro crimine tamen hęresis cũ recõciliatis tẽpore gratię, aut ante pręuentionẽ legitimis inditijs comparentibus nunquã est locus pecuniariæ transactionis, nisi hæc à solo Papa, & non ab alio fiat, imò ab ipso Papa id raro, aut nullo modo fieri valdè expediret.

16 IN hac quoad vtramque partem affirmatiuam, & negatiuam sunt concordes Doctores exponentes l. transigere, C. de transact. vbi Cynus q. 4. vers. hanc etiam, & Purpuratus n. 41

circa ius Canonicum, cap. in omnibus 2. q.3. & ibi Archid. atque alij, item Pari. de Puteo cap.3. de syndicatu verb. compositio, & Ioan.
17 Rojas in singularibus fidei, singul.210. Neque pro parte affirmante maior est adhibenda probatio, quam quod in d. l. transigere id expresse concedatur.

18 Pro parte vero negante, quæ est magis propria nostri instituti, sit primum argumentum negatiuum, quia nullibi in iure canonico concessum reperitur, quod pro hæresi, apostasia, blasphemia, & alijs criminibus, quæ immediate contra Deum committuntur, possit fieri compositio pecuniaria, nec concessio d. l. transigere, vel alterius, si quæ est similis in Iure Ciuili, ad hoc sufficit; nam cum causæ fidei sint Ecclesiasticę, nihil circa eas Reges, aut Principes
19 seculares possunt. Inde etiam ostenditur, quia nusquam legimus fuisse factam huiusmodi cōpositionem pecuniariam ab Inquisitoribus Generalibus, aut ab Eminentissimis Cardinalibus S. Congregationis Vrbis in delictis contra fidē, nec vlla consuetudo circa hoc allegari potest, ergo nequeunt ipsi, & multo minus Inquisitores Prouinciales in eis talem compositionem
20 facere. Tandem quia prouenientibus tempore gratiæ, aut antequam legitimis indicijs sint præuenti vnā ex immunitatibus est, quod eorum bona non sint confiscanda; ergò neque per similem compositionem erunt minuenda, Vide Peñam 3 p. direct. commen.7. vbi adducit Concilium Narbonense.

21 Solum superest quod in vltima parte Regulæ additur de potestate Papæ circa hoc: & quidē negari nequit, quod immunitates tēporis gratiæ subsint dispositioni Summi Pontificis; ergo poterunt ab eo limitari, & consequenter prędictam transactionem pecuniariam in delictis hę
22 resis &c. fieri. Verum valdè expediens, rarò aut nūquam ab eo id fiat, cū paucissimæ, aut nullæ occurrere possint causę rationabiles sic faciendi; cum inde etiam aliqua appareat auaritiæ præsumptio, quæ prorsus ab ipso vitanda: ita Anton. Sousa ibidem cap.14. num.4.

23 Inferendum hinc nullus putet, quod nequeant Inquisitores recōciliatis tempore gratiæ imponere aliqualem pœnitentiam pecuniariam in vsus pios, præsertim in auxilium contra hæreticos, aut infideles expendendam. Hoc enim eis conceditur per instructionem Hispalensem de anno 1484 c.3. vt tradit Peña de tempore gratiæ c.25 post Albert. in repet.c.1.
24 de hæreticis lib.6.q 12.nu.4 *Hoc tamen*, inquit, Sousa citatus n.3. *nunquam consulerem*: Atq. in hoc nostro Tribunali Melitēsi nullo modo est
25 in vsu. Verum de pœnitentijs, & pœnis pecuniarijs iniungendis ab Inquisitore ex professo agemus lib.6. tanquam in proprio loco: sicut de reconciliatis tempore gratię, an sint expediendi cum aliqua abiuratione, vel secus lib.5. erit locus tractandi.

Quid de concessione gratiarum Generalium in crimine hæresis pro tempore præterito, aut futuro?

REGVLA L.

26 QVamuis possint Summi Pontifices solū per aliquod tēpus, sed absolutè gratias, seu venias generales cū diuersis immunitatibus hereticis, aut apostatis concede[re] fuerintq. aliquoties à Clem. vij. à Paulo iij Clem. viij rationabiliter concessę; conuen[ien]tius tamen, seu omnino expediens appar[et] ne amplius imposterum eis concedantur.

27 TRactat de hoc benè, & copiosè Ant. So[usa] lib.4. aphor. vltimis 8. capitibus, vi[de] pauca nos pro declaratione Regulę per sin[gulas] partes decerpemus. Primò de potestate, ma[nife]stus est error in fide eā Papę negare, remitte[ndi] scilicet quæcumq. delicta hæreticis, & rela[xandi] omnē pœnam temporalē contra illud Matt. *Quodcumq. solueris super terram erit soluti in Cælis*, facit etiam pro hoc text. in c. De[...] 2.q.6. in c. ad honorem, de auctoritate, & v[su]
28 pall. & in c. proposuit de concess. præben. E[x] quibus constat de fide certum Romanum Pō[n]tificem esse supremum Iudicem in causis here[ticalibus]ticalibus; sicut in quibusuis alijs, Eccle[siasticis] maximè, posseq. pro sua suprema potesta[te] gratiam, seu veniam generalem crimina q[uæ]
29 contra fidem remittere. Quod intelligitu[r] iam antea commissis, non verò de cōmitte[ndis] in futurum; alioquin dicta potestas esset n[on in] ædificationem, sed in destructionem cōtra [pu]blicam vtilitatem, periclitareturq. tota Ec[cle]sia c. sunt quidem 25.q.1. & c. si Papa 40.
30 Nam inde inuitarentur homines ad delinq[uen]dum, si delicta committenda iam essent rem[is]sa absq. vllo timore punitionis contra l. conu[e]nire, ff. de pact. dotal. Quę omnia docet eg[re]gie Parigius 4 p. consilior. cons.1. à num.6
31 Iam de facto ipso, visum est Clementi vij Paulo iij. vt constat ex Bullis, quarum me[mi]nit Laertius Cherubinus, vt traditum à Prolegom. viij. num.5. & 6. ob multas c[ausas] tunc vrgentes (quas lege apud eundem S[ou]sam cap.19.) gratiam, seu veniam genera[lem] concedere in Regno Lusitaniæ ijs, qui ex [Iu]daismo ad fidem Catholicam conuersi reiu[da]zauerant ab ea apostatando, vel in eosdem
32 errores incidendo. Ad cuius etiam ven[iæ] concessionem inductus est postea Clemens v[iij] postulante Rege Catholico, pro taliter apo[sta]tantibus, & pro alijs penè innumeris per [...] norum spatium, qui post susceptam nostram [fi]dem passim ad Mahumetisinum redierant.
33 Ad hunc autem finem talis veniæ general[is] concessio, vt tam isti, quam illi viscera piet[a]tis, & clementiæ Summorum Pontificum, [&] Matris nostræ Sanctæ Ecclesiæ experientes, veram fidei, & salutis æternæ viam toto co[r]de amplectendam allicerentur; multis inter[im] missis concionatoribus Catholicis, qui id [per]suaderent veniam generalem concessam p[ro] delictis contra fidem præteritis absque vllo ti[mo]re Tribunalis Sancti Officij ipsis in partic[u]lari denuntiantes, sed frustrà diu laborat[um] perma-

permanentibus eisdem simulanter obstinatis in suis erroribus sectæ Mahometanæ. Vnde ad multorum centum millium eorum expulsionem ex Regnis, & Dominijs Catholicorū Regū circa annū 1610. meritò fuit deuentū, & quod Deo sit gratia, feliciter executioni mandatum.

De tertio denique, quod expediens omninò sit nunquam imposterum similes gratias, seu venias generales concedere, inde patet, quia id nihil aliud inseruirent earum denuò concessiones, nisi ad celandam perfidiam, & effugatis pœnis ad conscientiæ libertatem: ita Albertinus in repet. cap. 1. de hæreticis lib. 6. q. 12. num. 4. loquendo de tempore gratiæ Iudæis Maioricensibus cōcesso Anno 1488. *Quibus, inquit, parum profuerunt gratia, & misericordia, quia ab illis temporibus vsque ad annum 1524. plures fuerunt traditi Curiæ seculari, & alijs pœnis affecti, & nunquam se emēdare voluerunt*; hæc Albertinus: idem affirmat Peña de tempore gratiæ cap. 23. §. 12. vt eum citat Anton. Sousa vbi supra.

Qui Sousa optimè concludit cap. 22. multo magis esse abstinendum à concessione dictæ gratiæ, seu veniæ generalis, si Rex, aut Princeps quiuis eam à Papa ob pecunias à dictis apostatis, seu hæreticis iam acceptas, vel large oblatas, postea recipiendas, ipsis enixè impetrare procuret; cum huiusmodi pecuniarum acceptione, & oblatione Deus quam maximè offendatur; ac proinde iam diù strictè prohibita, sub grauissimis pœnis, & censuris per extrauagantem 1. de sent. excom. Bonifacij viij. *vide plura* apud citatum Sousam: nobis adducta nunc sint satis de gratijs, seu venijs generalibus; de gratia item per aliquod tempus 30. vel 40. dierum: recurret fortè occasio alibi, maximè lib. 6. de his aliquid dicendi. De gratia, seu beneficio spōtaneæ comparitionis, qua semper frui possunt delinquentes contra fidem dum non sunt præuenti legitimis indicijs, iam in præfatione ad lectorem diximus, & erit opportunior locus amplius dicendi in fine lib. 2.

Edictum S. Inquisitionis quando, & qualiter publicandum pro denuntiandis hæreticis?

REGVLA LI.

Sub finem temporis gratiæ publicari debet de mandato Inquisitoris Edictum iustitiæ, seu monitorium, cum clausula, quod omnes, qui sciuerint, vel audierint aliquos crimina contra fidem Catholicam commisisse, vel de hoc quoquomodo, suspectos esse infra certos dies 9. vel 12. aut 15. vt illi opportunius visum fuerit, teneantur eidem Inquisitori reuelare.

PAtet clarè ex Concilio Bitterrensi cap. 1. & adducit eum Eymer. 3 p. Direct. n. 51. Peña commen. 12. & Antōn. Sousa lib. 4 Aphoris. cap. 12. num. 4 Quod dixi, sub finem temporis gratiæ, intelligitur, nisi prius vtriq. Edicto gratiæ, & iustitiæ vnica publicatione, & concione fuerit satisfactum, vt satisfieri posse pau-
42 lo ante asserui. Verum cum tempus gratiæ raro concedatur, vt Regula 47. ostensum, conuenientius apparet præcedat publicatio talis concessionis totum ferè spatium illorum dierum, quibus gratia durat, publicationi edicti iustitiæ, cum tunc incipiat vrgere obligatio denunciandi, & dum tempus gratiæ durat, nullæ sint denunciationes recipiendæ.

43 Forma autem huius edicti iustitiæ pro diuersitate Tribunalium Sanctæ Inquisitionis, diuersa etiam esse solet, maximè quoad expressionem specificam plurium, vel paucio um casuū, seu criminum, quæ contra fidem committuntur.

44 Nam edictum per longum publicari solitum pro Tribunalibus Hispaniæ, & Dominiorum Regis Catholici valdè plura continet capita criminum in specie pertinentia ad Iudaismum plura item ad Mahometismum, perplura etiā ad Lutheranismum, & ad alias hereticorum sectas; quæ non continentur expressè, sed tantū implicitè in breuiori edicto, quod publicandi antiquus est vsus pro Tribunalibus Italiæ, &
45 alijs sacræ Congregationi Vrbis subiectis. Verum ne libera maneret vnicuique Inquisitori facultas aliquid ei adiungendi, vel detrahendi, circa annum 1607. sub eadem forma pro istis omnibus ab eadem sacra Congregatione fuit transmissum ad quoscumque Inquisitores, & & iniunctum eis, vt sub tali forma, absq. vllius adiunctione, vel detractione semper publicetur, & Ecclesiarum valuis, locisq. publicis affigatur.

46 Exemplar litterarum, quibus id eis iniungitur vulgari lingua Italica, ac ipsū etiā similiter edictū vti in originali habetur, visū est hic adducere.

Litteræ Eminentissimi Cardinalis Arigonæ ad Inquisitores de publicatione Edicti sub eadem forma iussu Sacræ Congregationis Vrbis.

ILlustre, e molto Reuerendo Sig. come fratello. Considerando questi miei Illustriss. Signori Colleghi, che l'Inquisitori nel publicare gl' Editti del Santo Officio vsano diuerse forme, e spesso ambigue, e confuse, hanno resoluto, che per l'auuenire si publichino detti Editti, conforme alla minuta fatta di loro ordine, della quale, datane anco parte alla Santità di N. S. ne mando à V. S.
47 *l'inclusa copia, acciò la faccia così publicare in cotesta sua giurisdittione più volte frà l'anno, come nel principio di Quaresima, feste del santissimo Sacramento, e dell'Auuento, acciò se n'habbia notitia con far di più registrare ne' libri di cotesta Inquisitione la presente, con detta mi-*
48 *nuta per instruttione de successori; auuertendo V. S. che per quest' Editto, non si prohibisce di publicare ne à lei, ne à successori l'Editto di gratia nel principio del suo officio, acciò le persone s'inuijno à cōparire spontaneamente per sgrauio delle loro conscienze. E di quanto V. S. hauerà esseguito sia contenta darne auuiso. Con che N. S. Dio da male la guardi, e diale ogni prosperità. Di Roma li 22. Settembre 1607.*

Di V. S. Ill. e molto Reu. come fratello
P. Cardinal Arigone.

49 Hactenus litteræ, in quibus duo præcipue notãda omissis alijs: Primo quod iniungant publicationem Edicti saltem ter in anno, atque hoc crederem obseruarij in alijs Tribunalibus S. Inquisitionis, in isto nostro Melitensi attenta qualitate loci, & Incolarum huius Ciuitatis, iudicatum fortè non expediens toties publice-
50 tur. Secundo, quod in eis distinguatur claré inter edictum gratiæ, & edictum iustitiæ, atque quod publicatio illius nulli Inquisitori prohibeatur initio sui officij. Verum istius publicationis nullus est vsus in hoc nostro Tribunali, existimo inde prouenire; quod Inquisitores sępius mutentur, vixq. per triẽnium vniuscuiusq. iurisdictio duret; atq. esset nimis frequens concessio temporis gratiæ, & ansam inde peccandi contra fidem homines sumerent, si ab vnoquo-
51 que eorum tempus gratię concederetur. Aut fortè inde prouenit, quod dispositum in dictis litteris à nouis Inquisitoribus non aduertatur,
52 seu ignoretur. Publicatur tamen, vt ipse sæpius præstiti, simul cum dicto iustitiæ, gratia spontaneæ comparitionis; quę non ad tempus limitatum 30. aut 40. dierum, sed semper durat, dum rei non sunt legitimis indicijs præuenti, ac denuntiati: de quo nos in fine libri 2. agemus.

Exemplar Edicti Sanctæ Inquisitionis iussu Sacræ Congregationis in omnibus Tribunalibus ei subiectis publicandi.

53 *DEsiderando come ricerca il carrico di questo Santo Officio à noi imposto, che la sacrosanta Fede Cattolica (senza la quale è impossibile piacer à Dio) in questa nostra giurisditione da ogni heretical contagio immaculata, e pura si conserui, con auttorità Apostolica à noi concessa in virtù di sant'Obedienza, e sotto pena di scommunica, oltre l'altre pene da' sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de Sommi Pontefici imposte, comandiamo à tutti, e ciascheduna persona di nostra giurisdittione di qualunque conditione, stato, grado, ò dignità, cosi Ecclesiastica, come mondana, sia quantosiuoglia grande, etiamdio della Religione Gierosolimitana, che fra dodici giorni prossimi, de' quali i primi quattro assignamo per il primo, gl'altri quattro immediatè per il secondo, e gl'vltimi 4 per terzo vltimo, e peremptorio termine debbano al Sant'Offitio di quest'Isola riuelare, e notificare giuridicamente tutti, e ciascuno di quelli de quali sappiano, ò habbiano hauuta, ò haueranno notitia.*

54 *Che siano heretici, ò sospetti, ò diffamati di heresia, ò credenti, ò fautori, ò recettatori, ò defensori loro, ò habbiano aderito, ò aderiscono à i riti de Giudei, ò Mahomettani, ò de Saraceni, ò di Gentili, ò habbiano apostatato dalla sancta Fe-*
55 *de Christiana, ò in qualunque modo espressamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, ò gl'habbino prestato, ò prestino honore, ò habbiano hauuto parte, ò si siano ingeriti, ò s'ingeriscono in qual si sia esperimento di Magia, ò Negromantia, Incantesimi, ò altre simili superstitiose atti oni, e massime con abuso di cose sacre.*

56 *Che con sacrilego ardire, non essendo Sacerdoti, s'habbiano vsurpato, ò si vsurpino di celebrare Messa, ò habbiano presunto, ò presumino di ministrare il sacramento della Penitenza à Fedeli di Christo:*

57 *Ch'habbiano abusato, ò abusino il sacramento della Penitenza contro à i Decreti, e Constitutioni Apostoliche.*

58 *Ch'habbiano celebrato, ò celebrino occulti conuenticoli in materia di Religione.*

59 *Che contro Dio, ò de suoi Santi, e particolarmente contro della Beatissima Vergine Maria proferiscono bestemmie heteticali.*

60 *Ch'habbiano impedito, ò impediscono l'officio della santa Inquisitione, ò habbiano offeso, ò offendono alcun testimonio, ò denuntiante, ò ministro di essa.*

61 *Ch'habbiano hauuto, ò habbiano libri, ò scritti, che contengono heresie, o libri d'heretici, che trattino di Religione, ò in qualunque modo prohibiti senza l'autorità della santa Sede Apostolica, ò che l'habbiano letti, ò tenuti, ò stampati, ò fatti stampare, ò difesi, ò li leggano, ò tengano, stampano, fanno stampare, ò defendono sotto qualsiuoglia pretesto, ò colore, ò vero libri di negromantia, magia, ò contin enti incantationi, sortilegij, e simili superstitioni massime con abuso di cose sacre.*

62 *Dichiarando, che per la sopradetta espressione de casi da noi specificati da reuelarsi, come sopra non escludemo gl'altri casi spettanti al Santo Offitio, che per altro ne i sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de Sommi Pontefici sono compresi.*

63 *Auuertendo, ch'à questi nostri precetti non sodisfaranno, ne s'intendino sodisfare quelli, che con bollettini, ò lettere senza nome, ò cognome degl'Autori, ò in altra maniera incerte (de quali niun conto si tiene nel S. Offitio) pretendessero riuelare i delinquenti.*

64 *E della detta Scommunica, e pene nelle quali i disobedienti incorreranno, non possa alcuno esser assoluto, se non da Noi, ò dal supremo Tribunale del S. Offitio di Roma, ne sarà assoluto, se prima giuridicamente reuelando i detti heretici, come di sopra, ò sospetti d'heresia non haueranno sodisfatto.*

Dat. in Palatio Sanctiss. Inquis. Melitensi

65 En ad litteram integrum Sanctæ Inquisitionis Edictum, quod quamuis claris, & perspicuis terminis propositum appareat, indiget tamen commentatione, & exacta singularium partium declaratione: in hocq. nũc nobis elaborandum, & expediẽdum per plura capita, per multiplices in vnoquoq. istorum Regulas.
66 His autẽ omnibus auxiliabimur, & lumen preferemus triplici personarũ generi, nẽpe quibusc umq. obligatis denũtiare, Inquisitori crimina ad S. Officiũ spectãtia, vt cognoscant quenã sint hęc, & quãdonã ad denunciandũ accedere te-
67 neãtur. Itẽ nouo cuilibet Inquisitori vt sciat de quibus casibus cognoscere valeat, seu ad quę delicta cuius iurisdictio se extẽdat. Tãdẽ Theo-

logo

loco cuiuis qualificatori, siue Consultori, vt dictis aut factis, seu casibus, de quibus consulitur ab Inquisitore in Congregatione, vel extra eam, aut ab alijs, qui dubitant, an astringantur obligatione denuntiandi, legitimam censuram, seu qualificationem tribuere possit, quod præcipue toto hoc libro primo nostri operis de Consultore sancti Officij, & in hac maximè propositi edicti commentatione intendimus.

CAPVT VII.

De natura, & essentia fidei, deque eius vtroque obiecto formali, & materiali atque de normis, seu medijs, quibus hoc proponitur.

PROOEMIOLVM.

INchoanda necessario hæc propositi edicti commentatio a primis eius verbis, nempe (*Desiderando come ricerca il carico di questo Sant' Officio a noi imposto, che la Sacrosanta Fede, &c.*) ex Italico in Latinum sic translatis (quod postea de reliquis fere similiter fiet) *Cum in votis maximè habeamus, vti exigit sancti Officij munus nobis iniunctum, vt Sacrosancta Fides Catholica, (sine qua, vt testatur Apostolus ad* Hebræos xj. *impossibile est placere Deo) in his nostræ iurisdictionis locis ab omni hæresum labe munda omnino, & intacta seruetur &c.* Vbi, & eiusdem edicti publicationis, & totius negotij Sanctæ Inquisitionis præcipuus finis, quasi procemij loco præmittitur: vnde non ab res imo valde opportunum iudico, si ipsius fidei materiam, non ea prolixitate, qua ab aliquibus Doctoribus nostri temporis, præcipue ab antesignano ipsorum nostro Francisco Suarez, admodum copioso tractatu, in duas partes speculatiuam, & moralem per longissimas disputationes diuiso traditur; sed summa, qua poterit breuitate quadruplici tantum capitulo, solitis Regulis perstringamus. Sine huius enim cognitione, nequaquam Consultor sanctæ Inquisitionis munus suum exercere valebit, maxime quoad qualificationem.

Quæ, & quotuplex definitio Fidei, & acceptio huius nominis?

REGVLA LII.

SVmpto presse fidei nomine, prout spectat ad præsens institutum, a D. Paulo ad Hebræos 11. sic definitur, *est autem fides sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*; aut cum communi scholasticorum; ita, Fides est habitus virtutis infusus, quo infallibiliter, & sine vlla formidine credimus a Deo reuelatis, ob authoritatem Dei reuelātis.

HAnc secundam definitionem, quæ manifeste innotescet ex dicēdis toto hoc capite, & sequenti, colligunt ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 2. art. 1. Valentia, Bannes, & alij eius expositores, quos citat, & sequitur Castrus Palao tract. 4. de fide, disp. 1. pun. 1. qui egregie, & breuiter ibi explicat primam illam Apostoli definitionem: nempe, dicitur *substanti a, seu subsistentia rerum sperandarum*, quia per eam iuxta explicationem D. Chrysostomi homil. 21. in supradictum cap. 11. ad Hebræos, & Magistri sententiarum in 3. dist. 23. subsistunt aliqua ratione in nobis præmia æternæ gloriæ, quæ speramus; & quia fides vti fundamentum substat reliquis virtutibus, quibus via disponitur ad dictam gloriam. Item dicitur, *argumentum non apparentium*, propter ineuidentiam in ipsa contentam, simul cum omnimoda certitudine, fundata in authoritate Dei, vt postea magis ostendetur. Manet tamen iam complete ostensum, fuisse hoc loco ab Apostolo definitam fidei virtutē, quæ est vna ex tribus Theologicis, cum ipsi sit sermo de ea, ex qua iustus viuit, teste eodem Apostolo ad Hebræos 10. Ita cum Basilio, Chrysost. Greg. August. & alijs Sanctis Patribus ab eo citatis tradit Valentia disp. 1. q. 4. pun. 1.

5 Nec releuat obiectio contra hanc Apostoli definitionem fieri solita, quod multa fideles credant, quæ non sperant, exempli gratia, credunt infernum, quod non sperant, sed timent; credunt primos parentes peccasse, quod nec sperant, nec timent: nam cum D. Paulus ait *fidem esse substantiam rerum sperandarum*, eam definit in ordine ad obiectum principale, nempe Deum speratum, & nō negat de alijs rebus
6 fidem dari. Atque cum asserit *esse substantiam rerum sperandarum*, nequaquam intendit, quod necessario sit semper coniuncta fides cum spe, cum sine hac possit quandoq; illa reperiri, licet non e contra: ita idem Castrus Palao vbi supra.

7 Dixi, sumpto presse fidei nomine, nam si late sumatur, multiplices sunt eius acceptiones, vt videre est apud Sanctum Bonauenturam in 3. dist. 23. dub. 2. & apud Alex. Alensem in 3. par. q. 64. mem. 1. quorum ille decem, & hic vndecim enumerat: contra hos insurgens, Sotus lib. 2. de narura, & gratia, capit 6. nescio quo fundamento duo tantum vocis fidei significata approbat quam approbationem quamuis non videatur reijcere Suarez, dū disp. 1. procemiali, sec. 1. diuidendo generice affirmat nomen fides, in omni proprietate sumptum, aliquando significare peculiarem perfectionem voluntatis,

tatis, aliquando vero peculiarem intellectus,
subdiuidendo tamen in specie, promtroque
membro, cum dictis Bonauentura, & Alensi
multo plures eius acceptiones bene admittit,
& erudite ostendit, tum ex Scriptura Sacra, &
prosana, tum ex Sanctis Patribus præcipue ex
Augustino lib. de mendacio cap. 20. & lib. de
8 spiritu & litt. cap. 31. Vbi manifeste ab eo du-
plicis fidei acceptio, seu distinctio proponi-
tur, altera, qua fideliter alcui aliquid promit-
titur, quæ fidelitas perfectio est voluntatis, &
hanc constantem facit in adimplendo promis-
so. hinc Rom. 3. de Deo ait Paulus, *numquid in-
credelitas eorum fidem Dei euacuauit*. Hinc et-
iam 1. ad Timot. 5. *habentes damnationem, quia
primam fidem* (idest fidelitatem ex voto debi-
9 tam) irritam fecerunt; & similia passim. Præ-
ter fidelitatem an, & qualiter fiducia, veritas
item, & alia ad perfectionem etiam voluntatis
pertinentia, nomine fidei saltem analogice si-
gnificentur, expendit copiose citatus Suarez,
quæ omitto tanquam remota a nostro proposi-
to: legas quæso apud ipsum.
10 Altera autem acceptio nominis fidei, seu
distinctio huius ab Augustino proposita ad
perfectionem intellectus spectans, iam præsen-
ti instituto valde propinqua, est ea, qua alicui
dicenti, vel scribenti credimus. Hinc iudicium
practicum de agendis, in quo secundum D.
Thomam. 1. 2. q. 19. art. 5. conscientia hominis
consistit, vocatur fides, iuxta illud Rom. 14.
Quod non est ex fide, idest, quod nō est secundū
11 conscientiam, *peccatum est*. Verum si contra-
cta hæc vox fides, significat cognitionem ob-
scuram, in testimonio dicentis fundatam: atq;
hæc communis ratio fidei a diuina, quæ funda-
tur in testimonio Dei, & ab humana, quæ niti-
tur in auctoritate creaturæ rationalis, vniuoce
abstrahitur: & similiter in vtramque diuiditur
12 ex mente Suarij dicta sec. 1. num. 11. Illud itē
hic notandum, quamuis ad Philosophum mo-
ralem spectet de dicta fide humana agere, no-
bisque solum futurus sit sermo de diuina, seu
Theologica; cum tamē hæc regulariter loquē-
do non acquiratur sine aliquo adiutorio illius,
vt bene ait idem Suarez sect. 2. aut iam expli-
cata supponetur, aut vbi opus fuerit, obiter vt
cumque a nobis explicabitur.
13 Tandem aduertendum cum eodem Suarez
ad tollendam æquiuocationem, quod nomen
fidei etiam presse sumptum, prout in Regula
præcedenti tria contineat significata, quæ in-
dicantur a nobis in secunda ex propositis defi-
nitionibus: & patet ex Scriptura Sacra, signi-
ficat enim primo habitum seu lumen fidei, &
de hoc intelligitur illud 1. Corin. 13. *Nunc au-
tem manent tria hæc fides, spes, charitas*; Quod
confirmat Tridentinum sess. 6. cap. 7. *in iustifi-
catione hominis simul infundi fidem, spem, &
charitatem*. Item significat actum fidei a dicto
habitu elicitum; & de hoc est sermo Matt. 9. *se-
cundum fidem vestram fiat vobis*, atq; Roman. 1.
Fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.
14 Significat tertio doctrinam fidei, seu obiectū
eius: & in hoc significato agitur de fide ad Ga-
lat. 1. *Cum venisset fides*, idest doctrina fidei, &
similiter ad Eph. 4. *Vnus Deus, vna fides*, & A-
poc. 2. *Non negasti fidem meam*, in symbolo de-
niq; Sancti Athanasij. *Hæc est fides Catholic[a]
quam nisi quisque integram &c.*
15 Non immoror in explicando, quodnam e[x]
his tribus fidei significatis sit præcipuum, v[i]-
de Suarez citatum, qui ibi ostendit esse prim[um].
Neq; item immoror hic in ostendendo qual[i]-
ter vltra dicta significata nomen fides conti-
neat alia tria, nempe virtutem patrandi mira-
cula, quæ dicitur fides miraculorum, & fidem
quę enumeratur inter gratias gratis datas, atq;
fidem, quæ reponitur inter fructus Spiri[tus]
Sancti, vt ait idem Suarez adductus, quo[d]
16 forte alibi aliquid de his dicetur. Nunc v[ero]
sequitur dicendum de obiecto fidei, quod
sit duplex, nempe formale, idest ratio sub
seu motiuum, propter quod fides credit,
materiale, idest materia circa quam fides v[er]-
satur; quod etiam dicitur subiectum mater[ia]-
le fidei (vtroq; enim termino multi Docto[res]
indifferenter vtuntur) explicatio huius
17 cedat, conuenientius iudicaui. Omissis e[tiam]
alijs, quæ idem Suarez longiuscule, vt a[lia]
adducit, quod subiectum sit res simplex,
incomplexa, & obiectum sit propositio [com]-
plexa, quæ de tali re creditur: Item qua[e di]-
cit de subiecto adhæsionis, & de subiecto [attri]-
butionis fidei.

*Quodnam primarium, & adæquatum obiect[um]
materiale Fidei?*

REGVLA LIII.

18 TAmetsi Deus Opt. Max. secundum rat[io]-
nem Deitatis, & essentiæ suæ, ac tri[næ]
Diuinæ Personalitatis sit præcipuum, & pri[ma]-
rium obiectum materiale fidei, hincq; *illa* de[...]
nominetur virtus Theologica, non tam[en] e[st]
adæquatum, & completum: verum quæc[umque]
continentur siue explicite, siue implicite in [fi]-
dei symbolo, atq; ea sola ipsum adæquant,
complent.

19 OStenditur per partes: innotescit prim[o]
vt de fide certum ex Scriptura Sac[ra]
Marc. 11. ait Christus Dominus, *Habete f[idem]
Dei*, & Paulus 1. ad Thess. 1. *Fides, qua e[st ad]
Deum*, & clarius ad Hebræos 11. cum dix[isset]
sine fide impossibile est placere Deo, statim [sub]-
iungit: *Quia accedentem ad Deum oportet c[re]-
dere, quia est*, ergo assignat Deum, & eius e[ssen]-
tiam, tanquam primarium, & principalem t[er]-
minum, in quem fides tendit. Consonat D. A[u]-
gustinus 4. de Ciuit. cap. 20. *Fidei*, inquit, *vn[um]
& primum, ac maximum officium est, vt in v[erum]
20 credatur Deum*. Quare reijciendus omnin[o]
Gregorius Arimin. q. 4. Proleg. & si quis est ali-
us, qui contra communem doctrinam Augu[st].
& Theologorum asserat Deū sub ratione Sal-
uatoris, vel Glorificatoris esse obiectum fidei
primarium, & multo magis reijciendus est Cal-
uinus, qui impudenter audet reprehendere
Scholasticos Catholicos affirmantes *Deum in
ratione Deitatis, & attributorum essentialium,*

ac per

... personalitatum esse obiectum primarium, & præcipuum fidei Christianæ. Huius enim reprehensio, & illius assertio nullibi fundatur, neq; in testimonio D. Ioannis cap. 20. *Hæc,* inquit, *scripta sunt, vt credatis Iesum esse filium Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*: loquitur sibi Sanctus Apostolus de secundario, & non de primario fidei obiecto. Doctrina autem tradita firmissimum habet fundamentũ, tum in locis scripturæ adductis, tum in modo loquendi Christi Domini; Ioan. 14. *Creditis,* inquit, *in Deum, & in me credite*: quasi illud sit primarium, & hoc consequens, similiter Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscãt te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christũ.* Atq; hoc confirmat ordo, qui seruatur in symbolis prius enim ibi traduntur, quæ spectant ad diuinitatem, & postea, quæ ad humanitatẽ; consonat etiam dictis D. Thomas 2. 2. q. 176. art. 6. asserens *in duobus principaliter consistere fidem, primo in Dei cognitione, & deinde in fide Incarnationis Verbi.*

Quod autem Deus non sit adæquatum fidei obiectum directe, & per se loquendo cum D. Thoma 2. 2. q. 1. art. 1. & q. 14. de veritate art. 8. omnes, vt certum tradunt scriptores, vno excepto Paludano, qui in 3. dist. 24. q. 1. conclus. nimis inconsiderate dixit, *nullum dari propositionem fide infusa creditam, quæ habeat pro obiecto creaturã, vnde manifeste sequitur, nullum ens creatum esse subiectum, seu obiectum fidei.* Verum Paludani sententia non solum probabilitate caret; sed contraria etiam fidei aperte videtur: cũ hæc propositio, David Rex genuit Salomonem per fidem infusam credenda, quod expresse in scriptura tradatur, & similiter aliæ pene innumeræ, in quibus subiecta sunt creata. Atq; hinc concludendum cũ D. Thoma citato, cum Scot. in 3. dist. 23. q. vnica, cum Gabr. ibidem, & cum reliquis, quod ... est reuelabile a Deo obscura reuelatione obiectum fidei adæquatum, & directũ. Quamquam si loquamur partim directe, seu in recto, partim vero indirecte, seu in obliquo, Deus dici potest aliquo modo obiectum fidei adæquatum. Constat ex D. Thoma dicto art. 1. vbi format argumentum ex fidei similitudine cum scientia medica, quæ licet habeat pro obiecto sanitatem, agit tamen de reliquis, prout ad sanitatem conferunt; *similiter,* inquit, *fides respicit primario Deum, dein ea, quæ ad Deum ordinantur*: hunc autẽ ordinem habent quęcunq; ... entia, etiam primatiua, imo, & peccata quatenus hæc Deo remittuntur, vel puniuntur, vel quatenus per ea homo a Deo recedit, ergo in quouis obiecto, de quo fides aliquid credit, includitur Deus aliqua ratione; ita ergo ipse in recto, & in obliquo est obiectum adæquatum fidei.

Vltima pars Regulæ, quod omnia, & sola contenta in symbolo fidei adæquent, & component eius obiectum, tangit illam grauem difficultatem, an præter contenta in symbolo Apostolorum, sint alia credibilia, seu obiecta fidei partialia, ita vt successu temporis ista creuerint? tractat de hoc admodum copiose Sua-

27 rez citatus sect. 5. & 6. Verum ex duabus particulis sub distinctione in ipsa Regula appositis, explicite scilicet, vel implicite, iam fere tota difficultas soluta manet, nam licet dubitari non possit, quæcumq; habentur in Scripturis Sacris, & in traditionibus Apostolorum, per se, & directe spectant ad complementum materiæ, seu obiecti fidei, quod ex communi omnium tradit Castrus Palao, vbi supra pun. 4. §. 3. constat tamen hæc omnia altero ex his modis in dicto symbolo contineri: cum implicite, seu virtualiter ibi contineantur, vt aduertit D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 6. non solum quæ per occasionem, seu per accidens reuelata fuere, & sunt pene innumera, non simpliciter necessaria ad animæ salutem, & gloriæ æternæ acquisitionem, sed nonnulla etiam ex his, quæ vt media per se ordinata ad eam comparandam ab-
28 solute conducunt, exemplũ pono in Augustissimo Eucharistiæ mysterio, quod ex mente D. Thomæ, & multorum eius interpretum (licet alij aliter sentiant) sub particula symboli, Omnipotentem, implicite cõtinetur, & sic de alijs.

29 Verum vt ista prædicta, & alia postea inferenda clarius capiantur, notandum diligenter, cum nomen symbolum, quod Græcum est ex vsu impositionis, aut etymologiæ duo significet, nempe signum, & collectionem, opportune admodum (quidquid contra hoc garriat Lutherus) fuisse applicatam hanc vocem ad significandam breuem quamdam summam, seu collectionem articulorũ fidei, quæ esset fidelibus tanquam signum professionis suæ, & per eam ipsi sufficienter in rebus fidei instruerentur.

30 Vnde vt hoc symbolum esset proportionatũ capacitati, & instructioni quorumcumque Catechumenorum, oportuit tota materia fidei in eo ad pauca capita explicite reduceretur (in quibus implicite continerentur reliqua) & vocantur bene articuli, suntq; inter se distincti ob peculiarem difficultatem vniuscuiusq; secundũ D. Thomam vltimo citatum, vel secundum alios vnus articulus distinguitur ab altero, quod sit particula fidei a distincto Apostolo ad symboli compositionem prolata. Atq; proinde duodecim in eo numerantur articuli, iuxta numerum duodecim Apostolorũ, a quibus fuit compositum, vnoquoq; eorum proferente distinctum articulum. Ita ex Epistola Clementis ad Iacobum, & ex serm. 125. de tẽpore D. Au-
31 gustini clare desumitur. Quamquam cum Scoto & Gabriele in 3. dist. 25. q. 1. congruentius forte alij ascendentes ad mysteriorum distinctionem, symbolum in quatuordecim articulos diuidunt, videlicet septem pro exprimendis mysterijs Diuinitatis, item septem pro explicandis mysterijs humanitatis Christi Domini.

32 Hinc inferendum, quod tametsi post symbolum Apostolorum, alia duo fuerint edita, & ab Ecclesia Catholica acceptata, Nicenum scilicet, & Sancti Athanasij in neutro tamen eorũ additus fuit aliquis fidei articulus, vel expressum aliquod credibile, quod non contineretur saltem implicite in illo. Finis enim vtriusque posterioris symboli fuit non tam instructio fidelium,

delium, quæ vt diximus, præcipuè intenta in symbolo Apostolorum, quàm refutatio errorum per maiorem declarationem vtriusque misterij Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Christi Domini, qui contra ista misteria iam
33 emerserant. Vnde nihil mirum si nulla mentio facta in Nicæno de articulis communionis sanctorum, & descensus ad inferos, quia contra hos tunc nullus adhuc error extabat; ita ex Alex. Alen. 3. part. q. 69. ex Gabriel. dist. 25. q. 1. Suarez citatus sect. 5. n. 9.

34 Inferendum item, numerum credibilium in Ecclesia Catholica nequaquam augeri; sed semper eundem esse; aliqua tamen ex eis membris consiliorum definitionibus, vel Summorum Pontificum fuisse magis declarata, quæ prius
35 non ita facile innotescebant. Nam quamuis in ecclesia resident auctoritas non solum definiendi, & explicandi aliqua esse reuelata, sed proponendi etiam fidelibus ea, quæ de nouo reuelantur; huiusmodi tamen reuelationes, & definitiones non possunt esse de aliquo mysterio, quod non contineatur saltem virtualiter in scriptura sacra, vel quod non fuerit prius reuelatam Apostolis, seu Ecclesiæ ipsius Magistris: iuxta illud Ioan. 14. *Paraclitus, quem mittat Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,* & iuxta illud cap. 15. *Omnia quæcumq; audiui a Patre meo, nota feci vobis,* ac illud Luc. 24. *Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas*: & tradit vt certum D. Thomas. 1. 2. q. 106. art. 7. ad 1. & 2. 2. q. 11. art. 10.

36 Vnde consilia, & Summi Pontifices in definiendis quibusuis de fide, semper recurrunt ad scripturas sacras, & ad traditiones Apostolicas, atq; sine hoc recursu tales definitiones subsistere nequeunt: Ita cum D. Ireneo lib. 3. contra hæres. cap. 2. & cum D. Hieronimo in illud Psal. 86. *Dominus narrauit in scripturis &c.* tenent communiter omnes, ergo tanquam certum infertur, vt ait Castrus Palao vbi supra §. 3. num. 2. esse semper eadem credibilia, seu obiecta fidei partialia, neq, indies augeri.

Est ne prioritas, & posterioritas inter partes obiecti materialis fidei?

REGVLA XLIV.

37 INter credibilia, seu obiecta partialia, siue inter veritates complexas, aut propositiones, quæ continentur sub materia fidei, iuxta tradita in Regula præcedenti, non solum in esse rei, sed aliquo etiam modo in esse credibilis, aliqualis ordo prioris, & posterioris necessario est admittendus.

---

38 DE primo quoad prioritatem, & posterioritatem inter se credibilium in esse rei nullum est dubium, vt ait ex communi omnium Scotus in 3. dist. 23. *cum quædam habita ratione existentia sint priora alijs, nempe diuina increata creatis, æterna temporalibus, necessaria contingentibus: attento item ordine dignitatis, priora, seu digniora sint, vt patet, quæ ad Deum spectant. Ex his autem ex multo maiori dignitate præstant, & præcedunt, vbi increata prædicantur de increatis, vt Deus est Pater, Deus omnipotens, illis omnibus in quibus creata de increatis prædicantur, vt Deus est homo, Deus est mortuus; vel e contra, vt homo est Deus; Tandem attento ordine habitudinis vnius ad aliud; humana enim omnia creata, & naturalia ad diuina, & increata ordinantur, ergo hæc priora sunt illis.*

39 De secundo in esse credibilis est qualis controuersia inter Doctores, & duplex eorum opposita sententia: nam Caetanus 2. 2. q. 1. art. Maior in 3. dist. 23. q. 9. & alij negant, eo quod omnes fidei veritates quo ad suam credibilitatem immediate in diuina auctoritate nitantur ergo non est prioritas, aut posterioritas inter
40 ipsas. Melius tamen, & verius affirmant alij vt Paludanus in 3. dist. 24. q. 1. Duran. q. 1. M in 3. q. 14. art. 1. Vasquez 1. p. disp. 5. capit. Suarez disp. 2. sect. 4. respectu scilicet alicuius aut etiam aliquorum credibilium esse admittendum dictum ordinem prioris, & posterioris. Quid autem circa hoc sentiat D. Thomas haud constat (quamquam a nonnullis hæc secunda pars affirmans ei tribuatur) nam cum ait 2. 2. q. 1. art. 1. *prima veritatem esse rationem credendi reliqua omnia,* non indicat, de prima ne veritate id affirmet, vt est principium quo,
41 an etiam vt est quoddam creditum. Quare omissa D Thomæ auctoritate, efficaci argumento secundam sententiam sic probo quia tamen primæ concedamus, vt vere est concedendum ob rationem, qua nititur, inter ipsa obiecta fidei pure materialia non dari ordinem prioris & posterioris in esse credibilis, necessario tamen datur inter quoduis materiale, & formale, quatenus hoc est aliquid creditum per fidem
42 nam. Quod ostenditur ex similitudine fidei humanæ, in qua duo oportet semper præcognoscantur, vt res aliqua per ipsam credatur ob alicuius hominis auctoritatem, nempe hoc rem talem fuisse dictam, itē esse ipsum veracem, seu fide dignum, vt per se patet, modo in fide diuina ad credendum quemuis ius articulum, hæc duo necessario precognoscenda, seu prius per eam credenda sunt, scilicet fuisse dictum seu reuelatum, ac ipsum Deum fallere non posse, nec mentiri, aut quod idem est, esse primam veritatem infallibilem, nec quisquam credo negabit, hæc duo credēda esse fide diuina seu per eam præcognoscenda ad eliciendum actum fidei, circa quoduis particulare eius obiectum pure materiale ergo saltem respectu istorum duorum, & aliorum quæ duplici Regula sequenti ostendemus qualiter ad formale obiectum fidei spectent, admittenda est dicta prioritas, & posterioritas
43 Nota cum Suarez citato in fine dictæ quod licet ista duo, Deus dixit, seu reue quascumq; res fidei, vt Deus non potest re, nec mentiri, in esse rei supponat hoc, esse, non tamen supponere in esse credib de enim diuina credimus Deum esse iuxta Apost. ad Hebræos 11. (vbi multo strictius in symbolo, totum materiale fidei obiectum duo tantum capita, seu ad duos articulos cit) *credere oportet accedentem ad Deum, q est, &*

ſt, & inquirentibus ſe, remunerator ſit, ita nquam credimus, quia ipſe Deus dixit, ſeù reuelauit, & quia Deus eſt prima veritas quæ fallere non poteſt, nec mentiri. Hęc autem uo ſic inter ſe ad inuicem pendent, &.ſe muuo adiuuant, dum elicitur actus fidei circa trunque, vt nullus ſit ordo prioris, & poſterioris inter ipſa ineſſe credibilis: nam credimus, aliquid dixiſſe Deum quia hic fallere neuit nec mendacium proferre, & è conuerſo, redimus Deum non eſſe teſtem falſum neque mentiri poſſe, quia ipſemet Deus dixit. Qui circulus abſque vllo vitio in hac materia neceſſario admittitur, ſicut & alius ſimilis, de quo infra, vt propoſitiones fidei in aliquod vltimum, ſine progreſſu in infinitum, reſoluantur, atque hęc duplici Regula pręcedenti tradita pro explicatione vtcunque obiecti materialis fidei, iam ad explicandum formale, quod difficilius eſt accedamus.

Qualiter ſub ratione primæ veritatis Deus quaſi in actu primo obiectum formale fidei?

REGVLA LV.

INchoatiuè pro ſubſtantia, ſeu in actu primo, vt ſic loquar, Deus non ſub ratione Deitatis, nec Dominationis, nec omnipotentiæ, neque alterius attributi, ſed tantum ſub ratione primæ veritatis, tam in cognoſcendo, quam in dicendo, quæ nec falli, nec fallere, neque mentiri poteſt, eſt obiectum formale fidei Chriſtianæ.

CIrca hoc nequaquam audiendus Aureolus, quem refert, & ſequitur Capreolus in 3. diſt. 24. art.2. tenentem quòd *Deus ſub ratione Deitatis ſit obiectum formale fide i ee x quia huius vltima reſolutio fiat in deitatem: enim quæras cur credamus Deo? optime tibi reſpondebitur, quia verax eſt, & rurſus, ſi interroges cur ſit verax? reſponſio dabitur, quia Deus, nec vlterius eſt vlla alia interrogatio neque reſpõſio, ergo &c.* Verum bene ait Suarez vbi ſupra ſect.4. in fine, *credulitatem fidei, fides eſt, non reſolui vltimo in Deitatem, vt Deitas eſt, ſed ſiſtere in eo, quòd ſit verax, ſeù eius veritate, quæ eſt motiuum, ſeù ratio formalis credendi.* Quamuis enim Deus ſit prima veritas, quia eſt Deus, fides tamen, vt homo credat, non conſiderat, vndenam Deus habeat veritatem, ſed ſolum, quod eam habeat; quare præciſe ſumpta ipſa prima veritas, vt ſeparata, ſi per impoſſibile ſeparari poſſet à Deitate, adhuc eſſet ratio credendi, & formale obiectum fidei, vt per ſe patet, ergo &c.

Neque item audiendus Guillelmus Pariſ. de fide, & legibus, non procul ab initio, dicens, quod homines credant Deo, non quia verax eſt, ſed quia ſupremus Dominus eſt, & quòd ei obediendum captiuando intellectum in ipſius obſequium. Probat inde, quia alioquin actus fidei eſſet ex diſcurſu; & ex ratiocinatione noſtra, quod repugnat eius ſimplicitati. Verum probatio hæc non vrget; cùm non ſit cõtra ſimplicitatem fidei, quòd tendat in obiectum vti verum, & credibile, ſic repræſentatum ex teſtimonio primæ veritatis, in hoc autem interueniat, ne aliquis diſcurſus poſtea examinabitur. Deinde non oſtẽdit Guillelmus in quo conſiſtat ratio formalis, ſeu ſpecifica obiecti fidei, cum obedire Deo quia Deus eſt ſupremus Dominus, ſit quid generale reſpectu omnium virtutum, & non poſſit reſpectu fidei eſſe quid particulare maximè, vt eſt virtus intellectualis, ergo aliunde eſt oſtendenda.

51 Cum autem in Deo, quamuis ſit puriſſimus, & ſimpliciſſimus actus, perfectiones, ſeù attributa innumera, per intellectus præciſionem cum fundamento à parte rei, ita diſtinguantur, vt quod conuenit ipſi ſecundum vnum, vt creare, quatenus eſt omnipotens, non conueniat eidem ſecundum aliud, vt idem creare quatenus eſt immenſus, punit item provt eſt iuſtus, & non provt eſt miſericors: parcit è contra, in quantum miſericors, & non in quantum iuſtus, atque ſic de alijs. Ex quibus omnibus quod tantum ſecundum attributum veracitatis, ſeù quòd ſit prima veritas, & non ſecundum aliud, competat Deo eſſe obiectum formale fidei, ſeù rationem, ſub qua res ab ipſo reuelatas credẽdi adeo cõcors eſt, & certa D. Th.2.2.q.1.ar.1.& alibi ſepe, re iquorũq.Theol. ſententia, vt nulla indigeat probatione.

52 Verũ cũ duplex in Deo diſtinguatur veritas, altera in cognoſcẽdo, & altera in dicẽdo (omiſſa tertia in eſſendo trãſcẽdentali, ſeu entitatiua, ſiue identificata cum ente Diuino, ſicut cum quolibet ente, quæ extra controuerſiam eſt, quod non ſpectet ad obiectũ formale fidei) illarum prima conſiſtit in ipſa cognitione Dei, ita ſemper conformi rebus cognitis, vt nihil ignoret, ſeù nulla veritas eum lateat, atque quod idem fere eſt, vt in nullo Deus erret, ſeù nunquam falli poſſit. Secunda veritas in dicendo eſt virtus moralis inclinans ad proferendum ſemper verum, & loquendum ſecundum mẽtem abſque fallacia, aut mendacio; quę cum ſit perfectio ſimpliciter, reperitur in Deo cum ſummo gradu perfectionis. Ex his duabus quę

53 nam conſtituat Deum obiectum formale fidei, nonnullum eſt dubium inter graues auctores: veritati primæ in cognoſcendo tribuit hoc D. Bonauentura in 3. diſt. 24. art. 1. quęſt. 2 quẽ ſequi videntur aliqui ex recentioribus, vt Valentia tom. 3. diſp. 1. quæſt. 1. punc. 1. ſub §. difficultatũ quarundam. è cõtra veritati in dicendo idem concedunt D. Thomas. 2.2.q.1.ar. 1. ibi etiam Caiet. & alij.

54 Equidem licet communiter hæc ſecunda ſententia præferatur, & ſi daretur optio, eſſet etiam à nobis præferenda, conuenientius tamen diximus cum Suarez citato ſect.4.& cum alijs ex Theologis antiquioribus, quorum meminit idem Valentia ſub §.primam veritatem eas in concordiam reducere, aſſerendo, vt verius, per vtramque ſimul veritatẽ in cognoſcendo, & in dicendo conſtitui in Deo ſummã quandam auctoritatem ad teſtificandum, cum certiſſima, & indubitata fide, ac proinde ratione

ti one vtriusque; esse Deum obiectum formale
55 fidei christianæ; ostenditur efficaci ratione
quia vt quis sit fide dignus in testificando, duo
requiruntur. videlicet, vt falli non possit, alio-
quin quatenùs prudens, & rectus timeri potest,
nè fallatur, item vt non decipiat, nec alios vo-
luntarie fallat, vt per se constat: ex his primũ
competit Deo per veritatem in cognoscendo,
secundum vero per veritatem in dicẽdo, ergo
vtraque est necessaria in eo, vt constituatur
obiectum formale *fidei*.
56 Remanet tamen adhuc non leue dubium cir-
ca *veritatem primam in dicendo*, non enim
57 desũt *aliqui* ex Catholicis scriptoribus (omis-
so nunc errore hæreticorum Pricilianistarum,
teste D. August. lib. contra mendac. cap. 2. &
Prateolo verbo Pricilianistę num. 9. affirmantiũ
non solum dicere posse, sed etiam iam sępius
Deum dixisse mendaciũ) qui tametsi admittãt,
nunquam à Deo prolatum fuisse mendacium,
nec de potẽtia ordinaria ab eo proferri posse,
de potentia tamen absoluta id ipsi esse conce-
dendum. Conantur inde ostendere, quia in hoc
nulla apparet repugnantia, aut contradictio,
cum nullus actus sit intrinsice malus malitia
morali, ergo neq. mendacium erit. ita Gabr. in 3
dist. 12. q. 1. Petrus de Aliaco in 1. q. 12. & alij.
58 Nihilominus tenendum est de fide certum
Deum nullo modo tam affirmando quam pro-
mittẽdo, & tam per se ipsum immediate, quàm
mediate per tertiam personam mẽdacium vn-
quam dixisse, neq. dicere posse, non solum de
potentia ordinaria rebus, vt nunc stantibus;
sed etiam de potentia absoluta in quocumq.
statu res constituerẽtur. Patet ex multiplici-
bus locis scripturæ sacræ Num. 23. ***Nõ est De-
us, vt homo, vt mentiatur, nec vt filius hominis
vt mutetur.*** Rom. 3. ***est autem Deus verax, om-
nis autem homo mendax.*** Ioan. 8. ***qui misit me
verax est, ait Christus Dominus,*** & de verbis
suis, siue affirmatiuis, siue promissorijs ita
Matth. 24. ***Cælum, & terra transibunt, verba
autem mea non præteribunt,*** quasi diceret Cæ-
lum, & terra deficere possunt de potentia sci-
licet absoluta (de ordinaria enim nequeũt de-
ficere) verba autem Christi per nullam potẽ-
59 tiam falsa esse poterũt. Atq. peculiariter de
verbis promissorijs psal. 114. ***Fidelis Deus in
omnibus verbis suis,*** & clarius 2. ad Timot. 2.
fidelis est, seipsum negare non potest. Vbi ma-
nifeste ostenditur implicatio contradictionis,
& consequenter absoluta impossibilitas, vt hoc
loco perpendit D. Thomas, & S. Augustinus
lib. 1. de symbolo ad Cath. cap. 1. atq. conci-
nit illud D. Dionysij cap. 8. de diuinis nomini-
bus, ***à veritate,*** inquit, ***cadere, a Deo est recedere:
quo nihil impossibilius Deo.*** Plura congerit te-
stimonia scripturæ, & Patrum Valent. tomo 3.
disp. 3. pun. 3. in confirmationem traditæ à
60 nobis doctrinæ. Quæ corroboratur ex oppo-
sito fundamento, quod mendacium sit intrin-
sece malum, sicut, & alia, quæ ideo prohibi-
ta quia sunt intrinsece mala, vt cum D. Tho-
ma in materia de peccatis, & de legibus do-
cent communiter auctores: & quo ad menda-
cium, esse de fide certum sentit D. Augustin.
hæres. 70. & lib. de mendacio, & contra men-
cium, facitque ad rem cap. super eo, de
ris cum ibi dicatur, ***non esse licitum menti
cundum diuinam scripturam, etiam pro
61 tuendam vitam.*** Rationẽ pro omnibus a
Suarez vbi supra sect. 5. quia sicut in alijs re
quædam sunt contraria naturæ vniuscu
ac proinde eo ipso sunt tali rei mala; ita eti
naturæ rationali quædam sunt per se, & ex
trinseca ratione illi contraria, & disconue
tia, quæ respectu illius mala sunt, & si lib
fiant, erunt mala moraliter, vt odium Dei, bla
sphemia, &c. sed tale est mendacium, ergo
semper intrinsecè malum.
62 Idem Valent. loc. cit. affert loca Scriptu
quibus perperam intellectis Pricilianistæ in
dando suo errore frustra laborant, & cum
ctis Patribus, ac sacris expositoribus in le
mum sensum, secundum propositam, ve
doctrinam interpretatur, atque quæcumq
parent inter se contraria in concordiam re
cit, quod etiam egregiè præstat Bellarmin
lib. 1. controu. 1 sequens vestigia D. Augustin
in libris de concordia Euangelistarum. In
63 alijs item, vbi Sancti viri videntur manifeste fal
sum dixisse, subintelligenda est, vt ait *idem Va-
lentia*, aliqua conditio tacita, vt cum dix
Abraham, ***Ego & Puer*** (quem sacrificare cog
tabat) ***reuertemur ad vos,*** nempe si Dom
placuerit, & cùm Ionas ait: ***Adbuc quadra
ta dies, & Niniue subuertetur,*** nempè si
64 egerit pœnitentiam. Vel item quòd atten
da sit metaphorica, seu figurata significatio
65 non littera vti sonat, vt cum Iacob dixit,
sum filius tuus primogenitus Esau. Tandem
alijs, quòd nullo modo concurrat Deus ad m
lum, seu ad mendacium formaliter, & positi
sed tantùm se habeat mere negatiuè, siuè pe
missiuè, vt cùm dicitur 3. Regum 22. ***Ecce De
dedit spiritum mendacem in ore omnium P
phetarum, dedit,*** idest, permisit, vt daretur,
2. ad Thessal. 2. ***Ideo mittet illis Deus spirit
erroris, vt credant mendacio,*** mittet, idest
mittet, vt mittatur, similiter in Exodo.
durauit Deus cor Pharaonis, nempe permi
vt induraretur, & sic de alijs.

***Dei auctoritas, vt reuelans quomodo quasi in
actu secundo obiectum formale
fidei?***

REGVLA LVI.

66 IAm proxime, & in actu secundo, seu exer
to, vt ita dicam, non humana ratio, n
creaturæ vllius rationalis testificatio, sed D
ipse, seu Dei suprema auctoritas, vt reuela
seu testificans res per fidem credendas est ad
quatum, & completum obiectum formale fid
Christianæ.

67 NOn est cur immoremur in ostẽdendo qu
liter humana, seu creata auctoritas,
attestatio nullatenus sufficit ad fundandam
dem Catholicam, hoc enim, vt de fide certu
clarè

arè deducitur ex varijs Scripturę locis, præpuè ex illo Matth. 11. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, ait Christus Dominus Petro, intelligens per carnem, & sanguinem naturam, vires eius, seu humanam rationem, & ideo ddidit, *sed Pater meus, qui in cælis est*, item ex o 1. Corinth. 2. *Prædicatio nostra*, inquit Apostolus, *non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c. vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*. Quare ipse postolus, cũ videret precipua fidei nostræ mysteria, vt Trinitatis, Incarnationis, Eucharistię, c. omninò esse supra captum nostrum, & nullum fundamentum ex ratione naturali, aut ex humana auctoritate desumi posse ad ea credẽ, scripsit 2 Corin. 10. *quòd oportet in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequiũ Christi, vt liberi à periculo errandi credamus ab o reuelata, et enarrata*: de quibus Ioann 1. *eum nemo vidit vnquam, Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse narrauit*, ergo auctoritas, vel ratio humana non constituit obiectum formale fidei Diuinę.

Hinc infertur quam longè à vera via aberrauerint Manichæi, teste D. Augustino lib. de vtilitate credendi cap 1 quod tenuerint nihil esse credendum, nisi quod ratio censerit, reputantes valde superstitiosum, quòd fides ante rationem præiret, & imperaret. Post multa vero sæcula tempore suo testatur D. Bernardus epistol. o. ad Innocen. eodem errore fuisse infectum edam Petrum Abailardũ (tametsi hoc verb. reolus huius hæresiarchæ errores sigillatim ferens, illius non meminerit) sumebat occasionem ipse errandi, vt ait idem Bernardus, ex o Eccles 19. male intellecto: *Qui cito credit, leuis est corde*, & addebat, ita euenire, quoties an inspectam rationem, fides adhibetur. Verum iusmodi error iam ex traditis num. preced. nino refutatus manet.

Eadem Scripturæ testimonia n. 46. adducta, alia tam ex veteri quàm ex nouo testamento um esse primam rationem credendi, & obiectum formale fidei nostræ, vt certũ etiã de fide endunt, maxime Genes. 15. *Credidit Abrahã o, & reputatum est illi ad iustitiam*: & illud ann. 12. *qui credidit in me, non credit in me, in eum qui misit me*. item 2. ad Timoth. 1. ait ost. *Scio cui credidi, & certus sum*. Adiungo o tantum testimonia Patrum, primum D. Augustini de spiritu. & litter. cap 32. *Non dubium*, inquit, *illam fidem ab Apostolo cõmendari, qua creditur Deo*: alterum D Ambrosij lib. de braham cap. 3. & lib. 2. epist. 12. ep. *Cæli mysterium doceat me Deus ipse, &c. cui magnum de Deo, quam Deo credam*. Ex quibus concludir Deum esse nostrę credulitatis fundamentũ, consequenter obiectum formale fidei, cum in nis scientia, seu habitu intellectus scientio illud sit obiectũ quo, seu formale, quod est iuum, seu ratio assentiendi, vt ex communi mium supponitur; ergo cum Deus hoc modo tio credendi per fidem infusam, erit fine bio huius obiectum formale.

Quod autem Deo hoc competat, vti attestã, & reuelante res per fidem credibiles, absolutè non admittit Aureolus in Proleg. q. de vnit. Theologiæ art. 3. contra D. Thomam 1. p. q. 1. art. 3. affirmans *Deum vt reuelantem non esse obiectum formale Theologiæ, & consequenter neque fidei* quod vtriusque eadem sit ratio; cui
74 adhærere videtur ex recentioribus Vasquez in d. art. disp. 7. cap. 3. Ceterum cum ipso D. Thoma communiter omnes oppositum vti verum asserunt, ita Caiet. in eo art. dub. 2. Capreolus in q. 4 Proleg. concl. 3. Richardus in 3. dist. 23. Scotus quest. vnica, & dist. 25 q. 2 Bellar. lib. 1. de iustif. q. 1. Conrad. 1. 2 q. 3. art. 6. § Nota profundam, & Suarez vbi supra sect. 2. & 3. imo ipse Aureolus, ita etiam nobiscum assereret, nisi in æquiuoco laboraret vt laborant forte alij circa voces credibile, seu reuelabile, ac reuelatio; nam dupliciter pro subiecta materia sumi solent.

75 Primo sumitur obiectum credibile prout dicit ordinem ad habitum fidei infusum, vel ad lumen ipsius fidei, & ab alterutro ex his, vt quid consequens denominatur tale: item obiectum reuelabile accipitur, & denominatur sic, prout habet respectum ad reuelationem significantẽ infusionem d. habitus, vel luminis factam immediate à Deo tenente se ex parte potentiæ intellectiuæ, & auxiliante ipsam ad credendum seu assentiendum, quæ infusio, & auxiliatio, licet non ita propriè vocatur, quandoq. reuelatio. Et quidem in hac acceptione istarum vo-
76 cum concedimus, Aureolo, & cuicumq. ex adhærentibus ipsi, nec credibile, nec reuelabile, nec reuelationem, neque Deum ipsum reuelantem spectare ad obiectum formale fidei, aut sacræ Theologiæ, quod inde clarè ostẽditur, quia vt sic secundum hanc acceptionem reuelatio, aut Deus reuelans non est motiuum credendi res fidei, vel assentiendi conclusioni ex præmissis fide creditis deductæ, & quia vt sic obiectũ constituitur in esse credibilis, & reuelabilis per ipsum habitum fidei, sicut in esse scibilis per habitum scientiæ, & se habet, vt quid posterius respectu talis habitus, vt ait Arist. 5. Metaphys. cap. 15. ergo vt sic non spectant ad rationem obiecti formalis, quod necessario ad acquisitionem, vel infusionem habitus supponitur, vt statim ostendam.

77 Altero itaque modo magis proprio sumũtur credibile, & reuelabile, prout significant aliquid fide dignum, & aptum proximè reuelari, ita vt mouere possint intellectum ad credendum rebus fidei: & idem est de scibili, vt significat quid inductiuum proximè ad assensum prestandum conclusioni scientificæ. Vnde optime affirmauit Diuus Thomas part. 1. quæst. 13. art. 7. ad 6. scibile secundum potentiam esse prius, quàm scientiam, atque secundum hanc acceptionem nullum dubium, sicut scibile pertinet ad obiectum formale scientię; ita credibile, ac reuelabile ad obiectum formale fidei; eo quòd hoc ad credendum, & illud ad assentiendum sit motiuum, seu ratio inducens intellectum.

78 Pari modo reuelatio, & Deus reuelans magis proprie accipiuntur, non vt se tenent ex parte potentię; auxiliando ei efficienter in eliciendo actum fidei, sed vt se tenent ex parte obiecti, redden-

reddendo ipsum formaliter credibile ob diui-
nam attestationem, & vt sic spectant ad obie-
ctum formale fidei cum hac ratione sit moti-
79 uum, seu ratio credendi. Deducitur late ex
scriptura sacra 1.epist. Ioan. cap. 5. *Qui credit*
in Filium Dei, habet testimonium Dei in se, &
Ioan. 18. *ad hoc veni in Mundum, vt testimo-*
nium perbibeam veritati, ergo Deus, vt reue-
lans, seu testificans, constituitur obiectum for-
male fidei, imo & Theologiæ sacræ, cum sub
tali ratione hoc ei competat.
80 Ex dictis obiter cū Suarez citato infero duo
contra Vasquez. primum, quod iste, cum abso-
lutè concedat testimonium Diuinum, seu reue-
latione Dei, quatenus est ratio credēdi omnia
reuelata, esse obiectum formale fidei, absque
fūdamento videatur negare eādem reuelatio-
nem spectare ad obiectum formale Theologiæ
cum proportione, seù mediate acceptam, nēpe
quatenùs per discursum ad conclusiones ex
81 principijs fidei deductas applicatur, cum par sit
vtriusq. ratio modo dicto. Secundum quòd
nulla ratione possit admitti sententia ipsius Va-
squez, dum affirmat *eandem esse Theologiam*
in homine Catholico, atq. in hæretico circa con-
clusiones ab vtroq. ex principijs, quæ creduntur
elicitas; cum Theologia nitatur principijs eodē
modo, quo credita sunt, & Catholicus credat
fide infusa ax auxilio gratiæ speciali, actumq.
eius resoluat in testimonium Diuinum; hæreti-
cus vero credat sola fide humana, huiusq. actū
resoluat in proprium iudicium, seu opinionem,
ergo sicut fides est diuersa in hoc, atque in illo,
vt cum Diuo Thoma 2. 2. quæst. 5. art. 3. tra-
dunt communiter Doctores, ita & Theologia
erit in eis diuersa.
82 Infero item ex dictis cum eodem Suarez id,
quod asserunt aliqui, vt noster Molina part. 1.
quæst. 3. disput. 2. & Bañez 2. 2. quæst. 1. art. 1.
dub. 1. conclus. 6. *Lumen fidei, seu infusionem*
huius luminis, siue illuminationem spectare ad
obiectum formale fidei, seu ad complementum
eius, si intelligant per hanc illuminationē, aut
infusionem luminis habitum fidei, vel auxilium
actuale, quò Deus se tenet ex parte potentiæ
intellectiuæ, & concurrit immediatè cum ipsa
efficienter ad eliciendum fidei actum, vt re ve-
ra intelligere videntur, nullatenus habere locū
eorum assertionem: cum ista non sint motiuum,
aut ratio credendi, sed supponant necessariò
obiectum formale omnino completum: imo
supponant præcognitum, Deum enim reuelas-
se res fidei, opus est præcognoscat, qui credit,
non tamen requiritur, vt pręcognoscat lumen
fidei, vel auxilium, quo Deus cum potentia
83 efficienter concurrit. Si verò prædicti Aucto-
res per lumen fidei, seu illuminationem intelli-
gant reuelationem magis propriè acceptam, vt
se tenet ex parte obiecti, & reddit ipsum for-
maliter reuelabile, seu fide dignum, vt sic con-
cordant cum sententia D. Thomæ 2. 2. quæst. 2.
art. 6. & quest. 172. art. 5. & cum communi re-
liquorum Doctorum affirmantium Deum, vt
reuelantem, & testificantem esse adęquatum
84 obiectum formale fidei. Atque sic æquiuoca-
tione istarum vocum, & supradictarum detecta
facile est respondere ad rationes quascunque
à Molina, à Bañez, ab Aureolo, & ab huic ad-
hærentibus in oppositum adductas: quarum
solutionem copiosè propositam apud Suarez
citatum videas.

Ad fidem habendam, quæ præcognitio requisita de Deo, vt prima veritate, & reuelante?

REGVLA LVII.

85 DVo illa principia, seu motiua, sub quibus
constituitur Deus in actu primo, & secū-
do obiectum formale fidei, vt traditum duplici
Regula præcedenti, necessario debent credi,
aut præcognoscendi à quibuscumq. credētibus
per fidem supernaturalem infusam: & non suf-
ficit, si tantùm per fidem humanam credantur
aut per scientiam lumine naturali etam eui-
denter acquisitam præcognoscantur, neque
hæc credulitas, vel præcognitio ad obie-
ctum formale fidei constituendum vllo modo
requiritur.

---

86 ITa Suarez disp. 3. de fide sect. 6. & 12. cum
Marsilio in 3. quęst. 10. art. 1. & quæst. 14. art.
1. cum Capreolo in 3. dist. 24. art. 3. circa finem
cum Cano lib. 2. de locis cap. 8. cum Valen.
tom. 4. disput. 1. quæst. 1. punct. 1. & communiter
cum omnibus Scriptoribus. Desumitur clare
ex D. Thoma 2. 2. quæst. 1. art. 1. vbi expressè as-
serit nihil aliud, pręter testimonium, primæ ve-
ritatis esse obiectum formale fidei, si enim hu-
manæ fidei, aut cognitionis naturalis, etiam
euidentis concursus per se requireretur ad as-
sensum fidei Christianæ, iam non solum diui-
testimonium, sed simul cum humano esset for-
male eius obiectum, seu ratio credendi, quod
negat Diuus Thomas, quem sequitur Caietan.
in dicto articulo dub. 4. qui ibi præ cęteris de-
87 fendit doctrinam Regulę præsentis. Ratio à
priori eius est, quia assensus altioris ordinis per
se nequit, fundari in assensu inferioris ordinis,
aut maior certitudo in minori, vt patet, cum
tota perfectio effectus sit ex causa, & firmitas
ædificij ex fundamento, ac proinde hoc æqua-
lis saltem firmitatis, vel maioris, quàm ædifi-
cium debeat esse sicut causa æqualis, aut maio-
ris perfectionis, quàm effectus secundum axio-
ma vulgare Aristotelis, propter quod vnum-
quodque tale, & illud magis, sed assensus fidei
Christianæ est altioris ordinis, & maioris cer-
titudinis, quàm assensus fidei humanæ, aut
cognitionis naturalis, etiam euidentis, vt e-
tiam ex se constat apud omnes; ergo ille non
potest in hoc sufficienter fundari, cum tota
fidei certitudo firmetur in suo obiecto forma-
li, vt cognito, nec aliter excitet ad creden-
dum; ergo cognitione superioris ordinis, seu
fide infusa debet à fidelibus credi, seu præco-
gnosci ad hunc effectum.

88 Notandum pro confirmatione doctrinæ, & rationis præcedentis, tametsi illud principium Deum esse, & esse primam, atque infallibilem veritatem ratione naturali demonstrari possit, & euidenter cognosci, vt ex metaphysica supponitur certum; oportuit tamen hoc idem ab ipso Deo reuelari ad fundandam fidem nostrã, docet expresse D. Thomas 2. 2. q.2. art. 4. vbi absolutè affirmat ad certitudinem fidei necessarium fuisse, nobis reuelari à Deo, etiam quæ
89 naturaliter cognosci possunt. Quod autem actu reuelauerit tale principium, cõstat ex testimonijs supra adductis Regula 55. & ex illo Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus &c.* Ierem. 10. *Dominus autem Deus verus est*, atq. ex alijs passim occurrentibus.

90 *Item* notandum, alterum principium, quod *Deus* sit reuelans, seu quod reuelauerit, aut *dixerit* mysteria fidei, seu res credendas, esse certum de fide, & ab ipso Deo etiam reuelatum. Tradit cum communi Theologorum, & ostendit Suarez dict. sect. 12. tum ex modo loquendi Scripturæ sacræ, cum dicit: *Factum est verbum Domini ad Prophetas, vel cum ipsi Prophetæ dicunt: Hæc dicit Dominus, tum ex varijs eius testimonijs præcipue.* 2. Petr. 1 *Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, Ioan. 7. *Mea doctrina non est mea sed eius qui misit me*, 1. Cor. 2. *Quæ loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus*, & in symbolo de Spiritu Sancto, dicitur, *Qui locutus est per Prophetas*,
91 sed clarius patebit ex dicendis paulò post de normis, seu medijs infallibilibus, quibus credibilia proponuntur, nempe Scriptura sacra, & Ecclesia Catholica, de quarũ altera ait Christus Dominus, *Non potest solui Scriptura*, Ioan. 10. de altera verò Sanctus Paulus, *Est Ecclesia Dei viui columna, & firmamentum veritatis*, 1. Tim 9.

92 Ex prædictis inferendum primo, in quocumque assensu fidei infusæ, quo aliquid mysteriũ particulare, vt Deum esse trinum, & vnum, aut Verbum fuisse incarnatum per se primo credimus, includi etiam hanc credulitatem, quod à Deo fuerit reuelatum, quæ illatio expresse videtur esse secundum mentem D. Thomæ 2. 2. q 171. art 5. affirmantis ibi, *quoties Deus aliquid immediate alicui Prophetæ reuelat, per hanc reuelationem reddere ipsum certũ non solum de re reuelata sed etiam de hoc, quod Deus sit, qui reuelet: alioquin, si ille de hoc certitudinem non haberet, nempe, Deum esse qui reuelat, nec fides Prophetæ, nec credentium dicta ipsius certa esse posset, ergo pari ratione qui recipit mediate reuelationem alicuius mysterij particularis, eodem assensu, quo ipsum credit per fidem infusam, debet etiam credere per eamdem fidem à Deo fuisse reuelatum*, ita aliqui recentiores, præcipuè Vasquez 1 part. disp. 3. cap. 3. & 1. 2. disp. 201. cap. 2. cum Ca-
93 preolo vbi supra, Qui optimè id declarat à simili ex actu visus terminato simul ad colorem, & ad lumen, hoc enim ita est ratio videndi illum, vt sit etiam visibile, & simul aut saltem prius tantum natura necessario videatur, similiter in præsenti, eodem assensu, & eadem fide infusa credo mysterium particulare, vt Christum Dominum realiter esse in hostia consecrata, & Deum hoc reuelasse, iuxta illud Apostoli, *Ego enim accepi à Domino &c.* 1. Cor. 11: quia hæc reuelatio eatenus est obiectum fidei formale, seu motiuum credendi illud mysterium, quatenus est crediblis, & eodem assensu fidei infusæ simul, vel prius natura; ergo sic creditur.

94 Inferendum secundo quocumq. modo fiat prædictus assensus mysterij reuelati fide infusa, & Dei simul reuelantis, siue per discursum proprium, in quo semper assumitur illa propositio, Deus hoc reuelauit, siue per actum simplicem credendi rem reuelatam, sub tali ratione, quod Deus eam reuelauerit (de hoc infra, vbi tradetur praxis eliciendi actus fidei) illud principium, Deum reuelasse, seu dixisse, nõ resolui in aliud principium à se distinctum, nec credi per specialem instinctum diuinum quid in contrarium dicant Aragon. 2. 2. q. 1. art. 1. conclus. 6. & Can. lib. 2. de locis cap. 8. ex illo 1. Ioan. 5. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*, malè intellecto, & nequaquam ad rem faciente: imò recedendum à tali doctrina, & modo loquendi, ne videamur sentire cum hæreticis huius temporis, qui ad eludendam auctoritatem Ecclesiæ, & definitiones eius spernendas, resoluunt *Fidem in internum Spiritus sancti instinctum*.

95 Item nec resolui illius principij, nempe Deũ reuelasse, fidem, seu credulitatem ad cognitionem naturalem etiam euidentẽ, aut in fidem humanam, ob rationem à priori ad probationem Regulæ 87 propositam, vnde nullo modo audiendus circa hoc Altisiodorensis lib. 3. summæ tract. 3. cap. 2. q. 1. qui interpretans illud ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum, oportet credere, quia est &c.* quod ista accessio fiat media cognitione naturali, tenet in hanc resolui actum credulitatis, seu fidei infusæ, quod
96 Deus sit. Verum communiter antiqui, & recentiores, vt Salmeron, Ribera, Cornelius à Lapide, verba Pauli, *Accedentem ad Deum &c.* exponunt de accessione ex auxilio gratiæ di-
97 uinæ. Qualiter autem aliquando cognitio naturalis, & fides humana inseruiant tanquam conditio solum requisita, ad acquirendam fidem infusam explicabitur infra suo loco, nunquam tamen hæc in eam resoluitur.

98 Inferendum itaque tertio illud principium Deum reuelasse, seu dixisse credibilia particularia, resolui in se ipsum tantum, seu in se ipso sistere, & ex se ipso credi, tanquam ex motiuo, seu obiecto proprio formali, cum per se ipsum fiat credibile, & non per aliud; alioquin secundum quorumcumque sententiam daretur progressus in infinitum, ita concludit Suarez dicta sect. 12. cum Capreolo in 3. dist. 24. art. 3.
99 & Caietano 2. 2. quæst. 1. art. 1. dub. 4. Patet manifestè varijs exemplis, vt de scientia Dei, quia scit aliquid, & eadem scit se scire, & de scientia creata demonstratiua idem affirmat Aristotel. 1. post. cap. 2. Imò, quando quis loquitur, licet per actum reflexum non dicat se

loqui,dicit tamen in actu exercito, item per
actũ internũ voluntatis est voluntarius actus ex-
ternus,& fit peccatum, ille vero se ipso est vo-
luntarius,& non alio actu, precipuum tamen
exemplum est illud coloris,& luminis adductũ,
video colorem medio lumine, tanquam ratio-
ne formali videndi,& video lumen non alio lu-
100.mine, aut medio, sed se ipso,Ita credo Chri-
stum natum de Virgine Maria, quia Deus re-
uelauit, sub hoc motiuo formali,& credo Deũ
reuelasse,non sub alia reuelatione,aut motiuo
sed se ipsa,quod enim Scriptura sacra dicat,aut
Ecclesia Catholica proponat, sunt conditio-
nes, sine quibus non, & non rationes forma-
les credendi, vt paulo post dicemus.

Reuelatio per quam Deus est obiectum formale Fidei, qualis nam debet esse?

REGVLA LVIII.

101 OBiectiua reuelatio, qua constituitur
Deus formale obiectum fidei, debet
esse realiter vera, seu re ipsa facta, & non so-
lum existimata talis, nequaquam tamen suffi-
cere mediatam,aut virtualem probabilius du-
cimus, sicut non requiri publicam, & vniuer-
salem per Ecclesiam propositam,sed quod suf-
ficiens sit priuata cuiusque personæ.

---

102 DE primo puncto huius Regulæ nullus
Scriptorum, quod sciam ex professo
tractat, præter vnum Suar. d.d.sp.3.sect.13.qui
inde excitat rationẽ dubitandi, quia in reliquis
virtutibus sufficit,si obiectum existimetur tale,
licet re ipsa nõ sit,vt verus,& meritorius actus
virtutis circa ipsum eliciatur,vt si quis pruden-
ter existimet hanc hostiam esse consecratam,
quamuis non sit,adorans ipsam verum actum
adorationis educet,imò & prudentiæ,cum tũc
prudenter iudicet, hæc hostia hic, & nunc est
adorãda,ergo idem videtur dicendum de fidei
103 virtute. Confirmatur,nam potest contingere
vt fidelis simplex, ac rusticus instruatur à suis
Prælatis,& Pastoribus,vel à Concionatore do-
cto de re aliqua, tanquam de fide,& reuelata à
Deo, quæ sit contra fidem, & contra Dei reue-
lationem,ita vt talis instructio attenta qualita-
te instruentis, & instructi non solum huic igno-
rantiam illius rei inuincibilem,sed obligationẽ
etiam credẽdi inducat, ergo videtur,si credat,
quod eliciet verum actum fidei supernaturalis.
104 Resoluit nihilominus optimè neganter Suar.
aitque desumi ex communi Theologorum,
præcipuè ex D.Thoma 2.2. q.1. art.2. affir-
mante, *Fidei non posse subesse falsum, eo quod
ipsa semper fundetur in vera Dei reuelatione*,&
consonat Trident. sess. 8. cap. 9. atque ab in-
conuenienti, sic efficaciter ostenditur, quia si
fidei assensus posset fũdari in reuelatione existi-
mata,& non vera, vix vlla esset eius certitudo,
& quiuis fidelium posset dubitare de sua fide,
an sit fundata in reuelatione apparente, aut
vera, quod repugnat fidei certitudini, & infal-
libilitati, & est contra Scripturam, præcipuè
contra illud Pauli ad Galat. 1. *licet Angelus de*
105. *Cælo euangelizet nobis &c.* Vnde disparitas
circa præsens negotium inter fidem, & alias
virtutes in hoc constituitur,quod istarum obie-
cta adeò apparenter vera,licet re ipsa non sint
proponi possunt, vt prudenter iudicetur esse
eliciendos actus circa ipsa, nequaquam tamen
ita in obiecto fidei,sed semper deerit sufficien-
eius propositio, nisi ex vera Dei reuelatione
proponatur, quia sic postulat natura fidei, v
per lumen eius intellectuale Diuinum determi-
netur credens ad assentiendum diuino testi-
monio, verè, & in re ipsa testificati, & non a-
teri, quæ est ratio à priori traditæ doctrinæ
Item quia cum assensus fidei sit speculatiu
eius veritas sumitur ex conformitate cum re
ipsa, seu cum reuelatione realiter facta,& non
cum apparenter proposita,vel aliter existimata
106 In exemplo autem, de quo in ratione dubi-
tandi (cui iam plenè satisfactum videtur p
hactenus dicta) fidelis ille simplex, & rusticus
qui decipitur inuiolabiliter à Pastore proprio
vel à Concionatore, non elicit actum *fidei in-
fusæ*, credendo inuincibiliter doctrinam *ab eis*
traditam,sed alterius generis imperfectæ,non
tamen ex defectu specialis motionis Spiritus
sancti, vt docet, & respondet difficultati cum
alis Can. 2. de locis cap.8. sed etiam,ac multo
magis, vt tenet Suarez vbi supra eidem diffi-
cultati respondens, eo quod obiectum sic
plici illi fideli non sit sufficienter propo-
107 .tum per verã reuelationem. Imò vbi sic
ceptus,si aduertere vellet, dubitare posset
doctrina illa sit conformis Ecclesiæ Catho
nec ne? Iudicium eius de adhibenda credi-
tate non videtur in re ipsa esse secundum p
dentiam: vide plura apud Suarez *citatum*.
108. Circa punctum secundum de reuelatione
mediata,aut virtuali, seu de contenta virtu-
ter in alia reuelatione immediata, & form
duplex est Doctorum sententia omnino op-
sita, aliorum, vt Can. lib. 6. de locis cap.
Vegæ lib. 9 super Trid. cap. 9. absolutè af-
mantium esse eam sufficientem ad obiectum
109 fidei; Aliorum verò, vt Caietani 1.par. q
art 1. & Molinæ ibi art. 2. disp. 1. & 2. pro
id negantium; imò hic addit vniuersaliter c
clusiones,quę non sunt reuelatæ à Deo imm
diate, sed virtualiter, seu mediate deductæ
præmissis vna de fide, & altera euidenti nat
raliter, quamuis definiatur ab Ecclesia, nu
quam esse de fide, sed manere sub sola certi
dine theologica, alioquin posset Ecclesia fac
re, vt sit de fide id quod antea non erat,qu
nullus admittet, vt iam alibi tactum.
110 Cæterum, vt cum Suarez vbi supra sect. 1
cum Valentia tom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 3
cum alijs additionem Molinæ reprobamus,
sententiam negantem probabiliorem ostend
mus, cũ triplici distinctione procedere op
tet. Primo distinguendum de modo forman
discursum,vt ex præmissis deducatur cõclus
nã vbicumq. ex propositione vniuersali de fi
& particulari euidenter nota fuerit elicit
conclusio, hæc erit de fide, vt in hoc exemp

Omnis

Omnis homo ritè baptizatus sine obice iusti-
ficatus est, quæ est de fide, sed iste infans est
ritè baptizatus, quæ est nota euidenter saltem
ministro baptizanti, ergo iste infans est iustifi-
catus, quæ est conclusio de fide, cuius ratio sta-
111 tim adducetur. E contra verò, quando ex
maiori vniuersali naturaliter cognita, & mino-
ri particulari de fide, infertur conclusio parti-
cularis Theologica quidem, & non de fide:
exemplificat Valētia citatus sic: Omnis homo
est risibilis, quæ euidēter nota, Christus est ho-
mo, certa de fide, ergo Christus est risibilis, cō-
clusio Theologica, & non de fide, quod sit de ea
reuelatio non formalis, & immediata, sed tan-
tum virtualis, ac mediata, nempe virtualiter,
medianre reuelatione illius minoris Christus
112 est homo. Verum quia hoc non ita se habet
in omni exemplo, vt patet ex isto, Omnis ho-
mo habet animā rationalem, Christus est ho-
mo, ergo habet animam rationalem, quæ con
clusio est de fide, quāuis deducatur ex maiori
vniuersali euidēter cognita, & minori particu-
lari de fide certa: proinde cum ipso Suarez.
113 Rursus distinguendum de conclusione dedu
cta ex præmissis, in quarum altera de fide, siue
maiori, siue minori nullo modo formaliter
continetur, vt in illa, Christus est risibilis in
præmissa de fide, Christus est homo; & è con-
tra distinguendum de conclusione, in altera
præmissarum formaliter, licet confuse, & non
ità explicite contenta, quæ in reuelatione cu-
iusuis earum etiam immediate reuelatur, &
cōsequenter est sufficiens ad obiectum formale
fidei, atque id euenit, vel quoties generalis di-
stributiua reuelatur, vt in exemplo posito, Om-
nis homo ritè baptizatus sine obice est iusti-
ficatus, similiter Quæuis sacramēta conferunt
gratiam, non ponentibus obicem, pari modo,
in omni hostia ritè consecrata adest Christus
Dominus: in quauis enim generali istarum, &
similium singulares formaliter, tametsi confusè
continentur, & per reuelationē eius immedia-
tam, etiam immediate particulares reuelātur.
114 Insuper euenit quotiescumque ex definito
particulari de fide certo concluditur definitio
quia hæc formaliter in eo continetur, & reue-
latur immediatè per definiti reuelationem, vt
cum reuelatur, quod Christus sit homo, etiam
reuelari immediate censetur Christus esse ani-
mal rationale, habere corpus, & animam: non
sic de proprietate, vt de risibilitate, quia tan-
tum reuelatur hæc mediate, & virtualiter per
reuelationem illius, cuius est proprietas.
115 Adstabiliendum autem magis intentum,
tertio distinguendum cum eodem Suarez, &
cum Vasquez 1. p. disp. 5. cap. 3. de duplici mo-
do vtendi discursu ad assentiendum illationi;
primo tanquam ratione formali assentiendi,
seu vt propria, & per se causa præstandi assen-
sum propositioni illatæ ob connexionem præ-
missarum, vel medij cum conclusione, sub for-
116 ma aliqua argumentandi Arist. Et hoc mo-
do ex omnium sententia omnino verum habe-
tur nunquam ex præmissis cuiuscumque quali-
tatis sint istæ, & qualitercumque disponantur
inferri conclusionem de fide certam, nec suffi-
cientem ad obiectum formale fidei, cum de
ea, vt sic nulla detur reuelatio immediata,
aut mediata, imò neque notitia Theologica
supernaturalis, sed tantum merè naturalis etiā
quoad substantiam, vt bene docet Suarez ci-
tatus; quidquid alij absque fundamento, aut
fortè cum æquiuocatione in contrarium dicāt.
117 In hocque casu clare apparet habere locum
illud Philosophorum axioma, quod conclusio
sequitur debiliorem partem: cum per discur-
sum, tanquam rationem assentiendi, seu cau-
sam per se illationis ex præmissis, vna naturali-
ter cognita, vt omnis homo est risibilis, & al-
tera certa de fide, Christus est homo, infertur
conclusio naturali tantum notitia ex vi illa-
tionis cognita.
118 Altero modo vtimur discursu Theologico,
non vt formali ratione assentiendi, sed vt appli-
cante, aut explicante materiam, quæ est im-
mediate sub reuelatione diuina in altera saltē
præmissarum, vt ex vi materiæ inferatur con-
clusio, & præstetur assensus, qui, non est du-
bium, quod sit saltem Theologicus, & super-
naturalis, quoad substantiam, vt in illatione
exempli propositi, Christus est risibilis ex eo,
quod est homo; sed cum in huius præmissæ re-
uelatione formali, & immediata sit etiam re-
uelata mediate, & virtuali ea illatio, volunt
Doctores sententiæ affirmantis in hoc præci-
pue sensu reuelationem virtualem, & media-
tam esse sufficientem ad obiectum formale
fidei: quod nos cum Auctoribus citatis pro
nostra sententia negamus, & dicimus tantùm
sufficere ad obiectum formale assensus Theolo-
119 gici, & non ad obiectum fidei. Inde satis
ostenditur, quia supponimus ex mente D. Tho-
mæ vbi supra, & ex communi doctrina ferè
omnium auctorum, etiam oppositæ sententiæ,
habitum supernaturalem Theologicæ esse spe-
cie diuersum ab habitu fidei infuso, habereq;
obiecta, seu motiua formalia omnino diuersa;
hæc autem diuersitas in nullo alio assignari
posse videtur, nisi in hoc quod assensus fidei
eliciatur ex vi reuelationis Dei formalis, &
immediatę, assensus verò scientiæ supernatu-
ralis Theologicę ex sola fide virtuali, & media-
ta in aliquo ex principijs discursus theologici
modo dicto contenta, ergo hæc non sufficiet
ad obiectum formale fidei, quæ illatio sine du-
bio vim habet.
120 Verùm si declaratio, seu definitio Ecclesiæ
accedat, quæ prius tantum erat conclusio
Theologica, & in principio aliquo reuelata
virtualiter continebatur, fiet per eam formali-
ter, & propissimè de fide immediate, & non so-
lum mediate, cū iam sic sit reuelata formaliter
121 in se, & non in alio. Deducitur clare ex D.
Thoma 2. 2. quæst 11. art. 2. vbi Caietanus, &
& alij expositores primam normam, & proxi-
mam quoad nos ad assentiendum de fide assi-
gnant definitionem Ecclesiæ, probatur efficaci
ratione, quia definitū ab Ecclesia Deus per ip-
sam testificatur, sed Ecclesia definit esse de fide
verū in se, ac formaliter, ergo iā illud Deus in
se, ac formaliter testificatur; ergo eo ipso cōsti-
tuitur sufficienter sub obiecto formali fidei.

122 Neque inde sequitur, quod Ecclesia faciat de fide id, quod antea non erat, quod vt inconueniens deducebat Molina ad ostendendũ suum additamentum; nam ipsa tantum se habet, vt instrumentum Dei ad testificandum, & declarandum id, quod iam prius virtualiter & implicitè erat de fide, & reuelatum mediatè in alio, esse nunc quoad nos formaliter, explicite de fide, atque in se immediatè reuelatum. Diuinum enim testimonium idem est, & æquè certum, siue per ipsum, siue per Ecclesiam, siue per alium ministrum quemcumque Deus illud præbeat.

123 Dixi per alium ministrum, vnde sequitur non requiri (quod erat tertium punctum in præsenti regula) ad obiectum formale fidei reuelationem publicam, vel vniuersalem ab Ecclesia propositam, sed sufficere particularem à persona aliqua pia receptam, & sufficiẽter manifestatam; & quamuis aliqui graues Doctores, vt Can. lib. 12. de locis cap. 3. & 4. Bañez 2. 2. q. 1 art. 1. & Valentia tom. 3. q. 1. pun. 1, diff 5. probabiliter id non admittant, ducti ex eo, quod obiectum formale fidei sit prima veritas vt reuelans, & docens homines per Ecclesiam nempè per Apostolos, Prophetas, in scripturis, & traditionibus, iuxta illud Pauli ad Eph. sios 2. & 4. *Superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, &c.* hoc tamen non conuenit reuelationibus priuatis er-

124 go &c. Verum à nobis resolutum, vt probabilius docent multo plures ex melioris notæ auctoribus, vt Corduba in quæst. q. 17. lib. 1. Vega lib. 9. in Triden. cap. vlt. Bellarm. lib. 3. de iustificatione cap. 3. Suarez vbi supra sec. 10. Salmeron lib. 1. in epistolas Pauli par. 3. disp 2. idem videtur sentire D. Thomas, quandoquidem 2. 2. q. 1. art. 1. assignat primam veritatẽ, vt reuelantem pro obiecto formale fidei, cum de hoc ibi ex professo agat, nulla facta mentione Ecclesiæ reuelantis, aut doctrinæ publicæ.

125 Probatur primo inductione sumpta ex Scriptura sacra, vbi legimus diuersas reuelationes priuatas, etiam de rebus humanis, & temporalibus receptas à particularibus personis, quarum fides ex eis elicita tanquam diuina, & supernaturalis eiusdem excellentiæ, cum qua nis alia valdè laudatur: ita Paulus ad Heb. 11. laudat fidem multorum, *Sancti, inquit, per fidem vicerunt Regna*, præcipuè fidem Saræ reuelatione de conceptione filij Isaac, idem est de fide in Abrahamo, in Adamo, & in Angelis, qui non per Ecclesiam, sed priuatim re-

126 uelationes acceperunt, ergo &c. Ratio etiã efficax pro hac parte est, quia assensus præstitus ex vi talis priuatæ reuelationis procedit ex eodem formali motiuo, ex eademque obligatione captiuandi intellectũ in Dei obsequiũ, nec sine eius gratiæ auxilio prestari potest, cum sit actus supernaturalis, cui conuenit esse fundamentum iustificationis, vt patet ex eodem loco ad Hebræos 11. & quodcumque aliud, quod assensui ex reuelatione per Ecclesiam proposita elicito competit, ergo reuelatio priuata sufficiens est ad obiectum formale fidei.

127 Pro responsione doctrinali ad rationem alterius sententiæ inseruit valdè diuisio illa fid[ei] in Catholicã, & Theologicam, quam ex com[muni] muni Auctorum adducit Suarez citatus, dici[tur] tur ex parte materię fides Catholica omnis i[l]la doctrina, quæ toti Ecclesiæ vniuersali cre[denda] denda proponitur, cõducens ad salutem æter[nam] nã, cum idem sit doctrina, vel fides Catholi[ca], quod vniuersalis. Theologica vero fid[es] dicitur ex parte etiam materiæ quidquid a Deo reuelatum est, quamuis ad communem Ecclesiæ doctrinam, & vtilitatem non spect[et].

128 Quæ diuisio tantum est accidentalis, cum hoc duo membra se habeant, vt includens, & inclusum, nam omnis Catholica quippe qui d[e] Deo tractans, & credens Theologica e[st],

129 sed non è contra. Vnde tametsi illa, atte[n]ta vi nominis, dicatur proprie vniuersalis, in[ter] tamen ipsa vniuersalior est Theologica, seu a[d] plura se extendens. Iam ad rationem contr[a]riæ sentẽtiæ respondetur in eo loco ad Ephe[s.] 2. & 4. loqui D. Paulum di fide Catholica, v[t] patet ex verbis ipsis, *superædificati &c.* & par[i] modo respondendum est ad quæuis alia testimonia, si quæ sunt in contrarium, maximè D. Thomæ 2. 2. q 5. art. 3. & 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. & de virtutibus art. 13. ad 6. vbi in oppositã partẽ inclinare videtur, dicendum enim ipsi esse sermonem de reuelatione, & fide Catholica, non vero de Theologica particulari.

130 Per modum illationis ex doctrina tradita, vnico verba decidenda est negatiue illa quæ[s]stio, an vltima fidei resolutio fiat in Eccle[siæ] auctoritatem, datur enim vera fides superna[turalis], & infusa non ex reuelatione per Ecc[le]siam proposita, & quia vltima resolutio fit [sem]per in obiectum formale, seu motiuum cr[e]

131 dendi. Et reducendo ad praxim, sic fit: [si] enim credis Ecclesiæ definienti, si interroga[ris], cur ei credas? respondebis, quia habet in[fallibilem] fallibilem assistentiam Spiritus sancti: & rur[sus] si interrogeris cur hoc credas? responde[bis] quia Deus reuelauit, cui etiam credis ob in[finitam] veracitatem, & auctoritatem, non verò [au]ctoritatem Ecclesiæ, quamuis ipsa Dei reue[la]tionem nobis proponat, sicut & Scripturam sacram, in qua talis reuelatio continetur. D. Bonauentura in 3. dist 24 art. 1. q. 2. Valen[tia] vbi supra punct 1. diff. 4. Bellarm. lib. 3. de ver[bo]

132 Dei cap. 3. & omnes ferè communiter. A[t]que hoc quidem re ipsa verum est de resolutione fidei secundum se: quoad nos tamen be[ne] addit Caietanus 2. 2. q. 1. art. 1. cum alijs propo[sitam] sitam esse nobis Ecclesiam, vt ab Spiritu [san]cto gubernatam, tanquam proximam, [&] sufficientem normam credendi, ac proinde Fidelibus, vt in plurimum maximè à simplici[bus], & ignorantibus in eius auctoritatem, v[el]que sensibilem, & externum assensum fidei [re]solui, quod huius doctrinam nesciant expe[n]dere, atque diuinam auctoritatem, vtique o[m]nino spiritualem, & nimis excellentem expr[es]

133 sè nequeant attingere. Verum sic resoluendo in Deum etiam implicitè suam fidem re[sol]uunt: de norma autem auctoritatis Eccle[siæ] & de alijs credendi normis statim ex profe[sso] à nobis agetur.

An

An cum fidei actu, & habitu posse esse euidens rei ſcientia, ac euidens de Deo non viſo, reuelante cognitio? & ac hac ad fidem expediat.

REGVLA LIX.

34 TAmetſi quis non videat Deum, neque res ab ipſo dictas, nec aliter eis aſſenſum præſtet, niſi ex diuina reuelatione; poteſt tamen euidenter, cognoſcere Deum eſſe, qui eas reuelat, atque ipſarum quandoq. euidendentem cognitionem naturalem, & ſupernaturalem quoad habitum, & quoad actum ſimul cum aſſenſu fidei habituali, & actuali habere, neque in hoc vlla eſt repugnantia. Verum dicta euidens cognitio Dei non viſi nequaquam eſt neceſſaria ad obiectum formale fidei, imò in ea nullo modo talis aſſenſus fundari valet.

---

35 CIrca omnes ferè huius Regulæ particulas eſt non leuis controuerſia inter Doctores, ideo ſigillatim diſcutiendæ. Bañes 2. 2.q.1.art.5. & q.5. art.1. cum alijs recentioribus impoſſibile eſſe iudicat poſſe clarè cognoſci eſſe Deum, qui reuelat, ipſo non viſo; inde ducitur, quia inter homines non viſa perſona loquente, nequit cognoſci talem eſſe, qui loquitur; ergò à fortiori non viſo Deo nequibit percipi, quod ipſe loquatur, ſeu reuelet; cū huius locutio ſit magis remota ab humana cognitione; quippe quæ omnino intellectualis,
6 & voluntaria, atque actus immanens. Et quidem diſtinguendo de cognitione euidenti, nempe vel intuitiua, & hanc non poſſe eſſe iam per ſe patet; vel per effectus, & nequaquā iſtam habere locum conſtat ex eo, quod effectus indicet cauſam operantem, & non loquentem; vel denique per ſigna, & hæc nulla in nobis, ſiue ſenſibilia, ſiue intellectualia poſſunt fieri à Deo, quæ non poſſint ſimiliter fieri ab Angelo; ergò nequibit cognoſci, an hic vel Deus loquatur.

7 Vt certum tamen contrarium tuemur cum Durando in 3. diſt.29. dub.13. Suarez vbi ſup. & cum alijs penè innumeris: oſtenditur primo de euidēti cognitione ſupernaturali, quia nulla apparet repugnantia, cur non poſſit Deus infundere in mente hominis ſpecies ſupernaturales, quibus formetur ſpirituale verbum, ſimiliter infuſum, & ſupernaturale, ipſi homini expreſſiuum harum, vel illarum rerum, & eidē infundere lumen, quo euidenter cognoſcat per tale verbum interius, vel etiam exterius Deū eſſe loqui, vel notificare res illas. Vnde ea cognitio, (vt iam rationibus in contrarium ex parte fit reſponſum) erit abſtractiua, ab effectu deducta; nec habet vim quod obijcit Bañes de interuentu Angeli qui decipere poteſt, quia ſi interuenit bonus ſpiritus, vt miniſter Dei, iam diximus ſupra Deum, neque per ſe ipſum, neq. per ſuum miniſtrum mētiri poſſe, aut decipere quòd ſi malus, iam pios fideles ſic hortatur D. Ioannes 1. Can. 4. *Nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint*: ex qua etiam exhortatione clarè deducitur poſſe hominem pium prædicto diuino lumine, & gratiæ auxilio euidenter cognoſcere qualiter Deus, aut bonus ſpiritus in ſe loquatur, aut operetur,

139 Nec refert quod aliquando permittat Deus, vt à malo ſpiritu transfigurante ſe in Angelum lucis, vt ait Apoſtolus 2. Cor. 11. incautus aliquis decipiatur: aliæ rationes in contrarium nullius ſunt momenti.

140 De euidenti cognitione naturali eſt difficilius oſtendere aſſertionem noſtram; perſpicacitate tamen ingenij per ſigna aliqua poteſt quis ingenioſus euidenter percipere præſentiā Dei in ſe loquentis, ſeu operantis; exemplificat bene Caietanus in primo Angelo dum fuit viator, & accepit reuelationem myſteriorum fidei; tunc enim euidentet cognoſcere potuit eam locutionem fuiſſe à Deo, & non ab aliqua creatura, cum tunc nulla eſſet ſuperior illo, idque ei innoteſceret ex ſpeciebus quorumcūq. entium naturalium, iuxta requiſitum naturæ

141 ipſius mēti eiuſdem impreſſis. Plura exempla in confirmationem affert Suarez vbi ſupra, vt de B. Virgine, quæ ex ipſo experimēto, quod ſine viro, & illæſa virginitate conceperat, & pepererat, euidenter deducebat cognitione naturali locutionem, ſeu reuelationem de tali conceptione, & partu fuiſſe à Deo: item de animabus Purgatorij, quæ etiam ex ipſo experimento naturaliter, & euidenter cognoſcunt teſtificationem, ſeu reuelationem, de eodem Purgatorio, & de alijs fuiſſe à Deo &c.

142 Aduerſus aliam particulam, quod de rebus reuelatis ſimul in eodem intellectu poſſint reperiri fides, & ſcientia euidens per demonſtrationem, tam naturalis quàm ſupernaturalis, inſurgunt idem Bañes, Can. lib. 2. de locis c.12. Capr. in 3. diſt.25. art.2. concl.1. & 2. Ricard. diſt.24. q.4. & 5. Scotus ibi q.1. & Molina 1. part. q.1 art.2. diſp.4. & hæc autem, atque impugnant, eorum iudicio fortiſſimo Achille, deſumpto ex definitione Apoſtoli ad Hæbr. 11. ***Fides eſt argumentum non apparentium***, ergo ſi appareant, & euidenter cognoſcantur, iam non erunt materiæ fidei, ergo obſcuritas, & nō

143 apparentia eſt de ratione obiecti fidei. Adeò indiſſolubile viſum eſt hoc argumentum Capreolo, vt ob id inductus ſit affirmare, quamuis Chriſtianum, vbi primum demonſtratiuè cognoſcit has veritates, Deus eſt, vnus, Creator & ſimiles, amittere fidem etiam habitualem circa eaſdem veritates.

144 Verū nimis rigoroſè Capreolus hanc obſcuritatē, & non apparentiam ſumit, cū experiētia ipſa cōſtet oppoſitū, quòd fidelis factus doctior circa illas veritates per euidētem ſcientiā non minus firmiter eas credat, ſymbolumq. fidei, in quo ipſæ cōtinentur, tota mente profiteatur.

145 Sicut e contra Philoſophus Ethnicus, qui iā de exiſtentia Dei euidentem cognitionem habet, ſi conuertatur ad fidem Catholicā, & credat eandem Dei exiſtētiam, vt debet credere, iuxta illud ad Hebr. 11. *accedentem ad Deum*

oportet credere, quia est &c. non amittet habitū dictæ euidentis cognitionis, quod à Capreolo credo, negari non potest; & ratio est, quia actus infusus supernaturalis nullā habet oppositionem cum habitu acquisito; ergo neq. è cōtra actus acquisitus cum habitu infuso; & multo minus hic habitus cum habitu acquisito. Docet Alex. Alen. 3. par. q. 68. memb. 7. art. 2. Albertus Magnus in 3. dist. 24. art. 9. Gabr. ibi art. 2. conf. 3. D. Bonauentura art. 2. q. 3. Valentia tom. 3. disp. 1. q. 2. punct. 4. Salm. ad Hebr. disp. 21. Suarez vbi supra sect. 9. Castro Palao tract. 4. disp. 1. pun. 4. § 1. ac multi alij ex antiquis, & recentioribus melioris notæ.

146 Maior autem est controuersia circa actus, & quidem Doctores modo citati meritò idem affirmāt de ipsis, nempè, quòd duo assensus fidei, & scientiæ demonstratiuæ realiter distincti simul eodem tempore absq vlla repugnantia in eodem intellectu circa eandem veritatem reperiri possint, & consequenter, quod haud sit de ratione obiecti fidei actu non esse

147 euidens per aliud medium † A priori probatur efficaci argumento, quia tunc simul concurrunt duo motiua, seu media diuersarum specie rationum ad assentiendum veritati propositæ, diuina scilicet authoritas reuelans, & discursus demonstratiuus; ergo intellectus per vtrumque operabitur producendo duplicem actum, seu assensum specie distinctum; si enim quouis istorum mediorum separatim sumpto inducitur ille ad eliciendum vnum actum, vel fidei, vel scientiæ demonstratiuæ, cur postea altero concurrente non inducetur ad eliciendum actum secūdum, adhuc manente primo? cum neutiquam inter ipsos oppositio vlla assignetur, neque assignari possit ab auctoribus negantis sententię, quod egregiè ostendit Sua-

148 rez sect. citata à num 7. vsque ad 13. Vbi peculiariter refutat modū loquendi nostri Molinæ asserentis in prædicto casu non produci duos illos actus, sed alium tertium alterius speciei continentem in se eminenter, & non formaliter rationem fidei, & rationem scientiæ demonstratiuæ; quod assertum tanquam improbabile multis ostendit Suarez nullo modo posse subsistere, maximè ob rationem propositam quod cum duo tunc concurrant media, seu motiua formaliter distincta, duos debeant producere assensus specie diuersos simul, & eodem tempore.

149 Ad rationem autem in contrarium ex illo Pauli, *Fides est argumentum non apparentium* desumptam, vnico verbo cum ipso Suarez respondeo, per euidentem cognitionem veritatum diuinarum, de quibus simul fidem habemus nequaquam reddi nobis non apparentes, eo quod ipsas non videamus, prout in se sunt.

150 Quo sensu affirmabat D. Ioannes Baptista se nescire Christum Dominum, tametsi de ipso iam tunc veram fidem, & euidentem scientiaTheologicam supernaturalem, & naturalem modo dicto haberet, *& ego* inquit, *nesciebam eum*, Ioann. 1. *nesciebam* exponit Sanctus Ambrosius, *idest de visu; quia adhuc tunc eum non viderat, & sic ipsi Christus non apparuerat, ac proinde erat ex non apparentibus, de quibus ait Apostolus argumentum non apparentium*, ergo poterat habere tunc D. Ioannes fidem infusam, & euidentem scientiam de Christo Domino, sicuti re vera habebat, ergo sicut in Ioannis, ita in cuiusuis alterius intellectu hoc locum habebit.

151 De contentis in alijs particulis præsentis Regulæ, quod euidens cognitio de Deo non viso reuelante, & de re reuelata non sit necessaria ad obiectum fidei, & quod assensus huius in ipsa fundari non possit, constat ferè iam ex supra traditis: vndè hic tantùm adiungo, quod id intelligatur tum respectu totius Ecclesię Catholicæ, tum respectu particularium, quæ immediatè à Deo reuelationem accipiunt: Probat copiosè Suarez vbi supra sect. 8. vide probationem, si placet, apud ipsum: nos parum conducentem ad nostrum institutum omittimus, vt iam vtroque fidei obiecto materiali, & formali sufficienter explicato, de Regulis, seu normis proponendi res fidei aliquid Proferamus.

Obiectum fidei proponendum ne à Deo immediatè? & qualiter in credibilitate hoc excellit?

REGVLA LX.

152 TAmetsi absolutè loquendo necessarium non sit ad credendum; vt fidei obiectum à Deo immediatè proponatur, neque ipsa fuerit propositum (exceptis aliquibus casibus peculiaris necessitatis, dispensationis, dignationis, ac priuilegij) propositio tamē talis debuit esse, vt mysteria fidei Christianæ fierent euidenter credibilia, vti prorsus facta sunt, adeòut in ratione credibilitatis fides nostra Catholica ita superet quascumque Paganismi, Iudaismi, & Hæreticorum sectas; vt comparatione illius sint planè incredibiles.

---

153 ERror fuit antiquus, innouatus ab hæreticis nostri temporis, teste Cardinali Bellarminio lib. 3. de verbo Dei cap. 3. affirmantibus *illud tantum esse credendum ab homine, quod Deus immediatè ei proponit, & reuelat*, idque deducendo ex aliquibus scripturæ locis perperam intellectis, vt ex illo 1 Ioann. 2 *Vnctio docebit vos de omnibus*, vt infra, *Non necesse habetis, vt aliquis vos doceat*, & ex illo Matth 23. *Vnus est Magister vester*, & ex aliis

154 similibus. Certum tamen de fide est contrarium, & patet clarè inductione, quia secundum omnium Sanctorum Patrum, & Thelogorum doctrinam, ex D Dionysio cap 4 de diuinis nominibus desumptam, Deus Opt. Max. haud immediatè singulis Angelis reuelauit mysteria fidei; sed vt creditur tantum supremo; & medio isto reliquis, suo ordine: imò & Adamus licet à Deo immediatè fidem infusam acceperit, quoad obiecti propositionem, vti magis receptum traditur per Angelos fuisse illuminatum,

tum; vt per hunc primis Patriarchis, & per
hos alijs posteris successiuè idem fidei obiectũ
155 proponeretur. Patet clarius ex Scriptura
Exod. 14. *Crediderunt Deo, & Moysi seruo
eius*, Deo vt testificanti, Moysi vt immediatè
proponenti testificata, Deuter. 10. *Eruntque
verba hac in corde tuo, & docebis ea filijs tuis*,
psalm. 77. *Quanta mandauit Patribus nostris,
nota facere ea filijs suis*, atque ex testamento
nouo Luc. 1. *Sicut locutus est per os Sanctorũ,
qui à seculo sunt Prophetarum eius*, & Matt.
vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; sed
hæc supersunt pro re adeo certa.

156 Dixi per parenthesim (exceptis aliquibus
casibus necessitatis &c. vt illo iam expresso de
primo Angelo, vel alio; necessarium enim fuit
vt aliquis saltem à Deo immediatè in mysterijs
fidei instrueretur, vt per istum sic instructum
alij in eisdem mysterijs instructionem accipe-
157 rent. Secundus casus est specialis dispensa-
tionis, seu dignationis; nam dignatus fuit eter-
nus Dei Filius assumpta humanitate per se ip-
sum immediatè proponere hominibus fidei
nostræ mysteria, vt prædixerat Isa. cap. 54. *Da-
bo filios tuos doctos à Domino*, & huc fit allu-
sio Ioann. 6. *Scriptum est in Prophetis, erunt
omnes docibiles* Dei clarius ad Hebr. 1. *olim
Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè
locutus est nobis in Filio, idest per filium*.
157 Tertius casus est singularis priuilegij, vt in
D. Paulo, cui doctrina fidei à Deo immediatè
reuelata fuit, vt ipsemet affirmat ad Galat. 1.
non ab hominibus, inquit, *neque per hominem,
158 sed per Iesum Christum &c.* Præter hos ca-
sus, communiter Deus mediatè per alium me-
diatione suppositi reuelauit, & proposuit my-
steria fidei, quamquam immediatione virtu-
tis id præstiterit cooperando speciali modo, &
causa particularis, & non solum concursu cau-
sæ vniuersalis, iuxta illud Marci vltimo. *Præ-
dicauerunt vbique Domino cooperante, sermo-
nem confirmante &c.* Ad loca autem scrip-
turæ in contrarium adducta facilis est respon-
sio ex traditis, & D. Ioannes ait non esse neces-
sarium aliquem, qui doceat, quia iam ipse do-
cuerat, quæ essent credenda, & obseruanda,
vide Suarez disp. 4. tota sect. 1.

Nihilominus obiectum fidei taliter debuit
proponi, vt mysteria eius fierent euidẽter cre-
dibilia, vti re vera facta sunt, (quod propositio
obiecti talis fuerit, patebit ex regulis sequenti-
bus) hoc indicat D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 4.
ad 2. vt de fidelibus ita affirmat, *Non crede-
rent, nisi viderent esse credibile*, atque ex com-
muni consensu Doctorum tradunt copiosè Ba-
nes dicto articulo 4. dub. 4. Medina lib. 2. de re-
cta in Deum fide, Valentia disp. 1. tom. 3. q. 1.
punct. 4. Suar. citatus, probantque efficaciter
rationibus desumptis, præcipuè ex quadrupli-
ci capite. Primo ex Prophetia, hinc enim
apparet nostram fidem esse euidenter credi-
bilem, quod multis antea sæculis fuerint præ-
dicta à Prophetis, quæ Christo Domino conti-
gerunt, vt egregiè perpendunt Eusebius Cæ-
sariensis lib. de Euangelica demonstratione.
D. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23.
& alij, futura autem contingentia nequeunt
certò prædici, nisi à Deo, ergo ab ipso talia
162 contingentia fuere prædicta. Secundo ex
multitudine, & magnitudine miraculorum,
quæ ad confirmandam euidentiam credibili-
tatis nostræ fidei iugiter in Ecclesia Catholica
operata sunt. *Miraculum enim*, vt ait D. Chry-
sostomus hom. 14. in Matth. *est pignus quod-
dam omnipotentiæ Dei; vnde de eo dicitur* psal.
135. *Qui facit mirabilia magna solus*; & prop-
ter operationem præcipuè miraculorum, quid
quid Deus reuelat, ac testificatur, fit euiden-
ter credibile, iuxta illud psalm. 92. *Testimonia
163 tua credibilia facta sunt nimis*. Tertiò idem
patet ex stabilitate, & inexpugnabilitate no-
stræ Religionis, contra quam nulli Principes Ty-
ranni, nulli idolorum cultores, neque Hæretici,
neque Philosophorum argutiæ, neque portæ
inferi præualere potuerunt, nec vnquam po-
164 terunt. Quarto innotescit euidens creduli-
tas nostræ fidei ex professorum eius insigni san-
ctitate, & martyrum, qui pro ea passi sunt,
constantia inenarrabili, atque hoc de euidenti
credulitate fidei nostrę absolutè traditum om-
nino verum apparet.

165 Cæterum multo verius apparebit, si compa-
ratiuè aliquantulum exprimatur, videlicet fa-
cta comparatione, quoad hoc inter fidem Ca-
tholicam, & reliquas infidelitatis sectas Paga-
nismi, Iudaismi, Hæreticismi &c. imo istarum
166 incredibilitas hinc manifesta fiet. Paga-
nismi duplex est species, sub altera sunt Gen-
tiles, qui plures Deos colunt dicti Idololatræ,
atque isti peccant multipliciter approbantes
multa, quæ sunt contra rationem naturalem,
& contra bonos mores; & iuxta doctrinam
Diui Augustini lib. 12. de Genesi ad litteram
c. 14. *Cum ad aliquid*, inquit, *peruenitur, quod
est contra bonos mores, non magnum est, tunc
167 falsam sectam à vera discernere*: Nec est cur
immoremur in exprimendis hoc loco his ra-
tioni naturali repugnantibus, quæ illi appro-
bant, inuenies copiosè apud Iustinum in Apol.
Cyprianum cõtra Idololatras, & apud Tertul-
lianum in Apolog. qui peculiariter ostendunt
ipsam Idololatriam, seu pluralitatem Deorum
168 esse manifestè contra lumen naturæ. Sub
altera Paganismi specie, quæ magis propriè Pa-
ganismus dicitur, continentur Mahometani,
seu Mahometi sectatores; qui tametsi vnum
solum Deum agnoscant, multa tamen etiam
contraria rationi, & turpia admittunt, vt quod
felicitas sit in voluptatibus corporis, & alia quę
referre pudet; affert ea Medina lib. 1. de recta
169 in Deum fide cap. 4. Vbi etiam ostendit, qua-
liter in eorum Alcorano, quam ipsi vt suam
scripturam sequuntur, multæ contradictiones,
& inconstantiæ in doctrina contineantur: ob
quæ omnia secta hæc Mahometanorum, sicut
& præcedens Gentilium præcipuè compara-
tione facta cum nostra Religione nihil habere
credulitatis conuincuntur.

170 Sed quid si Iudaismum cum fide Catholica
comparetur? Equidem hæc magis credibilis,
illud vero omni credibilitate carere compro-
babitur. Principalis Iudæorum error est circa
aduen-

aduentum Messiæ: hunc enim iam venisse pertinaciter negant, & venturum adhuc sperant. Vnde si in hoc errare conuincantur, in reliquis suæ sectæ facile refellentur, & hæc omnino in-
171 credibilis apparebit. Venisse autem iam Messiam clare duplici argumento demonstratur, altero desumpto ex Prophetijs veteris testamenti, si iam istæ adimpletæ ostendantur: & primo ostendit adimpletas ipse Messias Christus Dominus, dum præcipit sic Iudæis, Io. 5. *scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me*, & idem Christus ad excitandam de se ipso fidem, eas scrutatus est, Luc. vlt. *vbi incipiens à Moyse (cuius lex, & scriptura*, vt ait D. Augustinus lib. 16. contra Faustum cap. 22. *tota fuit Prophetia quadam, & & figura Christi) & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso scripta erant*, & ibidem testatur, *hæc omnia iam esse adimpleta, necesse erat*, inquit *impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & Psalmis de me*.

172 Pari modo alij, qui de aduentu Messiæ testimonium perhibent per adimpletionem scripturarum veteris testamenti ipsum iam venisse ostendunt. Hinc Angelus de executione Incarnationis loquens, ad Prophetias recurrit dicens, *Dabit illi Dominus Sedem Dauid Patris eius*: & B. Virgo in suo Cantico, *Sicut locutus est ad Patres nostros Abrahã &c. & Zacharias in suo, sicut locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius*, & Simeon in suo *Quod parasti ante faciem omnium Populorum*.

173 Idem præstant Euangelistæ, vbi agunt de Mysterijs Christi Domini per allusionem ad veteres Prophetias, de eius Incarnatione Matth. 1. vers. 22. de Natiuitate, Matth. 2. vers. 6. de Passione, Ioannis 19. vers. 24. 36. & 37. Dum prædicabant Apostoli Iudæis, ex eisdem scripturis, iam adimpletis venisse expectatum Messiã suadere conabantur, vt constat actorum 2. 3. 13. & 15. Petri 2. epist. cap. 1. & Pauli maiori ex
174 parte epistol. ad Hebræos. Eos imitati SS. Patres D. Cyprianus lib. 1. & 2, ad Quirinum, Tert. & S. Greg Nyssen. lib. contra Iudæos, D. Chrysost. quinque orationibus contra eosdem, D. August. oratione ad Catechum. contra varios errores à cap. 11. & Euseb. lib. 2. de demonstra-
175 tione Euangelica. Desumitur item argumentum ad conuincendum Iudæos de aduentu Messiæ ex operibus Christi Domini, ex quibus aliqua admodum excellentia refert per extensum Sanctus Ioannes Euangelista ad finem prædictum, suadendi aduentum Messiæ, & diuinitatem eius, vt ipse Ioannes testatur cap. 20. *Hæc autem*, inquit, *scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius*, ergo conuincti manent Iudæi de executione aduentus Messiæ, & consequenter de incredibilitate omnimoda suæ sectæ.

176 Superest facienda breuiter comparatio nostræ fidei cum sectis Hæreticorum, non cum singulis, cum sint penè innumeræ, & id non postulet præsens locus; sed cum omnibus simul in communi. Conueniunt nobiscum hæretici in varijs primo quòd fateantur doctrinam à Christo Domino, & ab Apostolis traditam esse veram: Secundo, quod sit vnà tantum Christi fides, teste Apostolo ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, &c.* Tertiò hanc fidem, seu doctrinam Christi debere esse puram, & alienam ab omni falsitate, si enim aliquid erroris, seu falsitatis in ea admittatur, iam tota erit incerta, nec poten-
177 haberi, vt Doctrina Dei. Atq; hinc sequitur ex omnibus doctrinis, quæ nomine Christi circumferuncur vna tantum earum esse equidem à Christo Domino, & consequenter ipsam so- esse credibilem, vti à Deo reuelatam, & traditam: cum enim doctrinæ inter se contraria con- tineant, nequeunt esse omnes veræ, ergo vna tantum earum est vera Christi Doctrina. Quare dissidentia inter nos, & hæreticos in eo consistit, quod vnusquisque istorum defendat suam doctrinam esse, quam Christus, & Apostoli tradiderunt, quod nos omnino negamus. Nam nulli sectæ, seu doctrinæ eorum competunt il- la quatuor, quibus paulo ante nostram fidem Catholicam euidenter credibilem ostendimus.

178 Imo è contra ipsę hæreticorum sectæ, seu doctrinę ex alijs capitibus prorsus incredibiles redduntur, nempè quod sint nouæ, & non antiquæ, sicut doctrina nostra Catholica, cuius antiquitas tanta, & talis est, vt eius origo ad Christum Dominum, & ad Apostolos, saltem virtualiter ad principia scilicet ab ipsis tradita re- ducatur, & continuatio perpetua eiusdem p- Summos Pontifices Romanos à D. Petro, v- ad præsentem Sanctissimum Dominum In- centium Decimum clarè manifestetur: no- sic in sectis, seu doctrinis hæreticorum, im- illud S. Iustini Martyris in Dialogo cum Tryp- ne: *Omnis hæresis*, inquit, *ab aliquo d- originem, qui à Christo Domino desciuerit*, *à nomine auctoris suos sequaces nominat*, De
179 hoc plura apud Irenæũ lib. 3. contra hære- cap. 3. & apud D. Hieronymum epist. 65. ad machium, vbi circa nouitatem sectæ ita: Q- quis, inquit, *assertores nouorum dogmatu- quæso te vt parcas Romanis auribus, par- dei, quæ Apostoli voce laudatur*, & paulo p- *vsque ad hunc diem sine ista doctrina m- Christianus fuit, eam senex tenebo fidem, q- à parentibus accepi, cur post quadringentos nos docere nos niteris, quod antea nesciuim-*

180 Item in doctrinis hæreticorum maxima re- ritur mutabilitas, & inconstantia, sibique fis valdè contrariantur. de quo varijs in lo- D. August. præcipuè lib. 1. de peccatorum ritis, cap. 34. *vbi prius* inquit, *apud se ipsi c- sentiant, & ita fiet, vt à nobis nulla ex p- dissentiant*, & Tert. lib. de præscriptionibus reticorum, *Dum sibi*, inquit, *aduersantur,*
181 *dem nostram confirmant*. Atq; ob hanc c- trarietatem, & mutabilitatem aliud maius surdum amplectuntur, nempe corruptione aut mutilationem Sacrarum Scripturarum saltem sinistram earum interpretationem p- prio arbitrio adinuentam, *coguntur*, inq- Ireneus lib. 5. contra hæreticos, *multa male in- terpretari, quia vnum nolunt benè intellige-* similia D. August. lib. 28. contra Faustum

reti-

reticum cap.22. & D.Epiphanius hæresi quadragesima quarta. Ex quibus omnibus iam clarè constat quamcumque hæreticorum sectam omnino carere credibilitate, nostramque fidem Catholicam esse euidenter credibilem, & ad rem adeo certam clarius ostendendam non est cur plura adducantur, quæ possent adduci: quamquam ad idem inseruient adducenda statim de signis veræ Ecclesiæ, & de normis, quibus obiectum fidei à Deo reuelatum nobis proponitur.

Proponens vice Dei res fidei qualis esse debet? & an in hoc seruanda ei certa norma?

REGVLA LXI.

184 QVicumq; vice Dei mysteria fidei, seu obiecta eius partialia, ab eo reuelata alijs credenda proximè, seù immediatè proponit, infallibilis etiam auctoritatis, & veritatis esse debet: ac proindè sequatur oportet aliquã communem fidei normam, seu Regulam omnino certam, & infallibilem quæ ad hunc effectum in Ecclesia Catholica simpliciter, & necessariò requiritur.

185 NOn loquimur de proponente rem aliquam fidei credendam à Deo sibi immediatè reuelatam, cum hic, vt habetur in cap. cum ex iniuncto, de hæreticis, necesse sit, loquendo regulariter miraculo aliquo, vel signo diuino suam reuelationem confirmet, vt ab audientibus credatur; sed de proponente res fidei iam prius alijs reuelatas, siue hic sit concionator publicus, siue alius doctus ignaros instruens, aut venientes ad Christianismum catechizans. Quamuis enim iste, si secundum se spectetur, attenta capacitate, ac conditione humana, non habeat à se ipso infallibilem auctoritatem, errare possit; quatenus tamen suprema Dei auctoritate, & omnino certa reuelatione nititur, sicque veritatem propositam sufficienter credibilem reddit, iam apud audientes esse infallibilis auctoritatis censeri debet, seù, quod idem est, nequaquam posse mentiri, maximè cum inde oriatur obligatio eam veritatem, vt à Deo dictam credendi. Docet ex mente omnium Suarez disp. 5. de fide sect. 1. probatque hoc modo breuiter, & efficaciter, quia inter rem fidei propositam, & proponentem necessariò reperitur hæc connexio, & proportio, vt nequeat illa censeri infallibiliter vera, quin etiam hic credatur non posse fallere in eo, quod sic proponit; sed quotiescumq; res aliqua fidei sufficienter proponitur, obligantur audientes ad credendum eam tanquam infallibilem, ergò consequenter credere necessariò debent non falli ab eo, qui ipsam taliter proponit, quod est proponentem esse infallibilis auctoritatis.

186 Cæterum vt vtrumq; sic sequatur, prorsus necessaria est aliqua Regula fidei, seruanda semper à proponente res credendas. Quæ vt sit legitima, & proportionata, fundari debet in promissione Diuina omnino certa, hincquè habebit auctoritatem, & omnimodam infallibilitatem: debet etiam esse generalis, seù omnibus communis, atq; istæ conditiones secundum omnium mentem ei assignantur, tanquam ipsi
187. valdè intrinsecæ. Necessitas autem talis normæ fidei in Ecclesia Catholica, est certa de fide, vt patet ex Concilio Tridentino sess. 4 & magis patebit tradendo postea peculiares fidei normas: probatur tamen nunc hac ratione, quia de lege ordinaria, dum fides propagatur, & conseruatur in Mundo per sapientum hominum prędicationem, & doctrinam, non fiunt ea miracula, seu signa, quæ in prima eius plantatione ab Apostolis, & ab alijs operata fuere. ergo vt sufficienter, tanquam infallibilis, & certa fides proponatur, ipsam proponens vti debet aliqua regula eiusdem infallibilitatis, & certitudinis, sub qua eam contineri ostendere possit, alioquin non insurgeret obligatio ipsam recipiẽdi: neque superesse videtur alius modus doctrinam fidei infallibiliter proponendi. Confirma-
188. tur, quia cum Ecclesia Catholica vna sit, & perpetua, vt constat ex illo, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, Matth. 16. Cumque hoc ipsi proueniat præter hanc Christi Domini promissionem, ex eo pręcipuè, quod fides diuina sit etiam perpetua, & vna, *vnus Deus, vna fides*, Ephes. 4. neutrius vnitas, nec perpetuitas conseruari potuisset, nisi idem Christus prouidisset Ecclesiæ suæ de aliqua infallibili norma, seu regula credendi per quam regularentur Doctores, seu proponentes populo Christiano mysteria fidei, & soluerentur dubia emergentia circa, vel contra ipsa, vt soluta fuerunt per eã quæ quouis tempore contra mysterium Sanctissimæ Trinitatis, contra mysterium Incarnatio-
189. tionis, & contra alia emerserunt. Alioquin si Christus Dominus arbitrio vniuscuiusque regulam credendi reliquisset, quæ est naturalis cõditio hominum, vt inter se vix conueniant, in iudicijs, & opinionibus, tot essent regulæ credendi, quot iudicia Doctorum & consequenter tot fides, quot etiam Doctorum capita; atque hinc sine dubio tàm multiplices hæreticorum sectæ emanarunt: sed iam de ipsis Regulis in particulari.

Norma credendi infallibilis est ne Scriptura Sacra? & quænam huius definitio.

REGV ALA LXII.

190 PRæcipua, & præstantior cæteris norma credendi, seu Regula fidei est Verbum Dei scriptum, seu sacra, & canonica scriptura: quæ omissis nunc alijs definitionibus, sic breuiter, & congruè definitur: Est Scriptura Spiritus Sancti instinctu scripta, dictantis, non tantum sensus, sed etiam verba.

Hu-

192 HVius definitionis, quam adducit Suarez vbi supra sect.3. aliqualis explicatio præcedat oportet, vt postea, quod Scriptura Sacra modo dicto sit norma credendi facilius ostendatur. Dicitur scriptura instinctu Spiritus Sancti scripta; quia vt hæc sit omnimodæ infallibilitatis, & authoritatis, debet habere Deum auctorem, seù inspiratorem, vti re vera habet, & est certum de fide, tum ex Concilio Tridentino sess.4. tùm ex ipsa scriptura Petri 2. canon. cap.1. *non voluntate humana*, inquit, *sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei omnes*, item Matth.10. *Non n. vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, & Moysi dixit Deus, Exod.4. *Ego ero in ore tuo*, consonat D. August. conc. 2. in psal. 90. *De Ciuitate*, inquit, *à qua peregrinamur, scrip*
192. *ta nobis venere litteræ*. Dicitur dictantis non tantum sensum, sed etiam verba: de cuius particulæ veritate dubitandum non est (etsi aliqui immerito dubitent) quia deduci videtur clarè ex ipsa scriptura Psal. 44. *lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, secundum interpretationem ibi S. Basilij, Theodoreti, & aliorum; sed clarius ex eo, quod idem Rex Dauid ait 2. Reg. 23. *Spiritus Domini*, inquit, *locutus est per me, & sermo eius per linguam meam*; Ergo non solum sensus, sed etiam verba talis scripturæ dictata sunt à Spiritu Sancto, docent idem SS. Patres, præcipuæ August. lib. 7. Confess. cap. vlt. Chrysost. homil. 29. in Ioannem, & reliqui, quos referunt, & sequuntur Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 2. & Azor tom. 1. lib. 8. cap. 1. q. 11.
193 Ratio est, quia licet hoc fortasse non fuerit necessarium ad certitudinem sententiarum, oportuit tamen ad specialem dignitatem, & prærogatiuam talium verborum, & vt maiori cum veneratione haberentur, tanquam verba Dei, sicuti reuera habentur, eò quòd in singulis verbis, etiam à Spiritu Sancto particulariter inspiratis mysterium aliquod contineri posse iudicetur: quod non reperitur in alijs scripturis, licet à Spiritu Sancto censeantur dictatæ, quoad sensum, atq; ideo in canone sacrorum librorum non reponuntur, nec scripturæ sacræ, & canonicæ vo-
194. cantur. Exemplum ponit Suarez vbi supra in Concilijs, quorum definitiones quamuis quoad sensum specialiter à Spiritu Sancto sint dictatæ, non tamen quoad singula verba: quamquam differentiam hanc hanc inter definitiones Conciliorum, & Scripturas sacras, Lorin. 2. Petri 1. §. accedit, & alij piè, & probabiliter nõ admittunt.
195 Optimè declarat ibidem Suarez modum, quo Spiritus Sanctus dictauit singula verba scripturæ sacræ, nempè per motionem specialem antecedentem, imprimendo conceptum vniuscuiusque verbi per species infusas, vel peculiariter mouendo, & excitando species iam præ-
196. xistentes. Quem modum seruari non solum quoties mysteria supernaturalia, & quæ sunt supra captum humanum scribuntur, vt certum est, sed etiam aliqui neotherici volunt, præcipuè Basilius, Pontius, variarum disp. q. 4. expo sit. cap 1. §. *illud deniquè, in re quauis sensibus subiacente, quam scribit auctor Canonicus*: Verum in hac, & similibus non excedentibus captum humanum, vt probabilius tenet idem Suarez sufficere, quod ei assistat Spiritus Sanctus & custodiat ab omni errore, vel falsitate, & omnibus verbis, quæ non expediunt proferri.
197 Explicata hoc modo definitione proposita scripturæ sacræ, iam quod hæc sit infallibilis & præstantissima fidei regula, vt certum de fide constat primo ex duplici testimonio Christi Domini, Ioan. 10 *Si illos dixi Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura*, idest secundum expositionem D. Hilarij lib. 4. de Trinit. & aliorum, non potest falsa, aut mendax inueniri: item Ioann. 5. *Scrutamini scripturas, illæ enim testimonium perhibent de me*: Ergò scripturæ sacræ non possunt esse falsæ, aut mendaces, & testimonium perhibent de Christo Do-
198. mino, erunt infallibilis regula fidei. Definit etiam hanc veritatem Concilium Tridentinum sess. 4. ex traditione, afferuntque eam S. Irenæus lib 3. contra hæreses cap 1. D. Hieronymus ad Paulinum, de authoritate sacrarum scripturarum D. August. lib. 2. de Baptis. cap. 3. & plures alij, qui scriptura sacra tanquam infallibili fidei regula vtuntur. Vnde non est cur hæc veritas adeò certa varijs rationibus probetur, vnica contentus ero, quam desumo ex definitione sacræ scripturæ tradita: quia cum hæc sit verbum Dei scriptum opportunè cõstituitur regula veritatis, inde enim sumit omnimodam infallibilitatem, fundatam in Dei authoritate, quæ in ipsius verbo continetur: nam sicut Deus mentiri non potest, vt iam supra probatum est, neque in eius verbo, nec in scripturis ab eo acceptis mendacium, aut falsitas vllo modo reperiri, ergo &c.
19
9 Nec obstat, quod obijci posse videtur circa auctoritatem singulorum librorum scripturæ sacræ, seu Canonicorum: est enim triplex eorum classis, vt latè, & optimè affert Bellarm. lib. de Verbo Dei à cap. 4. & in prima reponuntur illi, de quibus nunquam fuit dubitatum, quin sint Canonici, & hi habent summam auctoritatem tam ex se, quam ex traditione, & approbatione Ecclesiæ: imo ipsi hæretici, vix vllam in
2
0 o. eos mouent difficultatem. Tametsi, quæ eorum instabilitas, & contradicendi propensio admittentes librum sacrum, partem in eo quam negant, vt in lib. Danielis, Susannæ historiam, qua nihil certius, nec est maior ratio cur in eo, vel in alijs vnam partem potius, quam alteram acceptent.
201 Iam in secunda classe sunt illi libri, & quidem plures de quibus olim fuit dubium, an essent Canonici, & sacri, vt de libro Hester, Iudith, Thobiæ, Machabæorum 1. & 2. Ecclesiastici, Sapientiæ, & Baruch Prophetæ: in nouo testamento de epistolis ad Hebræos, Iacobi, Iudæ, de 2. Petri, de 2. & 3. Ioannis, atq; de ipsa Apocalypsi, nunc autem de fide certum est omnes istos esse canonicos, & continere scripturam sacram, vt definitum fuit à Concilio Tridentino sess. 4. Ponit enim illos in Canone, & statim sic addit: *Si quis autem*, inquit, *libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione Latina habentur pro Sacris, & Canonibus*

nonibus non susceperit, anathema sit, atque hæc definitio fundata est in antiqua traditione, vnde dubium de canonica auctoritate istorum librorum omnino fuit sublatum.

2 In tertia Classe pauci sunt libri, nempè tertius & quartus Esdræ, ac tertius Machabæorum, de quibus fuit semper dubitatum, an sint in Canone reponendi, & vt pars scripturæ sacræ admittendi, atq; adhuc dubium manet, neq; vt tales fuerunt admissi ab Ecclesia Catholica, à cuius iudicio hoc pendet, iuxtà illud D. Augustini contra Epistolam Fundam. cap. 5. *Euangelio non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiæ commoueret*; ergo isti tres libri non possunt esse norma credendi.

203 Non item obstat, quòd fortè quis obijciet, non posse scripturam sacram esse regulam Fidei ob varietatem, & incertitudinem editionū, & translationū eius, cū regula debeat esse certa, & determinata; nam huic obiectioni satisfit cōpletè per definitionem Concilij Tridentini sess. 4 his verbis, *statuit & declarat S. Synodus, vt hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, pro authentica habeatur, vt nemo illam reijcere quoquomodo audeat, vel præsumat*; particula pro authentica habeatur, exprimit omnino intentum, cum sit idem, ac si diceret, quòd habeat infallibilem auctoritatem, & sit certa fidei re-
204 gula. Et confirmatur maximè adiuncta declaratione Cardinalium, quam impressam cum Marzilla affert Suarez citatus ad locum Tridentini adductum, *nec solam periodum*, inquiunt, *solam clausulam, vel solam dictionem, aut syllabam, iotaue vnum admitti posse, quod repugnet huic vulgatæ editioni latinæ*, ita ibi. Quare saltem secundum hanc editionem vulgatam scriptura sacra est certissima, & infallibilis regula fidei.

5 Aduertendum hic scripturam sacram magna ex parte esse admodum obscuram, idque ab omnibus concedendum, & vt omnino certum tenendum contra hæreticos nostri temporis qui ad decipiendam plebem prædicant eam esse claram, & perspicuam: cuius oppositum de Epistolis D. Pauli docet S. Petrus, 2. Can. cap. vlt. *in quibus*, inquit, *sunt multa difficilia intellectu*; & de quibusuis scripturis diuinis, seù Dei testimonijs ait Dauid, *Mirabilia testimonia tua, ideò scrutata est ea anima mea*. Obscuritas autem hæc prouenit ei ex duplici præcipuè capite, nempè ex altitudine materiæ, & mysteriorum, quæ sæpius paucis verbis, & metaphoricis, aut sub symbolis in ipsis proponuntur: sic autem proponi fuit conueniens ex speciali prouidentia Dei, vt notant Sancti Patres, præcipuè S. Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia, & Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 4. idque ad duplicem effectum, nempè, vel ad exercendum fidelium ingenia, & fidem, vt docet D. Gregorius homil. 12. in Ezechielem, *vel ad postulandum à Deo scripturæ intelligentiam, vti postulabat S. Dauid*, psal. 118. *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, non abscondas à me mandata tua*, ita D. Hieronymus in Isai. 18.

8 Prouenit secundo ei obscuritas ex multiplicibus sensibus ipsius, de quibus cum Sanctis Patribus multa copiosè noster Salmeron Prolegomeno 7. summa omnium breuissima est, quod duplex datur sensus scripturæ, alter litteralis, alter spiritualis, seu mysticus; litteralis est, quem immediatè indicant verba, & hic etiam duplex vnus proprius, expressus per verba in propria significatione, qui sensus, vt optime ait D. Augustinus de Doctrina Christiana cap. 5. & 15. regulariter debet retineri, & alijs præferri (nisi necessitas, aut auctoritas ex necessitate orta, aliud postulet) quia alias nihil esset firmum in scriptura sacra: alter metaphoricus, nempè quem verba immediatè exprimunt in significatione metaphorica (hunc aliqui vocant sensum spiritualem, sed immeritò) cum verba aliquando non habeant alium sensum litteralem & immediatum, sine quo esse non possunt, vt cum Christus dixit, *Ego sum vitis vera*, Ioan. 15. Iam
209 verò sensus mysticus, seu spiritualis est ille, qui per rem verbis significatam connotatur; in diuina.n. locutione nō solū verba, sed etiā res ipsæ aliquid significāt. Hic autē sensus triplex subdiuiditur, nēpe Tropologicus, seu moralis, qui mores respicit Analogicus, qui respicit statū æternæ beatitudinis, & allegoricus, qui mysteria Christi Domini, & Ecclesiæ militantis indicat. Cæte-
210 rum licet ex vtroque capite dicto scripturæ sacræ magna obscuritas proueniat; hæc tamen non impedit, quin ipsa sit infallibilis norma credendi, dummodò interpretationem accipiat, non ex iudicio cuiusque priuato, sed vt tradit Concilium Tridentinum sess. 4. ex communi Ecclesiæ iudicio, maximè si hoc sit definitiuum, & ex vnanimi Sanctorum Patrum consensu, de quo paulo post plura.

211 Item notandum omnia ferè haberi in scriptura formaliter, vt eius propria; aliqua tamen solum materialiter, quatenus referuntur ab scriptore sacro, vt dicta prius ab alijs spiritu humano, vt illud, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*, & illud poetæ, quod affert Apostolus, *Cretenses semper mendaces, &c.* Huiusmodi tamen dicta Canonicus scriptor non refert nec scribit sine spiritu Dei, & vt sic nec falli,
212 nec fallere potest. Verum ad huius notitiam maiorem, distinguendum amplius, quod aliud sit scriptorem statuere aliquid spiritu suo humano, seu propria voluntate, aliud scribere ipsum statutum spiritu humano, quæ duo confundere videtur Can. lib. 2. de locis cap. 16. cum sint inter se distincta, vt clarè patet exemplo de libello repudij, Matth 19. ait Christus Dominus, *ob duritiam vestram scripsit vobis Moyses &c.* vbi dubitatur de repudij lege, & de eius scriptione quo spiritu fuerit facta, & licet concedatur fuisse datam legem spiritu humano, scriptio tamē eius sine dubio exhibita fuit à Moyse spiritu Diuino, & clarius ex illo Pauli 1. Corin. 7. vbi de quibusdam ait, *Non ego sed Dominus* de alijs, *Præcipio ego, non Dominus*, vtrumque tamen
213 scripsit dictante Spiritu sancto. Qui tandem in hoc munere dictandi sacras scripturas consueuit semper se accommodare ad naturam, & ingenium, ac modum loquendi cuiuscunque scriptoris sacri, & permisit aliquando ab eo aliqua familiari, & humano modo scribi, quamuis

sub

sub dictatione sua: Hinc tamen nihil de scripturæ sacræ auctoritate detractum, quin infallibilis regula fidei esse possit.

An traditiones diuinæ non scriptæ sint certa norma credendi, & qua ﬆnam?

REGVALA LXIII.

214 **S**Ecunda norma fidei Christianæ est verbũ Dei non scriptum, seu quæcumque traditiones *diuinæ*, etiamsi non sint scriptæ, tàm doctrinales, quàm morales, quatenus continét aliquid credendum; si perpetuò sint in Ecclesia Catholica obseruatæ, & retentæ.

---

215 **V**T faciliùs, & clariùs totum hoc innotescat, & error oppositus refutetur, prius Etymologia nominis indicanda, & multiplex traditionum diuisio præmittenda. Nomen traditio licet ex vi sua actionem dandi, seu tradendi significet; ad rem tamen traditam significandã sæpius accommodatur, & peculiariter ad doctrinam, vel mores, aut præcepta à parentibus tradita significanda: hinc præcepta Moysis traditiones vocantur, Actorum 6 quæ Exod. 17. scripta extant; quia tam scriptæ, quam non scriptæ sic dicuntur, vt apparet ex illo 2. ad Thessal. *siue per sermonem, siue per epistolam*; verum ad non scriptas præcipuè significandas hæc vox traditio accommodari solet, sicque exponitur illud Apostoli 1 Corin. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*. De his autem non scriptis est nobis sermo in præsenti Regula, sed non de omnibus, & vt constet de quibus, maiori cum diuisione procedere oportet.

216 Triplex est istarũ traditionũ principalis diuisi o cũ vna sub diuisione: quædã.n. ex eis sunt vniuersales totius Eccl siæ Catholicę; quædã vero particulares quarundã Ecclesiarum, cuius diuisionis meminit D. Augustinus epist 86. ad Cosulanum & per se patet istas particularium Ecclesiarum non posse normam credendi esse, nisi per definitionem Ecclesiæ, aut Summi Pontificis sint approbatæ, & vt sic, tàm de his, quàm de vniuersalibus loquimur, & vtræque constituunt veram fidei regulam.

217 Secunda diuisio traditionum sumitur ex parte temporum: quædam enim sunt traditiones perpetuæ, ab initio Ecclesiæ, quædam vero temporales; quarum initium cognoscitur, aliquando definitè, seu positiuè, eo quod sciatur quo anno, vel quo tempore mos incœperit (hoc rarò euenit, nisi vbi incœpit ab aliquo canone, vel decreto scripto) aliquando verò negatiuè scilicet quod constare possit in aliquo tempore propè initia Ecclesiæ non fuisse in ea talem consuetudinem, vel doctrinam, & postea in ipsa inueniri; vndè deducitur tales traditiones habuisse initium post Apostolos, tametsi tempus determinatum, in quo inceperint, ignoretur.

218 Huiusmodi ergò traditiones habentes initi quocumq; modo, siue negatiuè, siue positiu cognoscantur, non sunt sufficientes ad consti tuendam fidei normam. Nam cum non sint vni uersales in tempore, nequeunt per se facere f dem Catholicam, quæ debet esse tempore vni uersalis. Intelligitur itaq; doctrina nostræ Re gulæ de quacunque traditione perpetua, cui initium ignoratur post Apostolos, & inuenitu seruata sine interruptione, sic sub his conditio nibus eam describit D. Augustinus lib. 4. de Ba tismo cap. 24.

219 Tertia denique, & magis principalis tra tionum diuisio est ex parte instituentis, qua d uiduntur in diuinas, & Apostolicas, illæ enim institutę, & receptæ à Christo Domino, istæ rò ab Apostolis, publicatores tamen vtraru fuerunt Apostoli, atq; ob hãc causam credo nomina apud Auctores sæpius confunduntur, quæ sunt Diuinæ, Apostolicæ vocantur, ac contra; absolutè tamen loquendo Apostolic humanæ traditiones sunt, cum per voluntate humanam fuerint introductæ, Deo tamen spe cialiter gubernante talem voluntatem, *vt illa* v.g. quod bigamus non ordinetur, & *pari modo* affirmandum de alijs, quod sint *simpliciter humanæ*, quæ post Apostolos per Ecclesiam, aut Concilia, vel Pontifices, vel per non scriptam consuetudinem fuerunt introductæ, & vocan tur Ecclesiasticæ; sed omissis his omnibus h manis, quod nullo modo de eis in proposita gula loquamur, dubitatur qualiter cognosci sit, quænam sint in particulari traditiones d næ, & quænam Apostolicæ?

220 Pro huius dubij solutione addenda est circ ipsas subdiuisio, nempe quod alię ad doctrin tantum, alię vero ad mores pertineant, doct nalesq; congruè illæ, ac istę morales vocari p sunt priores ad credibilia in mysterijs fidei or nantur, & sine dubio semper sunt diuinę, cu in reuelatione à Deo accepta fundentur: ac inde omnes istę traditiones doctrinales p

221 esse norma credendi. In moralibus est difficultas in cognoscendo, an sint diuinę, præceptis, vel Consilijs pijs à Deo, aut à C sto Domino immediatè traditis, an potius A stolicę, vt de pręceptis, vel Consilijs, &c. e stitutione Apostolorum receptis, v.g. illud bigamo non ordinando, de ieiunio quadrag mali, de vsu frontem cruce signandi, & simi

222 bus. Equidem si traditio sit de pręcepto a quo pertinente ad substantiam Sacramento vel sacrificij, aut pertinente ad necessitate fidei expresse pro salute spirituali hominis pliciter requisitę; vel item si sit de Consilio quo spectante ad statum perfectionis, aut substantialia eius, sine dubio iudicanda est tra tio diuina, sufficiens, ad constituendam nor credendi, quia lex Euangelica Diuina est, huiusmodi pręcepta, ac Cõsilia cõtinere cese

323 Si vero traditio sit de alijs pręceptis, aut co silijs circa cęremonias, vel obseruantias Ecc siasticas accidentales, censenda est traditio A stolica, ob rationem oppositam, quod ex E gelica, vt diuina est, non contineat partic res determinationes similium obseruationu cęre-

ceremoniarum &c. ita cum Diuo Thoma 1. 2.
q. 106. art. 1. & 2. & quodlib. 4. art. 13. & cum
alijs Suarez disp. 5. de fide sect 4.
Addit autem optime idem Suarez, in Apo-
stolicis traditionibus moralibus, seu practicis
sæpius includi aliquod præcipuum speculatiuum
doctrinale, fide diuina tenendum, ratione cuius
possit constitui norma credendi v.g traditio si-
gnandi se signo Crucis continet hanc veritatem
nempe talem vsum esse pium, & sanctum; simi-
liter traditio imaginum includit hoc principiũ
credibile, earum scilicet adorationem esse ho-
nestam, & laudabilem, & sic de alijs; atque ita
indicata traditionis etymologia, & multiplici
eius diuisione præmissa.
Iam contra hæreticos tàm antiquos, vt Ar-
rianos, Macedonianos, & Eunomianos, quam
recentiores, vt Lutheranos, & Caluinistas, quo-
rum alij aliquas, alij vero quascumque tradi-
tiones negant, & solam Scripturam sacram pro
norma credendi admittunt, doctrina proposita,
de fide certa innotescit clarè, primo testi-
monijs D. Pauli: preter supra positum 1. Cor. 11.
*Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vo-
bis*; est illud 2. ad Timoth. 1. *formam habe*, in-
quit, *sanorum verborum, quæ à me audisti in
fide, & dilectione, bonum depositum custodi*:
vbi clarè loquitur de doctrina non scripta, seu
de traditione: & ad huius testimonij exposi-
tionem dirigi videntur verba illa Sancti Irenęi
lib. 3. cap. 4. *Oportet*, inquit, *quæ sunt Ecclesiæ,
cum summa diligentia, diligere, & apprehendere
226 veritatis traditionem*. Et multo clarius illud
2. ad Thes. 2. *Non retinetis quod cum adhuc es-
sem apud vos, hæc dicebam vobis?* denotans
hoc sat esse ad fidem sine vlla scriptura, & in-
fra, *Tenete*, inquit, *traditiones, quas didicistis,
siue per sermonem siue per epistolam*. Vbi hæc
duo æquiparat, & parem vim, atque auctorita-
tem traditioni diuinæ, ac Scripturæ sacræ tri-
buit; quia siue scriptum, siue non scriptum v-
trumque est verbum Dei: & quidem verbum,
& mandatum cuiusuis Principis eamdem vim,
& auctoritatem habet apud subditos, siue scri-
ptum, siue voce proferatur; ergo pari modo de
verbo Dei. Confirmatur, nam sicuti doctri-
na Matthęi, Marci, Lucæ, Ioannis, Pauli, Petri,
Iacobi, & Iudæ in Euangelijs, & Epistolis con-
scripta vocatur verbum Dei, quia Deus eam
inspirauit, sic etiam doctrina Andreæ, Philippi,
Bartholomæi, Matthiæ, & Barnabæ, quam ipsi
viua voce prædicarunt, & tradiderunt, debet
vocari verbum Dei, & est vera traditio diuina
quia Deus similiter inspirauit, nec minor fides
Apostolis, qui non scripserunt, quam illis,
qui scripserunt adhibenda est.
Nota primo hoc loco id, quod ad maiorem
harum confirmationem inseruiet, nempe verbũ
Dei scriptum, & non scriptum, seu Scripturam
sacram, & traditiones diuinas sibi inuicem pro-
bationem porrigere; nam istæ in scriptura fun-
dantur, vt diximus numero pręcedenti, ipsa
vero Scriptura sacra ad sui corroborationem
alia principia fidei omnino necessaria, quæ in
se non continet, à traditionibus accipit: pri-
mum est, quod tota, & sola scriptura veteris,
ac noui testamenti simul sumpta, sit verbum
Dei scriptum, nam decisio Tridentini, vt di-
ctum supra, quod tales libri ex veteri testamen-
to, & tales in nouo sint canonici, & authentici,
229 & non alij in diuina traditione fudatur. Se-
cundum quod tota illa scriptura, maximè in
necessarijs ad fidem, & salutem, retenta sit no-
bis salua, & incorrupta per traditionem scimus.
230 Tertium quod verum, & legitimum scripturæ
sensum in multis ex eadem traditione habea-
mus; ita totidem ferè verbis ex communi au-
ctorum fidelium mente noster Martinus Beca-
nus in compendio manualis controuers. lib. 1.
231 cap. 2. Nec quis hæreticus nobis opponat,
dum sic se inuicem adiuuant scriptura, & tra-
ditio, videatur committi circulus vitiosus, quia
hic, vt benè notat idem Becanus lib. 3. cap. 10.
solummodo committitur, quando duo con-
iunguntur æque ignota illi, cui vnum per aliud
probare intendas, cum ex Arist. probatio de-
beat procedere à notis ad ignota; & hæreticis
sint notæ scripturæ sacræ, & nobiscum ipsi eas
admittant.
232 Item nota, diuersa dogmata fidei nostræ ex
traditione duxisse originem, seu esse veras tra-
ditiones diuinas, siue Apostolicas, tametsi à va-
rijs Concilijs definita reperiantur, quia in eis
definiendis talia Concilia ad traditiones ipsas
recursum habuerunt, ponam aliqua exempla.
233 Primum quod in lege Euangelica numerus
Sacramentorum sit septenarius, & non terna-
rius, vt voluerunt plerique Lutherani, neque
binarius, vt multi Caluinistæ, qui cum defini-
tus numerus in Scriptura sacra non sit, vnde
ternarium, vel binarium, nolendo traditiones
admittere, deducant, non habent; nos Ca-
tholici ex traditione, & declaratione Eccle-
234 siæ septenarium habemus. Alterum exem-
plum, quod Symbolum fidei sit verè Canonicum
& Apostolicum, de qua traditione Sanctus Ba-
235 silius agit lib. de Spiritu sancto cap. 17. Ter-
tium, quod Beatissima Maria, Deipara semper
manserit Virgo etiam post partum, contra dam-
natam Heluidij hæresim; circa hoc videndus D.
236 Augustinus lib. de hæresibus cap. 84. Quartũ
quod infantes sint baptizandi, & non expectan-
dus vsus rationis ad baptismum recipiendum,
ita Origines in cap. 6. epist. ad Romanos, *Ec-
clesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit,
etiam paruulis baptismum dare*. Nec dicat
hæreticus hoc deduci ex scriptura, Ioann. 3.
*Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu san-
cto, non potest introire in Regnum Dei*, nam
istorum verborum hunc est verum, & legiti-
mum sensum ex traditione, & praxi Ecclesiæ
237 constat. Quintum quod baptizati ab hęreti-
cis seruata legitima materia & forma, non sint
rebaptizandi, de quo Diuus Augustinus, lib. 5.
contra Donatistas cap. 23. *Consuetudo*, inquit,
*illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolo-
rum traditione exordium sumpsisse credenda
est*. Tandem quod in Baptismo proferri de-
beat hæc forma, ***Ego te baptizo in nomi-
ne Patris, & Filij, & Spiritus Sancti***,
238 & quod aliter non valeat baptismus. Nec ex-
pressio Personarum Trinitatis, deducitur ex il-

lo Matth.28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quia pari modo est illud Ioan 14. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, & deduceretur hinc, quoties quis aliquid peteret à Patre necessario deberet pronunciare hæc verba, Ego hoc, vel illud peto in nomine Christi, quod nullus dicet, ergo neutrum deducitur ex Scriptura, sed illud ex traditione: Vide circa hæc omnia eumdem Becanum cap.2.

Sunt ne Concilia nomine totius Ecclesiæ norma Fidei viua? & quomodo?

REGVLA LXIV.

240 AD proponendas, & explicandas duas normas Fidei, quæ quasi mutæ, seu mortuæ dici possunt, & ad alia definienda requiritur necessario in Ecclesia Catholica aliqua norma credendi viua, seu animata, ac loquens; hæc quæ est ipsamet mater Ecclesia, quæ sicut est infallibilis in credendo, ita filios suos in fide infallibiliter dirigit, non per se ipsam formaliter sumptam secundum se totam: sed per sua præcipua membra, nempe per Episcopos, in aliquo Concilio generali, auctoritate Papæ legitimè congregatos, seu per ipsum Concilium.

---

241 QVidquid petulanter garriant hęretici nostri temporis, nihil præter Scripturam sacram, ad res fidei capiendas admittẽtes, vt tradit Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap.3. Certum de fide est, sicque tenent Catholici necessariam esse, & de facto dari in vera Ecclesia Christi aliquam normam viuam, per quam modo humano, & sensibili, mysteria cælestia, & quæuis ad fidem spectantia infallibiliter proponi hominibus possint, & dubia quælibet circa ipsa occurrentia declarari; nequaquã id relinquendum vniuscuiusque arbitrio, vt volunt hæretici. Quid simile videtur fuisse ordinatum à Deo pro tempore veteris Synagogæ Deut.17. *Si quid*, inquit, *ambiguum, atque difficile occurrerit, ascendens ad locum &c. & ad Sacerdotes &c.* nec dubitandum, prouidisse Christum Dominum Ecclesiæ suæ de huiusmodi regula fidei viua pro difficultatibus circa mysteria diuina excitatis omnino soluendis, & cum multo maiori perfectione, quam tunc synagogę

242 fuit prouisum. Vnde difficultati ortæ circa obseruanda legalia, Act.15. nemo ausus est pro pro iudicio id definire; sed conuenerunt Apostoli & definierunt per hæc verba, *Visum est Spiritui sancto, & nobis &c.* neque quidquam aliud circa dictam necessitatem indicandam addemus.

243 Verum vt facilius constet hanc fidei regulãm viuam esse ipsam Ecclesiam Catholicam, attingendum prius, qualiter eadem infallibiliter, & absque periculo errandi à Deo reuelata credat. Circa hoc certum de fide tenendum, quod Ecclesia vniuersalis, seu Romana non possit à fide deficere, non solum per hæresim formalem; sed neq. etiam per ignorantiam inuincibilem. Fundatur in illo 1.Timot.2. vbi Paulus Ecclesiã Dei viui affirmat esse columnam, & firmamentum veritatis; sed magis in assistentia perpetua Spiritus sancti, quam pro docenda veritate ipsi Ecclesiæ promisit Christus Dominus, Ioan.14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritus veritatis*, & infra cap.16 *Cum venerit Paracli-*

254 *tus docebit vos omnem veritatem &c.* Atque peculiariter, quod per hæresim non possit deficere, inde efficaciter ostenditur, quia si tota Ecclesia fidem errando amitteret, eo ipso maneret destructa, seu desineret esse Ecclesia, & fieret Synagoga Satanæ contra promissionem Christi Domini, Matt. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*; & ad stabiliendum suam promissionem, ait idem Christus, Matht. vlti. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; ergo non potest Ecclesia à fide deficere. Quæ doctrina ita de fide certa, adeo frequens est in Concilijs, & SS. Patribus vt superfluum videatur aliquid vltra allegare teste Suar. disp. 5

245 de fide sect. 6. Qui optimè vltimo loco addit, quod tametsi non constet esse vera illa, quæ Ecclesia vt pia tantum, & probabilia credit, ci[...] in non spectantibus ad fidem, nec ad salutem absolutè necessarijs, haud sit ita certum ea[...] ab Spiritu sancto gubernari, nihilominus [...]ta Ecclesia in aliqua huiusmodi re conspire[...]nendum sit in eo non errare, etiam specula[...] quia probabilius similiter in talibus Spiritu[m] sanctum ei assistere.

246 En quam bene disposita in credendo Ecclesia vniuersalis, vt pro filijs suis norma fidei [in]fallibilis constituatur, (sub hac enim tantum [ra]tione hic de ea agimus; cum secundum to[tam] eius latitudinem tractatio ipsius copiosissima apud DD. præcipuè apud Suarez disp. 9. [de] fide) & cum clarè pateat, quod ad id ea [secun]dum se totam non possit assignari per [Conci]lium Oecumenicum, ex præcipuis ipsis m[embris] nempe Episcopis legitimè congregatum [præ]stare consueuit.

247 Pro rei perspicuitate distinguendum [prius] de Concilijs; nam multiplices sunt eorum [spe]cies, & omissis diœcesaneis, seu synodalibus (de quibus in Decret. dist.14. & in Trident. sess. [...] cap. 2. de reformatione) nullo modo sufficien[tibus] ad constituendam fidei regulam, cum [il]lum congregentur ab vnoquoq Episcopo in Diœcesi ad regimen, & non ad docendam [fidem;] reliqua in duplici sunt differentia, quædam [li]cet particularia, & quædam generalia, seu [vni]uersalia: illa de quibus in Canone 38. Apo[st.] in dicta dist. 28.) subdiuiduntur in Prouin[cia]lia, seu localia, & in nationalia, prouincia[lia]

24[8] vocat ea tacitè Diuus Augustinus libr. [se]cu[n]do de Baptismo cap. 5. ista nationum. Concilium Prouinciale congregatur ex vno solo [Ar]chiepiscopo, qui ei præest, & ex Episc[opis] eius suffraganeis; nationale vero ex multis [Ar]chiepiscopis, & pluribus Episcopis eiusdem [na]tionis, vt Italis, Gallis, Hispanis, Africanis [...]

præsi-

præsidente in eo aliquo Patriarcha, vel Primate, quod licet aliquando vocetur generale, vt in Toletano 4. in principio, vel vniuersale, vt in Cartaginensi 4. etiam in principio; intelligitur tamen secundum quid per respectum ad nationem, in qua celebratur, aut per compa-
249 rationem ad dicta prouincialia. Simpliciter autem, & absolutè Cōcilium generale, seu vniuersale illud dicitur, ad quod celebrandum conuocatio Episcoporum adeo extenditur, vt nullus qui Catholicus sit ab eo excludatur; de huiusmodi tractat benè Bellarminus lib. 1. de Concilio, & Turrecr. lib. summę, qui assignant conditiones requisitas, vt sit legitimum, primo vt congregetur auctoritate Papæ, secundo, vt in eo præsideat per se, vel per suos Legatos, tertio, vt in eius obedientia vsque ad finem permaneat, quarto, vt ab ipso accipiat confirmationem &c. hac Conciliorum diuisione, & sub diuisione sic præmissa pro rei perspicuitate, iam pro resolutione.

250 Dico cum eisdem Bellarmino, Turrecrem. & alijs ex Concilijs prouincialibus, & nationalibus nullum per se spectatum esse sufficiēs ad constituendam infallibilem fidei normam, ratio est, quia huiusmodi Concilia nō solent cogi peculiari Sūmi Pontificis ordinatione, & auctoritate, nec nomine vniuersalis Ecclesiæ, neque eam repræsentant. Vnde ista non obligatur ad credendum nouiter definita ab eis, cum in his definitionibus error committi possit (sic de facto contigit tempore Cypriani, & sub ipso in definitione de rebaptizatione hæreticorū pœnitētium) vt traditur in Synodo Romana sub
251 Symmacho. Excepto tamen casu, quando definita ab aliquo ex similibus Concilijs per Summū Pontificem approbarentur, sic approbata iam essent de fide, & tale Conciliū nō ratione sui; sed ratione accedētis approbationis Pontificię posset cōstitui infallibilis regula fidei.

252 E contra vero dico quodcumq. Concilium generale legitimè congregatum ex se, seu ex sua natura esse certam, & infallibilem credendi normam, propter oppositam omnino rationē, quia cum totam Ecclesiam Catholicam repræsentet, sicut hęc non potest errare, vt paulò ante ex sacra Scriptura demonstrauimus; ita & illud ob indubitatam assistentiam Spiritus sancti indicatā præcipue per illa verba primi Concilij generalis, Actor. 15. *Visum est Spiritui*
253 *sancto, & nobis*. Atque hęc doctrina, vt de fide certa habetur ex perpetua traditione, & consensu Ecclesiæ. In confirmationem accedit illud D. Gregorij lib. epist. cap. 24. vbi affirmat quatuor Concilia prima generalia, esse habenda sicut quatuor Euangelia, scilicet quoad certitudinem in rebus definitis, sed par est ratio de reliquis Concilijs Oecumenicis, seu generalibus legitimè congregatis auctoritate Papæ, hoc in eis præsidente, vel per se ipsum, vel per suos Legatos; ergo si illa prima Concilia, sicut & quatuor Euangelia sunt infallibilis regula fidei, pari modo erunt reliqua prædicta vniuersalia.

254 Sed quid si Concilium generale non sit coactum à Summo Pontifice? quid item si quamuis ab eo congregetur, in decursu temporis, quo durat, ab ipsius obediētia, & vnione discedat. In neutro casu potest esse regula fidei, cum in vtroque possit errare, & de facto iam errauerit, exemplum prioris ponit Suarez, vbi supra sect. 7. in Concilio Ariminensi, & posterioris in Concilio Basiliensi ex parte.

255 Quid prętereà si Concilium per Legatos habeat instructionē à Summo Pontifice circa definienda in ipso? Breuiter, & optimè respondit idem Suarez ex mente omnium: si definiat secundum instructionem, statim tale Conciliū ante confirmationem Pontificiam esse infallibilem credendi normam; quia tunc errare non potest, cum iam in instructione contineatur Papæ consensus: secus vero si definiat contra contenta in instructione propter contrariam omnino rationem.

256 Tandem quid, si non accepta à Legatis Papæ instructione, Concilium vna cum ipsis definiat, erit ne statim antequam confirmatio Pontificia accedat, circa definita infallibilis fidei Regula? Hoc aliquantulum videtur controuersum, propter aliquos, qui in partem affirmantem inclinant; inde ducti, quod etiam teneant tale Concilium esse supra Papam, eo quod repræsentet totam Ecclesiam, ac proin-
257 de non possit errare. Partem verò negantem absolutè defendunt, vt omnino certam Bellarminus lib. 2. de Concilijs, cap. 11. & relati ab eo Caietanus, & Turrecremata, Castrus lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 6. & communiter reliqui omnes, ex opposito fundamento, quod Concilium subsit Papæ, & sine huius confirmatione adhuc sit incertum quid
258 quid ab eo sit definitum. Et hæc doctrina vti certa, & tutior tenenda prorsus, & contraria notę non est expers.

An Papa solus sit alia norma fidei viua? & qualiter in aliquibus casibus?

REGVLA LXV.

259 PRæter propositam, necessario assignatur alia fidei norma viua, seu animata, nempe Summus Pontifex, verus Christi Vicarius, per se solum absq. concilio vllo particulari, aut generali, quatenus ex Cathedra definit, & ordinat, estq. tātæ certitudinis, & infallibilitatis, vt nullo modo errare possit, non solum in exprimendis quibuscūq. fide diuina credēdis; sed in manifestādis etiam, & tradendis præceptis seu rebus moralibus pro vniuersa Ecclesia Cathol

---

260 DE hac Fidei norma copiosius præ cęteris agit Castrus Palao tract. 4. de fide disp. 1. pun. 5. p. 6. §§. longiusculos (cum in alijs compēdiosius, soleat procedere) qui approbat omnino nostram Regulam, quoad omnes eius partes. Necessitas huius normę inde facile ostēditur, quia cū Cōcilia generalia nō sine magno dispendio, & ingenti difficultate cogi possint, ac proinde raro cogantur, cumq. aliunde nō raro, sed frequenter diuersa occurrāt proponenda,

ordinanda, & decidenda pro tota Ecclesia, circa varia capita, quæ statim adducam simpliciter oportuit, ipsi Ecclesiæ prouideretur, vt fuit de facto prouisum à Christo Domino, de regula aliqua fidei viua, semper præsenti.

261 Quod autem hæc norma credendi sit ipsius Ecclesiæ caput, seu Romanus Pontifex, est certum de fide, quia Petro, & successoribus eius tribuit Christus Dominus potestatem, seu iurisdictionem pascendi Ecclesiam, Ioann. 21. *Pasce oues meas*, præcipue interpretando scripturas, & proponendo veritates credendas, &
262 sub obligatione ipsas credendi. Atque hinc sequitur, quod hæc potestas habeat necessario adiunctam infallibilitatem, & assistentiam Spiritus sancti, ita vt ille non possit errare: hocque firmissimum habet fundamentum in promissionibus Christi Domini, nempe illa Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non praualebunt aduersus eam*; præualerent quidem, & corrueret ædificium, si Papa posset errare, dum ex cathedra loquitur in definiẽdis, & proponendis pro tota Ecclesia. Item illa promissione, Luc. 22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua*, quod intelligitur non solum de ipso D. Petro, sed etiam de successoribus eius, vt exponunt S. Leo Papa ser. 1. & 2. de assumptione sua, & Innoc. III. in cap. Maiores de baptismo, & multi alij Pontifices in suis epist. decretalibus.

263 Insuper quod Papa habeat dictã iurisdictionem, & potestatem independenter omnino à Concilio Generali, atq. per hanc prædicto modo norma credendi constituatur, patet ex regula fidei præcedenti, nempe ex traditione diuina, & ex perpetuo consensu Ecclesiæ, ac continuo Summorum Pontificum vsu definiendi res fidei, interpretandi scripturas, & præcepta morum ipsi Ecclesiæ proponendi. Superuacaneum esset nunc ducta plurium exemplorum serie, cuiusq. Pontificis per varia sæcula ea exprimere, & rem hãc magis perspicuam reddere, sat sit vnũ, vel alterum nostri temporis attingere, & pauca, circa quæ videtur posse esse aliquale dubium aliquantulum expendere.

264 Et quidem circa lectionem, & interpretationem diuinarum Scripturarum nullus est dubitandi locus, cum Petro, & cuiuis ex successoribus eius, dicitur Luc. 5. *Duc in altum*, vt mysticè aliqui exponunt, in profundum sacræ Scripturæ ad congruum eius sensum eruendũ & legitimam ipsius lectionem assignandam.

265 Vnde Sixtus V. vniuersa Biblia sacra vulgatæ editionis recognoscere iussit, & sic recognita, Clementis VIII. auctoritate fuerunt edita, iuxta quam recognitionem, & editionem a dictis Pontificibus tanquam à regula fidei, vniuersa Ecclesia, vt certa de fide ea recepit.

266 Nullus item dubitandi locus de dicta iurisdictione Pontificum, & de ipsorum regula fidei circa ritum administrationis Sacramentorum, maximè matrimonij, & circa declarationem inhabilitatis personarum ad ipsum contrahendum Hinc idem Sixtus V. per constitutionem 59. incipientem, *Cum frequenter*, declarauit inhabiles quosuis Eunuchos, vtroque testiculo carentes, & quod ipsi matrimonium nullo modo contrahere valeant; item declarauit matrimonia prius ab ipsis contracta fuisse, & esse nulla: quæ declaratio certa de fide habetur ab vniuersa Ecclesia Catholica; tametsi prius non deessent DD. Catholici, vt Medina relatus à F. Basilio Poncio, tract. de impedimentis matrimonij cap. 33. §. 1. qui tenerent valida esse talia matrimonia, & posse contrahi à dictis Eunuchis.

267 Verum quid circa Canonizationem, & Beatificationẽ Sanctorum est ne Papa regula fidei, ita vt non possit errare? Est quidem, & circa vtrumque nequit vllo modo in errorem incidere. Ita D. Thomas quolib. 9. art. vlt. id rectè docet; & quamuis neque ipse, neque alij ex antiquis Doctoribus, qui de canonizandis Sanctis ex professo tractarunt, aliquid de beatificatione expresserit; sine dubio tamen hanc sub illa comprehendere voluerunt; cum eadem certitudine tenendum sit Pontificem esse liberum ab errore in beatificatione alicuius Sancti, ac est in canonizatione, & æquè temerarium, ac scandalosum esse iudicandum, si quis asserat ipsum in quauis earum posse errare, *quia absq.* fundamento contra rectam morum institutio-

268 nem id asserere. Hoc autem maximè ita se habet, si Beatificatio sit, qualis sæpius esse solet cum concessione, vt Missæ sacrificium in honorem Beatificati celebretur; tradit ex mente aliorum citatus Palao § 5.

269 Qui bene differentiam inter beatificationem & canonizationem, declarando quid vtraque sit, in hoc tantum assignat, quod illa sit facultas, & licentia concessa alicui Prouinciæ speciali, aut Ecclesiæ, aut Religioni, vt aliquẽ tanquam Sanctum, & in Cælis existentem colat cum expressione cultus, quo venerandus est nempe Missæ sacrificio, orationibus, processionibus publicis, votis, eius inuocatione, & imaginis gestatione; cum limitatione istorum ali-

270 qua, vel nulla. Canonizatio verò sit licentia cõcessa non alicui Prouinciæ speciali; sed vniuersæ Ecclesiæ aliquem vt Sanctum venerãdi eo cultu, & veneratione, qua solent Sancti venerari, idem Castrus Palao totidem ferè verbis.

271 Quid præterea de approbatione Religionum potest ne circa hanc Pontifex errare? vnico verbo respondeo cum eodem Castro Palao §. cum Valentia disp. 1. q. 1. punct. 7. §. 4. & cum alijs (Quidquid Bañes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. absque firmo fundamento in contrarium di-cat) quod simpliciter loquendo in approbatione cuiusuis Religionis, quoad subst̃atialia sabi eius cõstituentia statũ Religionis semper Pa-

272 pa sit ab omni errore immunis. Ratio est quia si ille acceptaret religionem, quã perpẽsis omnibus circumstantijs deberet reijcere, obligaret Ecclesiam ad rem aliquã, quæ ipsi Ecclesiæ non in ædificationẽ, sed in destructionẽ cederet, & contra morũ honestatẽ, quod nõ est credendum Spiritum sanctũ permissurum; ergo vt Ecclesia non destruatur, neq. erret, iudicãdum est Papam in approbatione Religionis non posse errare, & consequenter circa talem approbationem ipsum esse certã, & infallibilem normã credendi.

Dixi

273 Dixi quoad substantialia, & constituentia statum Religionis; nam quoad accidentalia, vt quoad multiplicationem præceptorum, aut nimium rigorem pœnarum, sicut quoad alia accidentalia extra Religionem in regimine Ecclesiæ, non est inconueniens committi ab eo aliquem humanum defectum, vt tradit Sua-
274. rez vbi supra sect. 8. Hinc sæpè videmus, vt quod circa talia accidentalia vnus Pontifex ordinauit, vel disposuit, ab alio reuocetur, aut
275. saltem limitetur. Quamquam nota huiusmodi reuocationem, vel limitationem inde non raro prouenire, quod in vna circumstantia temporis, vel loci id iudicetur Ecclesiæ, vel Religioni non expediens aut inconueniens, quod
276. in altera censebatur expedire. Quæ notatio etiam in substantialibus, quandoque locum habet, nec mirum à posteriori Pontifice dissolui aliquam Religionem ob eius relaxationem, vel ob aliam causam, quæ ab alio rectè, & conuenienter absque vllo errore fuerat approbata.

277 Ad infallibilitatem normæ credendi in persona Summi Pontificis magis indicandam solet hic discuti ab aliquibus illud graue dubium, an sit de fide, quod hic homo, qui pro tempore gubernat Ecclesiam Dei, sit verus Papa? Circa quod duæ sunt hinc inde oppositæ Doctorum sententiæ: semper placuit sub distinctione resolutio, quam 35. abhinc annis defendi publicè in templo Collegij Barchinonensis propositis à me thesibus Theologicis, vt assolet quotannis pro honore Collegij, argumentante contra *elucidandæ* magis veritatis gratia R.P. *Vincentio* Sigala, tunc sanctissimi Clementis *Octaui* Nuncio extraordinario ad Regem Catholicum Philippum III. nempè quod sit de fide hunc hominem esse verum Summum Pontificem, quando sufficienti consensu totius Ecclesiæ receptus est, & ita approbatus, vt omnes illi obedire teneantur, maximè in recipiendis fidei definitionibus, & ordinationibus circa mores totius Ecclesiæ; secus vero antea: quod patet, quia tempore schismatum ferè semper est res prorsus incerta, quisnam caput Eccle-
278. siæ, & cuinam tunc obediendum. Atque hactenus de Pontifice Summo secundum hanc tantum considerationem, quod sit fidei regula: secundum alias, copiosa valdè est eius tractatio, vide apud Suar. disp. 10. de fide.

279 Superest hic dubium aliquantisper attingendum, an detur præter quatuor dictas alia regula fidei, nempè vnanimis Sanctorũ Patrũ, & Doctorum consensus? Probabilis est pars affirmans, cum verisimile censeatur ab Spiritu Sancto Doctores Ecclesiæ Catholicæ specialiter adiuuari, & illuminari, præcipuè in rebus ad fidem spectantibus discutiendis; hoc eruditè docet Suarez disp. 5 de fide sect. 6. & quidem si huic vnanimi assensui Sanctorum Patrum, & Doctorum approbatio Summi Pontificis accedat, benè ait Castrus Palao pari modo de hoc assensu loquendum, atque de Con-
280. cilijs Generalibus: Ante approbationem vero Pontificiam, adhuc temerarium ad minus esset contra Sanctos Patres, & Doctores sic vnanimiter sentientes aliquid mordicus de-
281. fendere, teste eodem Suarez citato. Hactenus de normis, seu regulis fidei satis dictum sit, quas aduerte ne cõfundas cum locis theologicis, seu ex quibus Sacra Theologia solet suas assertiones confirmare; de quibus non est hic locus agendi. Vide Melchiorem Canum peculari opere de eis tractantem.

CAPVT VIII.

De natura, seu essentia Fidei supernaturalis quoad eius actus, & habitus; ac de istorum proprietatibus, & effectibus; deque eorumdem subiecto tam in viatoribus, quàm in existentibus extra viam.

PROOEMILIOLVM.

EXplicato Fidei obiecto, tam formali, quàm materiali, & modo, quo hoc proponitur, agendum de eius actibus, & habitibus, ac prius de illis, quod natura præcedant, & ad ipsos isti dirigantur, ab eisdemque specificationem sumant. Vnde paucis regulis ipsorum substantiam, & proprietates, causas item, & effectus indicabimus: cum actu fidei intellectus simul etiam duos actus, qui semper ipsum comitantur, necessario expendemus, nempe actum intellectiuum, quo homo hic, & nunc iudicat, quod expediat res fidei credere, & actum voluntatis, quo vult credere, & inducitur intellectus ad credendum. Occasione autem habitus fidei Theologalis de distinctione huius ab alijs fidei virtutibus, seu donis, & gratijs gratis datis aliquid obiter attingetur.

Actus Fidei est ne assensus intellectus in reuelatione Dei fundatus? quotuplex item eius diuisio.

REGVLA LXVI.

3 ACtus Fidei infusæ, de qua affirmat Apostolus ad Hebræos 11: **Iustus autem ex fide viuit**, actus est intellectus, & definitur propriè, quod sit assensus firmus in auctoritate
4 Dei obscurè reuelantis fundatus. Qui multipliciter diuiditur, scilicet in actum credendi Deo, Deum, & in Deum; in actum item internum, & externum, in explicitum, & implicitum, in immediatum, & mediatum, in vniuersalem, & particularem,

---

5 QVod sit actus intellectus supponitur ab omnibus, vt omnino certum ex D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 1. Et dicitur ex ea iustus viuere, quia est principium iustificationis, & salutis: ad quam secundum Apostolum 1. Cor. 13. & secundum Tridentinum sess. 6. cap. 7. tria distincta requiruntur, & in homine recipiuntur, nempe fides, spes, & charitas; duæ posteriores sunt actus voluntatis, prior vero est actus intellectus; quod magis innotescit ex ipso Tridentino cap. 6. vbi primum motum ad iustificationem ait esse, *Credere vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt*: at verum obiectum
6 est potentiæ intellectiuæ, ergo &c. Ex dictis autem verbis, Concilijs, & ex alijs, quæ traduntur à D. Thoma ibidem desumi potest definitio proposita actus fidei: & consonat D. Augustinus de spiritu, & litera cap. 31. definiendo per consensum, & assensum, *Quid est*, inquit, *credere, nisi consentire verum esse, quod dicitur*, & lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. alia definitione, quam adducit D. Thomas d. art. 1. *Credere*, inquit, *nihil aliud est,*
7 *quàm cum assensione cogitare*. Per quas definitiones Augustini sola ratio generica credendi, seu fidei infusæ indicatur. Vnde ad indicandam specificam differentiam eius à fide humana, & à quauis scientia opinatiua, vel euidenti, opportunè dicitur in definitione proposita in Regula, quod sit assensus firmus
8 in auctoritate Dei reuelantis fundatus. Atq. hæc satis pro definitione fidei actus: cui etiam competit illa alia ex Apostolo ad Hebræos 11 iam initio præcedentis capitis regula 52. n. 2. & 3. adducta, & explicata à nobis, Fides est substantia rerum sperandarum &c.

9 Iam breuiter de multiplicibus, eius diuisionibus: primò de trimembri illa valdè celebri credendi Deo, Deum, & in Deum, quam affert D. Thomas 2. 2. q. 2 art. 2. sumitque ex D. Augustino citato. Circa hanc autem nota, quod ad explicanda hæc tria membra, nō sint simpliciter necessarij tres actus fidei, cum secundum varias habitudines ad eundem Deum, varijs etiam actibus, vel vnico etiam
10 fidei, distinguantur. Nam cum dico, credo Deo, intelligitur testificanti, vel dicenti; & est habitudo ad obiectum formale, seu ad moti-
11 uum credendi. Cum vero dico, credo Deum, connotatur habitudo ad obiectum materiale, quia ipse Deus est tunc res, quam credo, & eodem actu fidei vtrumque complector materiale, & formale, vt iam supra declaratum.

12 Denique cum dico, credo in Deum, habetur respectus ad ipsum Deum, tanquam ad vltimum finem; quæ habitudo etiam comprehenditur sub eodem actu, quo credimus Deo, & Deum, seu quodcumque aliud obiectum fidei materiale.

13 Verum ad hoc tertium membrum credendi in Deum requiritur alius actus voluntatis, quo actus fidei in Deum referatur, de quo actu voluntatis dubitatur, an sit actus caritatis, ita vt iste actus, credo in Deum sit actus fidei formatæ vera caritate Dei, an potius talis actus fidei absque caritate possit in peccatore
14 reperiri. Et hoc secundum ex mente D. Augustini tract. 29. in Ioann. & D. Thomæ 2. 2. q. 1. art. 9. probabilius censetur, quia nihil repugnat, quin peccator cum assensu fidei intellectus, & acta informi voluntatis, dicat, credo in Deum, fidemque suam in Deum vltimum finem referat.

14 Quatuor bimembres fidei diuisiones faciles sunt. Prima est in actum internum, & externum: & de hoc secundo, præcipue de obligatione exterius confitendi fidem agetur capite sequenti: de interno, seu immanenti, qui proprius fidei, vt patet, hoc, & sequenti etiam
16 capite. Altera bimembris diuisio in explicitum & implicitum, sicut, & tertia in immediatum & mediatum fidei actum, iam supra pro nostro instituto sufficienter explicatæ, sed de his
17 professo capite sequenti. De quarta in vniuersalem, & particularem; explicationem tantum terminorum attingo. Fides vniuersalis dicitur illa, quæ simpliciter necessario requiritur ad salutem, vocaturque communiter fides Catholica; quia communis est Ecclesiæ Catholicæ, & hoc nomen significat ex se vniuersalitatem; quam habet tales fides respectu personarum, cum pertineat ad quoscumque vt placeant Deo; item respectu temporum, cum semper in Ecclesia fuerit, & respectu locorum, cum vbique prædicata sit, & prædicetur; tandem respectu dogmatum, cum se extendat ad omnia, quæ per Ecclesiam fidelibus credenda
18 proponuntur. Fides vero particularis dicitur illa, quæ in aliqua reuelatione priuata, vel instinctu Spiritus Sancti, illi æquiualente, fundatur; hincque particularis dicitur, quia in priuata propositione, materia, & persona nititur: Quamquam hæc non est diuersa essentialiter à fide vniuersali, quia in vtraq. est eadem ratio formalis credendi, nempe reuelatio diuina, ita Suarez disp. 6. sect. 3. cum communi Doctorum.

19 Tandem hæretici nostri temporis diuidunt in actum fidei historicæ, promissionum, & miraculorum; in qua diuisione, tametsi rectè intellecta, non nihil verum reperiri possit; prout tamen ab eis traditur, diuersimodè ipsi peccant, & errant: primo quia videtur ab eis tradi ad varias fides distinguendas, cum certum sit de

sit de fide vnam tantum esse, ad Ephes.4. *Vnus Dominus, vna Fides*: Item quia hæc diuisio sub terminis, quibus proponitur ab hæreticis est insufficiens, non necessaria, ac inutilis; nam fides de Deo vno, & trino, & de attributis diuinis versatur circa potissimam materiam fidei, & tamen ea non est fides historica, vt per se patet, ac proinde illam, quam hæretici vocant fidem historicam, melius nos Catholici vocamus fidem dogmaticã, aut fidem mysteriorũ, & operum Dei. Item præter promissiones præmiorum, dantur etiam comminationes pœnarum, prædictiones etiam futurorum, quæ tamẽ sub fidem cadunt; ergo est illa diuisio insufficiens. Præcipuè autem in hac diuisione hæretici, quoad secundum membrum hallucinantur; quia fidem promissionũ assignant ad introducendam falsam doctrinam de fide iustificante, quatenus vnusquisque iustus vt talis sit, credere formaliter debet sibi remissa peccata nec amplius imputari, & consequuturum infallibiliter gloriam, attenta sola promissione Dei, absque dolore peccatorum, & absque receptione Sacramenti Pœnitentiæ: quem errorem copiosè refellit, Suarez lib. 8. de gratia cap 16. Tandem est inutilis, & non necessaria illa fidei diuisio, quoad tertium membrum seu fidem miraculorum, quia hæc conuenientius comprehenditur sub secundo membro præcedentis diuisionis, nempe sub fide particulari, cum operari miracula non soleat esse cõsensum quibuscumq. fidelibus, sed particularibus personis eximiæ virtutis, & sanctitatis.

Fidei actus qualiter supernaturalis, & simplex? quantaque eius veritas, & certitudo?

REGVLA LXVII.

Actus Fidei Christianæ intrinsecè, & quo ad suam substantiam supernaturalis est ita omnino simplex, vt nullo modo per discursum eliciatur, aut in eo fundetur: semper tam verus, adeo vt de vero in falsum mutari nequeat: tandem quamuis ex se obscurus, & euidens, certus tamen maiori certitudine, quam quæuis sit alia cuiuslibet scientiæ.

Concors est ferè Doctorum omnium sententia circa supernaturalitatem actus fidei in sua substantia, & non tantum quoad modum (hoc mordicus tuentur aliqui, quos citat, Suarez lib.2.de gratia cap.4.) quod inde manifestè ostenditur; quia quoad totum suum esse intrinsecum, & prout ad salutem animæ requiritur, est donum Dei, & sine auxilio gratiæ ipsius Dei ab homine elici non potest, atque hoc est certum de fide, docetque Christus Dominus, Ioan.6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; hanc autem tractionem fieri per fidem, statim ostendit, dicens: *Hoc est opus Dei, vt credatis in ipsum*: confirmat Apostolus ad Philippens.1. *Vobis*, inquit, *donatum est pro Christo, non solum vt in eum credatis &c.* Atque hoc habetur decisum cum in alijs Concilijs antiquioribus, tum in Trident. sess.6. can. 3. & 4. docetque passim D. Augustinus, præcipuè lib. de prædestinatione Sanctorum.

26 De simplicitate actus fidei, & an aliquo discursu eliciatur, est aliquale dubium inter Doctores; & inter assignantes ipsum ad eius eductionem, vti necessarium, est varietas; nam Durandus in 3. dist.24. q.1. Almaynus tract.2. moralium cap. 3. & Vasquez 1. parte disp. 5. affirmant discursu fieri actum fidei per mediũ extrinsecum, nempè per reuelationem, cui prius tempore, vel saltem prius natura præbet homo assensum, & inde format discursum, & deducit credendum esse propter eam tale, vel

27 tale mysterium, & actu credit. Canus verò lib.6. de locis cap.vlt. & Vega lib.9. in Triden. cap.39. & alij addunt posse fieri actum fidei nõ solum per medium extrinsecum, vt dictum, sed etiam per intrinsecum, vt si ex vna, vel pluribus veritatibus reuelatis aliam inferas.

28 Cæterum communis est sententia, & multo probabilior D.Thomæ 2.2. q.1.art.1. ibi Caietan.dub.4. Capr. in 3. dist.24.q.1.art.3. Oscham quolib 3.q.7. imò & Cani se corrigentis lib.12. de locis cap 3. conclus. 3. quod actus fidei per se non fundetur in discursu; sed sit simplex assensus cuiuscunq. veritatis reuelatæ. Ostendit efficaci ratione Suarez disp 6. de fide sec.4. quia secũdum omnium sententiam actus fidei quo credo hæc principia Deum esse veracem, & Deum reuelasse, necessario debet esse omnino simplex, & non deductus ex discursu, neque ex alijs principijs prioribus, cum non dentur; & quidem si darentur, de his deberet esse etiam assensus fidei simplex, & non elicitus per discursus aliorum principiorum, alioquin sequeretur dari progressum in infinitum, quod vt valdè absurdum nullus admittet; ergo assensus circa hanc veritatem Deus est verax, & Deus reuelauit, erit immediatè simplex, & non elicitus per discursum; sed par est ratio de hac atque de reliquis veritatibus, seu mysterijs fidei Catholicæ; cum idem sit modus, & motiuum formale assentiendi, neque ex vi reuelationis Diuinę, ergo sicut eodem simplici assensu simul credo Deum esse veracem ex vi reuelationis Diuinæ, & ipsam reuelationem, licet prius natura, sicut video colorem ratione luminis, & simul eadem visione ipsum lumen; ita eodem simplici actu fidei credo Verbum fuisse incarnatum ratione reuelationis, & simul ipsam reuelationem, vt iam alibi attigi-

29 mus. Et differentiam inter assensum Theologiæ, & assensum fidei ostendimus, quod ille per discursum ex vi materiæ præmissarum, vt vera conclusio deducatur, hic verò absque discursu ex vi solius reuelationis sit elicitus, sicque responsum manet ad fundamenta, & rationes vtriusque sententiæ oppositæ.

30 Iam de veritate omnimoda actus fidei constat ex D. Thoma 2.2. q.1. art.3. dicente, fidei non posse subesse falsum; & ita tenent eius Expo-

posi-

positores, ac omnes alij. Ratio est quia fundatur in vera Dei reuelatione, & non in apparente, aut existimata tali, etiam quæ ignorantia inuisibili, vt traditum completè à nobis Regula 58. num. 104. assignata disparitate inter fidem, & reliquas virtutes, quod in his sufficiat, si obiectum vniuscuiusque formale prudenter repræsentetur tale ad eliciendum proprium actum eius, tametsi re ipsa non sit; nequaquam tamen in obiecto formali fidei, nempè reuelatione, quod debeat esse realiter facta & non tantum existimata talis; ergo actus fidei in quouis casu est re ipsa verus.

31 Neque habet vim obiectio illa, quod eadem propositio per solam temporum successionem, & circumstantiarum mutationem possit transire de vera in falsam, permanente intellectu in eodem actu, (quod idem numero actus voluntatis ob eandem circumstantiarum mutationem ex bono possit fieri malus, varij tenēt, præcipuè doctissimus Vasquez 1. 2.) ergo idem poterit euenire in actu fidei eodem numero, vt ex vero fiat falsus. Respondet benè

32 negando consequentiam cum D. Thoma dicto art. 3. ad 3. Suarez vbi supra sect. 4. atque ad exemplum, quod communiter solet adduci, sic distinguit, quia hæc propositio, Christus nascetur, prolata ab aliquo paulò ante eius natiuitatem, etiam post hanc, durante adhuc eodem actu, abstrahendo à limitatione temporis potest habere hunc verum sensum, Christum fuisse aliquando venturum, siue illud iam impletum sit, siue non; & sic potest credi per fidem infusam, veritate eiusdem assensus, numero semper manente. Secus verò si addicta

33 sit circumstantiæ temporis, quia facit hunc sensum, Christus nascetur, idest Christum nondū est natus, & cum de hac negatiua, & de circumstantia temporis non detur reuelatio diuina; sed tantum coniectura humana in taliter proferente, hic non credet eam per actum fidei infusæ, sed per actum cognitionis, seu coniecturæ naturalis, qui mutato tempore, mutari potest de vero in falsum.

34 Denique actus fidei infusæ non obstante eius ineuidentia, & obscuritate, cum ea limitatione, de qua Regula 59. num. 151 omnino, & simpliciter est verus; & certus, vt cōtra quosdā hæreticos ostendit clarè D. Bernardus ep. 190. ex Scriptura, Tobię 3. *Pro certo habeat omnis qui in te credit*. & 2. Timoth. 1. *scio, cui credidi & certus sum*, atque Actorum 2. *Certissimè sciat domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum; quem vos*

35 *crucifixistis*. Intelligitur autem de certitudine, non per euidentiam demonstratiuam, quæ æqualis est, vbicumque in scientijs naturalibus fiunt demonstrationes, vt cum Arist. lib 1. poster. cap. 2. tenent communiter Dialectici, sed de certitudine per omnimodam infallibilitatem ex parte obiecti formalis, Dei scilicet testificantis, seu reuelantis, quæ & falli & fallere posse impossibilius est, quam naturalem scientiam, etiam demonstratiuam hominis errare.

36 Ex hoc autem fundamento prouenit, quod certudo actus fidei sit multo maior, & ex[...] cellentior, quam cuiusuis scientiæ naturalis. Item prouenit ex lumine Diuino, quod pra[...] stantius est, quam quoduis intellectuale à na[...]

36 tura inditum. Vnde fit vt sæpè hoc sit corri[...] gendum per lumen fidei, etiam in principijs quæ apud Philosophos per se nota, & certa videntur, vt in illo, *Quæ sunt eadem vni terti[...] sunt eadem inter se*, quod in mysterio Sanctis[...] simæ Trinitatis falsissimum est, & sic in ali[...] mysterijs Incarnationis Eucharistiæ &c. ne[...] amplius immoror in re adeo certa pluribus ostendenda.

Vtrum assensus Fidei supponat actum voluntatis, & qualem? qualiterque vterque sit honestus, & meritorius?

REGVLA LXVIII.

38 Actum Fidei infusæ necessario præced[...] in voluntate actus volitionis, à quo ha[...] bet ille, quod sit humanus, & liber etiam quoad specificationem, & à quo positiuè, ac voluntariè inducitur homo ad credendum. Talis autem voluntatis actus in sua substanti[...] est supernaturalis, vtique donum Dei, quo[...] sine speciali auxilio gratiæ haberi non pote[...]

30 Item ex sua natura ita perpetuo honestus rectus, taliterque hinc actus credendi ho[...] statem, & rectitudinem accipit, vt neuter p[...] sit esse malus, seu peccaminosus, ac proinde vterque semper est meritorius in homin[...] constituto in gratia etiam de condigno in[...] constituto adhuc, tantum de congruo.

---

40 Plena est tota hęc Regula doctrina m[...] valdè vtili, merito itaque sigillatim[...] breuissime per partes discutienda: N[...] est dubium de huiusmodi actus volūtatis[...] cisa necessitate, quidquid vnus Marsilius[...] art. 1. dub. 3. contra D. Thomam 2. 2.[...] art. 4. & q. 2. art. 1. ad 5. Caiet. ibi Capr[...] dist. 24. q. 1. art. 3. Scot. dist 25. q. 2. Val. to[...] disp. 1. q. 1. punct. 4. & communiter con[...] omnes insurgat, & asserat, *Quamuis volun[...] possit mouere intellectum ad credendum, non esse tamen necessarium, vt positiuè moueat,*

41 *sufficere, si non contradicat*. Verum falli[...] in hoc Marsilius; nam actus fidei est omni[...] liber, ita ut proposito æqualiter duobus f[...] obiecto, possit alter credere, & alter non c[...] dere, per positiuum dissensum, quæ est differ[...] tia istorum actuum, quoad specificatione[...] deducitur clarè, ex Scriptura, Marci vltim[...] *Qui crediderit, saluus erit, qui verò non cre[...] derit, condemnabitur*, & Apost. ad Rom. 10[...] Isaia, *Domine, quis credidit auditui nostr[...]* quia nimirum positum est in hoc in liberta[...] hominum, atque expresse habetur in Triden[...] sess. 6. cap. 6. vbi ait *Disponi homines ad iust[...] tiam; dum fidem ex auditu concipientes, libe[...] mouentur*

mouentur in Deũ credentes Ratio enim prio-
est,quia nulla datur causa necessitans intelle-
um ad credendum,nõ extrinseca, cum Deus,
ui solus de potentia absoluta possit,non neces-
tet; nec vlla intrinseca, cum obiectum fidei
roponatur per solam reuelationem,& non per
uidentiam, quæ tantum in alijs scientijs, seù
onclusionibus earum necessitat intellectum
d assentiendum, neque item in fidei assensu, vel
issensu à se ipso intellectus necessitari, aut de-
erminari potest, vt omnes concedunt.

Superest itaque vt intellectus prorsus à volun
ate determinetur, & imperetur, nec sufficit, si
hæc non contradicat, vt volebat Marzilius, sed
portet, vt per actum positiuum id præstet,non
idem coactè, aut necessario, sed liberè,& vo-
ntariè, quia cum sit de sua natura potentia
bera, tum actus proprij ab ipsa immediatè eli-
i, tum externi aliarum potentiarum, maxi-
è intellectus ab eadem imperati,voluntarij,&
beri sunt. Ac proinde eidem voluntati actus
edendi tribuuntur in scriptura sacra, Rom.10
orde creditur ad iustitiam, corde, idest volun-
te,vt communiter exponitur: similiter Actor.
ait Philippus Eunucho, *si credis ex toto corde*,
empe ex tota voluntate. Hinc etiam è contra
peccatum infidelitatis, quod natura sua admo-
um graue est, & ad dãnationem inducit Mar.
Qui vero non crediderit, condemnabitur, ei-
em pari modo voluntati tribuitur, quia præ-
ptum de actu fidei directè in eam cadit, &
violatio talis præcepti ab ea in primis originẽ
ducit; cum ita violare in tantum sit peccatum,
in quantum est voluntarium, vt cum D. Thoma
q.6. tenent omnes, ergo ab actu positiuo
oluntatis determinatur intellectus ad fidei as-
nsum, vel dissensum, atq; vterque istorum in-
habet per determinationem, quod sit hu-
nus, & voluntarius, seu liber.

Dubitatur autem circa supernaturalitatem
us voluntatis, quo determinatur intellectus
assensum fidei: aliqui enim Doctores Catho-
non improbabiliter tenent esse supernatu-
em, non intrinsecè, quoad substantiam, sed
tum quoad modum, sicut est sanitas miracu
è restituta infirmo, vel potentia visiua cœco:
è ducti; quia hic actus voluntatis non suppo-
in intellectu actum supernaturalem, cum in
non sit adhuc assensus fidei infusæ, ergo vo-
tas ipsa credendi, in modo tantum, & non
e, seu in sua substantia erit supernaturalis,
illi Doctores.

Nihilominus consequenter loquendo ad iam
dita in Regula præcedenti num. 25. de su-
naturalitate assensus fidei infusæ, vt commu
inter scholasticos, & magis certum asserimus
am voluntatem credendi esse in sua substan
, & essentia supernaturalem, ob eandem ra-
nem tunc allatam, & additam doctrinaliter
præsenti Regula, quòd in se totaliter ista vo-
ntas sit donum Dei, & sine speciali diuinæ gra
auxilio haberi non possit, hoc autem est de
e omnino certum, fremant vtiq; hæretici se-
ipelagiani, qui vt refert Sanctus Hilarius in
pistola ad D. Augustinum posita ante librum
prædestinatione Sanctorum, cum admitterẽt
pro reliquis bonis operibus necessarium esse gra
tiæ auxilium, prorsus negabant pro voluntate
credendi, & hanc esse positam in viribus liberi
arbitrij, sicque ab ea sumi posse initium salutis
48 docebant. Contra istorum errorem præcipuè,
vt alia omittam, facit illud ad Philippen. 1. *Vo-
bis donatum est pro Christo, vt in eum credatis*;
& paulo post, *Qui cœpit in vobis bonum opus,
ipse perficiet*; incipit autem bonum opus, per
bonum voluntatis affectum, vt exprimit idem
Apostolus cap. 2. *Ipse est*, inquit, *qui operatur
in vobis, & velle, & perficere pro bona volunta-
te*, ergò voluntas credendi a Deo misericordi-
ter est, & non ex solis viribus liberi arbitrij, iux-
tà illud Roman 9. *Non est volentis, nequè cur-
49 rentis, sed Dei miserentis.* Habemus decisam
hanc veritatem in Tridentino sess. 6. can. 3. &
4. Vide longiorem probationem ex alijs conci-
lijs, & ex auctoritate Sanctorum Patrum cum
rationibus Theologicis pluribus apud Suarez
lib. 2. de gratia cap. 3. num. 2. Qualem verò actũ
supponat in intellectu voluntas credendi expli-
cabitur completè Regula sequenti.

50 Maior est dubitatio circa honestatem, & re-
ctitudinem dictæ voluntatis credendi, & simul
fidei assensus; quamuis enim de fide certum sit
talem voluntatem ex sua natura esse honestam,
ac ipsum credere esse bonum, & laudabile, vt
patet ex illo 1. Ioan. 5. *Si testimonium hominum
accipimus, testimonium Dei maius est*, & ex illo
ad Hebr. 11 *sine fide impossibile est placere Deo*,
at Deo non placet, nisi quod honestum, & iu-
stum, & ibidem dicitur, *Iustus ex fide viuit*, eò
quod ipsa sit radix iustitiæ, & vitæ animæ, Ro-
man. 3. atque Actorum 15. ait D. Petrus, *Fide
purificans corda eorum*: esseq; hoc de fide, plu-
ribus rectè ostendit S. Augustinus lib. de vtilita-
te credendi in principio contra errorem Mani-
chæorum, qui dicebant, *nihil esse credendum,
nisi quod ratione constaret*, quo quid stultius.

51 Non desunt tamen aliqui ex Catholicis, qui de-
fendant prædictum actum voluntatis credendi,
& consequenter assensum fidei infusę, ratione
alicuius circumstantiæ, vel finis externi, praui,
posse amittere honestatem, & rectitudinem,
malosq; ac peccaminosos reddi; ita Caiet. 2. 2.
q. 5. art. 2. & 12. atq; Medina q. 56. art. 3. ad fi-
nem ob eam rationem; quòd in alijs actibus ex-
ternis virtutum id possit euenire, vt ab omnibus
communiter conceditur, cur non etiam in actu
52 fidei infusæ, & in voluntate credendi? Et qui-
dem S. Augustinus lib. de fide, & symbolo, ita
sentire videtur, quod interdum aliqui ob tem-
poralia bona vltimum finem in eis constituen-
do; fidem malè suscipiant; atque vt certum
audio, quod in hac Ciuitate Melitensi aliquæ
fœminę infideles conuersæ fuerint ad fidem no-
stram, vt facilius, & maiori cum lucro meretri-
cium exercerent, ergo, &c.

53 Verum absolutè tenendum est cum Suarez
citando, tàm actum voluntatis, quo determi-
natur intellectus ad credendum ex vi reuelatio-
nis Dei, quam assensum eius circa obiectum
reuelatum non posse amittere suam honesta-
tem, & rectitudinem, quam intrinsecè, &
substantialiter habent, neque vllo modo reddi
pecca-

peccaminosos; eo quod in sua substantia sint supernaturales, & dona Dei ex auxilio gratiæ misericorditer concessa, vt latè supra ostensum est ex scriptura sacra, & ex Concilijs, *vti* certum de fide, ac propterea non indiget hoc maiori probatione.

54 Vnde responsio ad rationem in contrarium hæc legitima, quod quando quis conuertitur ad fidem ex solo affectu *temporali*, & fine prauo, sanè non acquirere *ipsa* fidem infusam, & diuinam, sed tantum acquisitam aliquam, & humanam, vt *indicat* D. Augustinus lib. de Catechizandis rudibus cap. 5. atque indè patet quia vera *fides* non acquiritur, nisi per voluntatem supernaturalem, & piam affectionem infusam; qualis non est in illo, qui ex motiuo humano, aut fine prauo inducitur ad credendum.

55 Respondetur etiam alio modo, si talis homo, qui conuertitur ad fidem Catholicam haberet simul duos actus voluntatis, quibus conuerti vellet, alterum supernaturalem, & honestum ob veram honestatem fidei, ex testimonio Dei reuelantis; alterum naturalem malum, ob lucrũ temporale, aut finem prauum (in his enim simul habendis, nulla apparet repugnantia) tunc eius intellectus inducitur, seu imperatur ad assensum fidei infusæ per solum actum voluntatis supernaturalem honestum, ac proinde est bonus, & honestus, non vero per naturalem malum.

56 Et quia hic non causat eum, sed tantum respicit, vt materiam circa quam versatur ordinando extrinsecè ad suam vtilitatem, vel ad prauum finem, nullo modo refundit suam malitiam neque denominatiuè in ipsum. Ita communiter omnes, & ex recẽtioribus præcipuè Vasquez 1. 2. disp. 53. cap 4 num. 26. Bannes. 2 2. q. 4 art. 5: dub. 2. & Basilius Pontius 1. p. variarum disp. relat. 2. §. superest eandem. Vtraque autem re-

57 sponsio, aut saltem prima adaptari potest actibus externis aliarum virtutum, vt sic rationi in contrarium sit satisfactum.

58 Vltimo loco qualiter meritum per prædictos actus voluntatis credendi, & assensus fidei infusæ acquiratur, vel leuiter attingo, cum proprius locus de hoc agendi sit in materia de gratia, & merito, Equidem quod sint meritorij, absolutè ex modo loquendi scripturæ sacræ ferè certum habetur, Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* ad Eph. 2. *gratia saluati estis per fidem, & non ex vobis,* & ad Hebr 11. assignantur multa præmia fidei.

59 Peculiariter tamen dubitari potest de primo actu voluntatis credendi, & assensus fidei infusæ an sit meritorius? Negant Marsilius in 3. dist. 14 art. 1. dub. 14. & Almaynus in 3. dist. 24. dub 2. quia tales actus antecedunt ad actum caritatis & ad habitum gratiæ sanctificantis; at sine caritate, & gratia non est meritum apud Deum:

60 Ergo &c Affirmant vero Capreolus in 3. distin. 24. & alij, quia in eodem instanti temporis sũt quandoque simul hæc tria isto ordine, assensus fidei, actus caritatis, & habitus gratiæ, vnde quamuis in priori naturæ non sit huiusmodi assensus fidei meritorius, erit tamen in posteriori naturæ: subtilis quidem hæc Capreoli distinctio quæ non omnino displicet.

61 Dicendum item prædictos actus volunta[...] credendi, & assensus fidei infusæ esse meritori[...] de condigno augmenti gratiæ, & gloriæ, si [...] ciantur ab homine iam constituto in gratia [...] ficante, siue sint coniuncti cum actu carita[...] siue non. Exemplum sit hominis in infantia b[...] tizati, qui in ætate adulta, retenta adhuc [...] tia baptismali, elicit primum actum fidei; [...] cum fiat à persona grata, erit meritorius de c[...] digno: & ex altera parte non requiritur rela[...] caritatis, quæ per actum peculiarem taliter [...] cientis præsentem, vel præteritum facta sit, c[...] sufficiat, quasi naturalis tendentia ipsius a[...] fidei in finem supernaturalem. Quod pari m[...]

62 do locum habet in actibus aliarum virtutum qui eliciti ab homine iustificato, ex sua natu[...] absque relatione ad actum caritatis meri[...] sunt de condigno, vt cum magis communi[...] tentia D. Thomæ, & aliorum docet idem S[...] rez ibidem, & lib. 12. de gratia cap. 9.

63 Si primus vero actus fidei diuinæ educa[...] ab infideli, qui conuertitur ad Christianismu[...] vel etiam a quouis peccatore in statu pecca[...] non erit meritorius de condigno, maximè si [...] pore antecedat infusionem gratiæ; *quia educ*[...] tur à persona indigna, & peccato affecta.

64 Elicitus tamen idem actus à dicto peccato[...] vel ab infideli in eodem instanti, quo introdu[...] tur gratia iustificans, vel per receptionem [...] cramenti cum sola attritione, vel per ver[...] contritionem, in priori naturæ nullo modo [...] setur meritorius de condigno ob rationem [...] quod adhuc pro illo priori peccator non [...] piatur iustificatus, in posteriori vero natur[...] babile est, quòd mereatur de condigno [...] primam gratiam, quia iam supponitur, ne[...] menti gratiæ, quia non fit in eodem *inst*[...] sed primę gloriæ: cum enim nondum *coll*[...] sit, potest homo ex iustitia ad eam *accep*[...] sicut pari modo philosophatur Suarez lib. [...] cap. 24. & 28. de dicta contritione. Atqu[...] omnia de merito voluntatis credendi, [...] sus fidei infusæ à nobis obiter sint dicta.

Præcedit nè actus iudicij in intellectu[...] assensum fidei, & qualis? & quomo[...] do elicitur?

REGVLA LXIX.

65 Dvos prædictos actus fidei infusæ, [...] luntatis credendi, necessariò etiam [...] tecedit in intellectu alius tertius, quo hom[...] gitat, & iudicat hic, & nunc præstandum [...] assensum fidei credibilibus sufficienter pro[...] tis: Hoc autem iudicium secundum suam [...] stantiam naturale est, & naturali discursu [...] potest, supposita sufficienti propositione ob[...] adiungitur tamen ei supernaturalis illumi[...] Spiritus Sancti, quæ simpliciter necessaria [...] non pro eliciendo tali iudicio, sed vna cum [...] pro excitanda voluntate ad credendum, [...] quatur in intellectu assensus fidei.

De hoc cogitationis, & iudicij actu clarè loquitur D. Augustinus, & eius necessitatem indicat lib. de prædestinatione Sanctorū cap 2. dicens, *prius cogitandum est, an sit credendum, quàm credatur*, ergò in sententia Augustini, huiusmodi cogitatio, seu iudicium antecedit totum actum credendi, & consensum ipsius voluntatem eius, idem docet D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 4. ad 3. fundaturq; in vulgari, ac verissimo axiomate Philosophorū, *Quod nihil volitum, quin præcognitum*, atque nè leuiter quis ad credendum moueri dicatur, iuxtà illud Eccles. cap 19. *Qui citò credit, leuis est corde*, præcedat tale iudicium, necesse est: vnde nullus credo, audebit eius necessitatem negare contra auctoritatem Sanctorum Doctorum, & contra rationem: hoc ita supposito.

Non leuis difficultas insurgit circa qualitatē huius actus iudicij, sit nè supernaturalis quoad substantiam præcipuè; an verò merè naturalis? quæ inde difficultatem augeri affirmat Suarez disp 6. de fide sect 8. quod nihil ferè inueniatur de illa dictum à Doctoribus, ipse verò hinc inde fortissimis rationibus vtramq; partem expendit. Pro parte negante supernaturalitatem eius efformat argumentum valdè efficax, deducendo ad inconueniens; quia ille actus iudicij, vel est liber, vel necessarius, non primum, nam supponeret voluntatem iudicandi, quæ determinat intellectum, ad illud iudicium, cum omnis libertas à voluntate oriatur, & hæc voluntas supposita requireret alium actum iudicij, & sic, vt sit liber, supponet similiter aliam volitionem, atque sic in infinitum, quod est absurdum, ergò primus actus iudicij non est liber; neque item secundum, nam si est necessarius, sequitur necessariò, quod sit euidens, & consequenter naturalis; sola enim euidentia, vt diximus Regula præcedenti num. 42. cogit intellectum ad actus naturales, & nullum datur lumen euidens supernaturale in hac vita, de lege ordinaria, ergo nō est supernaturalis ille iudicij actus. E contra verò pro parte admittente in eo supernaturalitatem videtur esse expresè D. Aug. vltimo loco citatus, cuius est illud principium, quod gratia sit simpliciter necessaria ad actum in intellectus, qui voluntatem credendi antecedit, & probat ex eo 2. Corin. 3. *Non sumus sufficienter cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis*; Ergo, &c. Atque pro eodem faciunt omnia loca scripturæ, quæ paulo ante sunt adducta ad ostendēdum esse supernaturalem, quo ad substantiam actum voluntatis credendi, quo voluntas, cum sequatur semper intellectum, eò quod sit potent a cœca, non prius eleuabitur ad actum supernaturalem, quàm intellectus; ergo hoc supponet actum iudicij supernaturalem, ob istas, & alias rationes vtriusq; partis, Suarez citatus diuersos excogitauit modos soluendi difficultatem, quos expendit, & reijcit, vide apud ipsum.

Verùm cum ratio illa deducendo ad inconueniens, pro parte negante omnino supernaturalitatem in actu iuditij antecedente voluntatem credendi, semper vim suam retineat, in eam vti magis fundatam, & faciliorem cum eodem Suarez inclinamus, & ostendimus directè esse tantùm naturalem; quia medium per quod habeatur, naturale est, nempè per discursum naturalem, cum solum sit de credibilitate obiecti fidei, & in sufficienti eius probatione fundetur; Ex qua facile formatur hic discursus: Quidquid sufficienter proponitur, est credibile, hoc sufficienter proponitur, ergò est credibile, quæ conclusio est ipsemet actus iudicij, quo mouetur voluntas, & deducitur euidenter ex præmissis, ex maiore vti nota per se lumine naturali, & ex minori, quæ experimento innotescit, supposita prædicatione Euangelij publica, vel instructione particulari hominis docti, & supposita doctrina suprà tradita de euidentia credibilitatis mysteriorum fidei, & de normis credendi, quibus proponuntur. Ita docent Gabriel in 3. dist 24. dub. 1. Almaynus dub. 2. Albert. sect. 6. num. 3. & alij recentiores.

An fidei virtus contineat duos habitus intellectus, & voluntatis? & qua ratione vterque ab alijs virtutibus distinguatur?

REGULA LXX.

73 Fides virtus Theologalis, licet vna tantum sit ex illis tribus ab Apostolo assignatis 1. Corint. 13 *Nunc autem manent tria hæc Fides, Spes, Charitas*, vnione tamen morali ex duplici habitu constituitur ad eliciēdos proprios actus Regulis præcedentibus, declaratos, altero magis præcipuo intellectus, altero minus præcipuo voluntatis, vtroq; supernaturali, infuso à Deo, vtroque etiam apto intendi, seu augeri per dictos actus, sed non remitti. Ille existens in
74 intellectu ex sua natura est vna simplex qualitas & intellectualis virtus, distincta ab alijs fidei virtutibus intellectualibus, seù donis, & gratijs gratis datis, quæ ei inseruiunt, præcipuè à fide, seu dono prophetiæ, simpliciterquè dicitur habitus, & virtus fidei Theologalis: hic verò existens in voluntate similiter est simplex qualitas, & specialis virtus moralis, distincta à charitate, & à reliquis virtutibus moralibus, vocaturque communiter habitus piæ affectionis.

---

75 Tam multa, quod speculatiua, sub eadem Regula comprehendimus breuissime declaranda, vt citius ad magis practica, & moralia accedamus. Pro declarando priori habitu in
76 intellectu existente, prænotandum est, quod circa eadem mysteria reuelata possit homo habere actus fidei acquisitæ, qui naturales sunt; actus item fidei infusæ supernaturales. Ex Prioribus, qui speciebus per analogiam, vel ordinem ad res sub sensibus positas, acceptis modo naturali eliciuntur, fit habitus in intellectu acquisitus, & naturalis, atque hic manere potest, quāuis fides infusa amittatur, vt patet in hæretico.
77 Præter hunc habitum acquisitum, an ad eliciēdos actus infusos fidei sit admittendus habitus super.

supernaturalis, & infusus in intellectu fuit quæ-
stio grauis inter antiquos Theologos; quæ nunc
omnino cessauit; quia iam ab omnibus certum
habetur esse admiscendum; imo certum de fide
à melioris notæ Doctoribus iudicatur (tametsi
alij non tantam certitudinem ei tribuant) quia
Tridentin. sess 6. cap 6. & 7. expresè dicit *post
actum fidei infundi iustitiam, quæ fidem, spem,
& charitatem includit*; & addit idem Conci-
lium, *fidem non amitti per omne peccatum*,
quod necessario intelligitur de fide habituali.
78 Ex qua Tridentini doctrina etiam clare sumi-
tur hunc habitum fidei esse virtutem superna-
turalem, & infundi à Deo ad infusionem gratię
iustificantis.
79 Ista autem virtus Theologalis residens in in-
tellectu congruè in hunc modum definitur à
Suarez disput. 7. de fide sect. 1. *Est habitus in-
clinans, & dans intellectui supernaturalem fa-
cultatem eliciendi assensum fidei propter aucto-
ritatem primæ veritatis reuelantis*. Huic etiam
habitui applicat D. Thomas 2. 2. quęst. 4. artic.
1 definitionem illam D. Pauli ad Hebræos 11:
Sperandarum substantia rerum, &c. quam nos
iam regula 52. num. 3 cum Castro Palao decla-
80 rauimus. Item Suarez citatus egregiè ostendit
cum Molina 1. p. quæst. 1. artic. 6. & Valentia
tom. 3. disput. 1 quæst. 4. pun 5. qualiter hic habi-
tus fidei habeat rationem virtutis intellectualis,
sitque vna simplex qualitas, sufficiens ex se ad
producendum fidei assensum, absq; vllo lumine
Diuino superaddito; quia frustra superadditur
aliud præter declaratum Regula præcedenti n.
69. lege ipsum Suarez.
81 Iam de distinctione huius habitus virtutis
Theologalis ab alijs fidei virtutibus intellectua
libus, seu gratijs, & donis gratis datis, dicendũ,
prolato vno, vel altero verbo de singulis. Præ-
82 notandum autem hoc de omnibus ferè in com
muni, quod vix vlla differentia essentialis, sed
tantum accidentalis inter ista, & fidem Theo-
logalem reperiatur; ita cum D. Thoma 2. 2. ex
varijs locis priùs in genere, postea in specie
ostendit copiosè ipse Suarez, tota disputatione
83 octaua Fides itaque quę dicitur Fructus Spiri-
tus sancti differt à Fide virtute Theologali, quod
hęc vocetur talis, prout continet assensum, &
credulitatem, maximè quando caritate forma-
tur; prout verò quandam inducit menti de e-
ctationem spiritualem, dicitur fructus Spiritus
84 sancti. Item fides miraculorum, essentialiter
eadem est cum fide Theologali, cum accidenta-
li adiuncto, quod ad patranda miracula huius-
modi actus debeat esse ita elicitus, & applicatus
ad hoc particulare factum, vt possit generare
eam fiduciam, & actus alios necessarios ad im-
petrandum à Deo optatum miraculum.
85 Præterea in quo consistat differentia inter fi-
dem Theologalem, & fidem, quę est gratia
gratis data, controuertitur inter Doctores, prę
ualet tamen sententia D. Thomę 2. 2. quęst 4.
artic. 5. ad 4. dicentis hanc fidem esse sermo-
nem fidei, cui adiunguntur ad eumdem finem
alię quatuor gratię, seu dona gratis data, nem-
pè sermo scientię, sermo sapeintię, donum lin-
guarum, & interpretatio sermonum, quoad

sensum eorum, de quibus D. Paulus 1. Corin.
86 Nam secundum D Thomam 3. par. quęst. 7.
tic. 7. *Sermo fidei, & dictæ quatuor gratiæ
tis datæ, ex sua natura ordinantur ad actus
terno, fidei manifestatiuos in vtilitatem alio
non sic fides Theologalis, sed ad bonum tant
recipientis ipsam per se dirigitur*. Consonat i
Diui Augustini lib. 14. de Trinitate cap. 1. *A
inquit, est scire tantummodo, quid homo cre
debeat propter adipiscendam vitam bonam,
scire quemadmodum hoc ipsum, & pijs opi
tur, & contra impios defendatur*.
87 Discrimen autem inter sermonem, fidei
monem scientię, & sermonem sapientiæ di
simodè assignatur à Doctoribus; placet tam
modus assignandi D. Thomæ 1. 2. quęst.
artic. 4. quod sermo fidei explicet res eius
cumque modo; sermo verò sapientię ex
eas per causas, seu rationes altiores, elici
& suadendo reconditas veritates; sermo d
que scientię indicet easdem rationibus con
turalibus, & exemplis.
88 Sed quid de differentia inter fidem Theo
galem, & hæc fidei dona gratis data? essenti
lis ne? an accidentalis? Non discutit hoc i
particulari Suarez, nec alius, quod *sciam*, v
detur tamen esse essentialis ob exemplum Ch
sti Domini, quem cum Diuo Augustino Epist
57. & cum D. Thoma 3. par. quęst. 7. artic
Omnes vt certum concedunt habuisse h
dei dona gratis data; non verò fidem Th
galem; quia ista ei, vt comprehensori
gnabat; nisi forte quis dicat talia dona
Christo viatore simul, & comprehensor
quod in lumine gloriæ, seu in visione b
fundarentur fuisse multo altioris ordinis,
uersę speciei ab his, quę puro viatori, fu
in sola reuelatione Diuina, conceduntur.
89 Restat videndum in quo distinguatur
Theologica à fide Prophetica, seu à dono
phetiæ: atque pretermissis multis, quę lo
tato per sex longas sectiones affert Suare
ctantia ad donum prophetię: hoc vnu
eo dico, hanc conuenire omnino cum
Theologali in obiecto formali, & materi
in alijs essentialibus, & inter ipsas pręcip
duplex accidentale discrimen. Primum
90 quod attigi paulò ante ex D. Thoma, nem
dem Theologalem dirigi ad vtilitatem, seu
sticationem recipientis eam, fidem vero p
pheticam ad directionem, & iustitiam alior
91 Secundum, quod fidei prophetice obiectu
semper proponatur Prophetę immediatè à De
vel ab Angelo; non sic obiectum fidei Theo
galis, sed medio aliquo homine, nempe vel
so propheta regulariter per viua verba, aut
scripturam, vel alio iuxtà iam tradita supra.
92 Sequitur agendum sigillatim de habitu e
stente in voluntate; esse hunc necessarium
fidem diuinã habitualem, & actualem doc
expresè Diuus Thomas 2. 2. quæst 4. artic
ibi enim assignat habitum voluntatis prop
intrinsecam rationem fidei, vt hęc scilicet sit v
luntaria.
93 Ad quod probandum format argumentu
hoc modo; quia quoties actus pendet per se
dua-

quabus potentijs, vna eliciente, & altera imperante, admittendus est necessario habitus vtraque potentia, vt sic vtraque sit integrè, habitualiter disposita, seù intrinsecè in actu primo constituta ad exercendum talem actum. Sed in intellectu ad eliciendum actum fidei, supernaturalem ab omnibus conceditur habitus etiam supernaturalis; ergo in voluntate ad vsum imperandum per propriam ipsius volitionem elicitam necessariò est similis concedendus. Qui habitus similiter est simplex qualitas; & cum resideat in voluntate, à fortiori habebit magis rationem virtutis moralis, quam ille, qui residet in intellectu; quia omnis moralitas *cuiuscunq;* actus, tam in esse mali, seù *peccati*, quam in esse boni, seu virtutis, originem à voluntate præcipuè ducit; & quidem, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Sumitur manifestè ex D. Thoma 1.2. q.56. art.3. quem multi sequuntur: & cum ipso hãc virtutem communiter vocant piam affectionẽ.

Quid verò iam quoad huius piæ affectionis habitus, in voluntate residentis distinctionem à charitate, & ab alijs virtutibus? paucis accipe. Quamuis possit charitas per proprium actum imperare assensum fidei, sicut imperat actũ religionis, & quosuis aliarum virtutum; dum homo est in statu gratiæ, si ad id ab eo applicetur, tamen cum non competat per se, & intrinsecè fidei esse coniunctam cum charitate, & in statu peccati, quandoq; homo valeat elicere actus fidei, cumq; ad hos eliciendos determinari debeat intellectus, & imperari à voluntate per proprios actus volitionis elicitos, concedendus est necessario in ea alius habitus virtutis diuersus à charitate; qui in talibus volitionibus eliciendis, ipsi voluntati facilitatem, & promptitudinem præbeat, & hic est habitus piæ affectionis.

Quæ habet pro obiecto formali honestatem, quæ in credendo inuenitur; charitas vero ipsam Dei bonitatem, ergo sunt distinctæ inter se quidquid dicat Caietanus, contra expressam pro tradita doctrina auctoritatem D. Thomæ 2.2. q.4. art.2. ad 5.

Ob eamdem etiam rationem diuersitatis obiecti formalis, quæ est potissima, & à priori, differt hic habitus piæ affectionis ab obedientia, quæ vt est peculiaris virtus, intendit obseruationem præcepti, sub hac formalitate præcisè, quia præceptum, attingitq; hanc differentiam D. Thomas ibidem art.7. ad 3. similiter differt à virtute Religionis, cuius ratio formalis est cultum, & honorem Deo tribuere ob præexcellentiam ipsius. Tandem ob eandem differentiam obiecti formalis distinguitur virtus piæ affectionis à virtute studiositatis, quę est media inter duo extrema curiositatis, & negligentiæ, & tendit in obiectum sub hac formalitate moderandi scilicet affectum nimis cupidè, aut nimis tardè? seù negligenter in cognoscendo res veras. Ita Suarez vbi supra sect. contra Valentiam tom.3. disp.1 q.1. pun.4. qui nullo firmo fundamento putat studiositatem, & piam affectionem esse eandem virtutem; Fundamentũ tamen diuersitatis obiecti formalis à nobis positũ firmissimum est propter quod quæcunq; virtutes, vt vno verbo dicam, ab habitu piæ affectionis formaliter distinguuntur.

101 Præter iam dicta vtrique fidei habitui in intellectu, & voluntate residenti communia, competit etiam vnicuiq; eorum posse augeri, seù intendi per proprios actus, sicut similiter augẽtur, & intenduntur aliæ virtutes infusæ, præcipuè charitas, & gratia diuina existens in anima (de quo copiosè tractat Suarez lib. 9. de gratia) quia ita postulat intrinseca vniuscuiusque earum ratio, seu natura; secus verò omnino de diminutione, & remissione talium habituum, in se vtiq; & non quoad species, & obie-

102 ctorum apprehensiones. Quamquam huiusmodi fidei habitus corrumpi possunt, vt iam dicam Regula sequenti. Pluribus omnia prædicta tractat Suarez citatus; nobis proposita sufficiant, vt vltimo loco in hoc capite duo communia vtrisq; actibus, & habitibus fidei de subiectis, & de effectibus eorum duplici regula expendamus.

Fides Diuina formata, & informis per quodnam peccatum amittitur? & qualiter?

REGVLA LXXI.

103 TAmetsi diuina fides formata quouis peccato mortali amittatur; secus tamen est de fide diuina informi, nisi sit peccatum hæresis, seu infidelitatis; per hoc autem, quodcumq; illud sit, non physicè, sed moraliter duo fidei habitus Regulis præcedentibus declarati ab intellectu, & voluntate, quoad totum suum esse omnino expelluntur.

---

104 SVpponenda est illa doctrina, prorsus certa, nempè fidem sicut & gratiam, charitatem, ac reliquas virtutes ei coniunctas, quas homini Deus semel concedit, & infundit, nunquam ab ipso Deo illi auferri (*sine pœnitentia enim sunt dona Dei*, vt ait Apostolus Rom 11.) & semper in eo permanere, nisi eas ipsemet homo ratione peccati amittat. Supponenda item celebris illa diuisio fidei in formatam, atq; in informem, seu in viuam, & mortuam; quam adducit D. Thomas 2.2. q.4. art.3. 4. & 6. desumptam ex S. August. lib. de cognitione veræ vitæ cap 32. & alijs locis.

106 Quid sit fides mortua optimè declarat S. Iacobus cap.2. *Fides, inquit, sine operibus mortua est*: & hinc è contra fides cum operibus erit viua. cum autem viuum, & mortuum se habeant vt formatum, & informẽ; seu quod est cum forma, dante vitam, & quod est sine ea, cumq; forma dans vitam animę nostrę, & his quę sunt in ea, sit Dei charitas, seù diuina gratia; illa dicetur fides viua, seu formata, quæ est coniuncta cum charitate, & accipit actu ab ipsa vitam, & formationem; atq; è conuerso illa dicetur fides mortua, & informis, quę est separata à charitate, & consequenter ab eius vita, & formatione: quibus iam sic suppositis.

107 Quando dicimus fidem formatam quouis peccato mortali amitti, intelligitur, & est prorsus certum apud omnes, quod amittatur forma eius, nempe charitas, & ipsa transeat de vno statu in alium, videlicet desinat esse formata, & incipiat esse informis. Hoc autem ita se habere complete probatum manebit; si pari modo probauerimus fidem informem, quolibet peccato mortali non amitti. Delirant cir-
108 ca hoc Hęretici aliqui nostri temporis, qui sicut fidem particularem, & modum facilem obtinendi iustificationem, vt iam supra attigimus, falsò assignant, scilicet si solum quis credat sibi non imputari peccata; ita per quouis peccatum, quod imputatur, amitti verãm fi-
109 dem falsissimè adiungunt. Doctrina itaque à nobis proposita de fide certa censetur ex Tridentino sess. 6. can 19. & absolutè affirmat D. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 18. *fidem sine charitate esse posse*; Sed non prodesse. Ratione etiam efficaci ostenditur, quia non quoduis peccatum est contrarium fidei, neq; opponitur eius obiecto formali; ergo homo existens in peccato mortali poterit elicere actus fidei; & quidem habitus fidei prius tempore infundi potest in mente, quam infundatur gratia iustificans in anima; ergo & actus fidei producit.
110 Quod si D. Paulus attestatur 1. ad Timoth. 1. *Amittentes bonam conscientiam circa fidem naufragauerunt*; intelligitur, secundum communem expositionem, de peccatoribus quibusdam, qui maiori facilitate, & licentia grauiora peccata contra conscientiam committunt, qualia committebant Alexander, & Hymenæus, de quibus in specie loquitur Apostolus, tales permittit Deus aliquando in errores incidere, & circa fidem naufragari: vide circa hoc Suarez citandum.
111 Verùm quod per peccatum quoduis mortale hæresis, seu infidelitatis prorsus amittatur, vterq; fidei infusæ habitus, docet D. Thomas 2.2. quæst. 5. art. 3. atque est adeo certum, vt sine errore in fide non videatur posse negari: cum deducatur clarè ex scriptura Sacra, 1. Ioan. 2. *Ex nobis, inquit, prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si ex nobis essent, permansissent vtique nobiscum*: ex quo loco colligunt SS. Patres hæreticum manere extra Ecclesiam Catholicam, quia amisit fidem per peccatum hæresis, (quamquam ipsa Ecclesia adhuc retinet iurisdictionem ad eum puniendum, & cogendum, vt ad suum ouile reuertatur, vt alibi pluribus dicetur.)
112 At quod committens quodcumq; aliud mortale intra Ecclesiam maneat, res est indubitata; quia non amittit, sed retinet fidem informem: atq; vtrumque de amissione fidei ab illo & de retentione eius ab isto, docet expresse Tridentinum sess. 6. cap. 15. *Asserendum*, inquit, *est non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumq; alio peccato mortali, quamuis non amittatur fides, gratiam amitti*. Quod si hęreticus vnum tantum articulum fidei neget, vt negabant illum resurrectionis dicti Alexander, & Hymenæus, & quoscumq; alios credat nequaquam hos credet fide diuina infusa; sed tantum humana, signis, aut inditijs temporalibus externis, vel testimonio hominum fundata. Nam veritates
114 omnes nostræ fidei Catholicę, ita connexæ sunt inter se, sub eadem ratione formali reuelationis diuinæ, aut testificationis Dei, vt qui hanc circa aliquam earum neget, aut quod est, falsam esse dicat, circa omnes eiusdem negasse, aut esse falsam, dixisse censetur, omnes concedunt.
115 De modo tandem amittendi fidem per peccatum hæresis potest esse dubium; non enim defuerunt auctores, quos tacito nomine citat Suarez, vbi supra sect. 4. affirmantes physicè expelli, vtrumque fidei habitum per peccatum infidelitatis; cum par sit ratio, atque de charitatis expulsione; charitatem autem expelli physicè ab animo per quoduis mortale videtur esse sententia D. Thomę in materia de charitate, & multi eius discipuli, ita tenent; er-
116 go &c. Dicendum tamen expulsionem fidei per infidelitatem non fieri physicè; sed moraliter, ratione demeriti, & dispositionis. Hanc vt communem, & magis certam sententiam docent D. Bonauentura in 3. distin. 27. art. 1. q. 4. Scotus dist. 23. q. 1. ad 1. Durandus dist. 31. q.
117 1. ad 1. & alij. Probatur efficaciter, quia expulsio physica fit, vel effectiuè, vel formaliter at per primum actum erroris, & per actum voluntatis errandi contra fidem, ob quos statim fides amittitur, neque effectiuè introducitur neque formaliter recipitur aliquid in intellectu, aut in voluntatem, quod habeat physicam incompossibilitatem cum habitibus fidei in vtraque potentia residentibus; cum habitus oppositi per plures actus successu temporis ge-
118 nerentur, ergo &c. Confirmatur particulariter contra expulsionem formalem, quia principium generale, & communiter receptum apud Philosophos habetur, per actum non expelli formaliter habitum, & est expressa doctrina D. Thomę 2.2 q. 24 art. 12. eo quod non seruent inter se proportionem: & quemadmodum in naturalibus non repugnat formaliter motus sursum cum habituali, seu naturali propensione ad motum deorsum; ita in præsentia actus erroris, & voluntatis errandi non repugnabunt formaliter cum habitibus fidei prædictis; sed neque effectiuè ob rationem dictam ergo nullo modo physicè erit vlla inter eos repugnantia.
119 Remanet itaque vt sit sola repugnantia, & incompatibilitas moralis, demeritoriè, & dispositiuè inter actum infidelitatis, seu erroris contra fidem, & habitus illos fidei supernaturales: primum demeritoriè per se iam patet; non enim meretur fidem diuinam ille, qui contra
120 eam sentit. Secundum dispositiuè indè innotescit, quia vt optimè declarat D. Thomas vbi supra, quicumq; dissentit ab vno fidei articulo eo ipso manet impeditus, & indispositus ad credendum aliquid per verum assensum infusum cum omnimoda certitudine ex formali obiecto fidei, nempe reuelatione, & testificatione diuina.

Ca-

Capacitas actuum, & habituum fidei est ne in quibusuis viatoribus, & animabus Purgatorij? & quid de Beatis, ac Damnatis.

REGVLA LXXII.

121 QVicumq; homines meri viatores,& animæ existentes in Purgatorio semper sunt capaces tàm habituum, quam actuum fidei infusæ, nisi ob aliquod impedimentum ex parte hominis, fiat iste eorum incapax per aliquod saltem tempus: eadem capacitas fuit in
122 Angelis, dum extiterunt in via. Cæterum extra viam in Beatis, atque in Damnatis nullus manet vsus fidei Diuinæ loquendo de facto seu de lege ordinaria; de potentia verò absoluta non apparet repugnantia.

---

123 COncordant Doctores circa omnes ferè huius Regulæ particulas,& quod in ea dicitur tàm de Angelis, quam de hominibus, vt omnino certum est ab omnibus tenendum, ita enim illi,dum fuerunt viatores ambularunt sicut et nos in via per fidem ambulamus,vt ait Apostolus 2.Corint.5.Cum autem Angeli non cognoscant supernaturalia per proprium lumẽ naturale, vt per se patet, & tradit D.Thomas 1.p.q.57,hinc fit, vt fuerint capaces reuelationis diuinæ, tam abstractiuæ, quam intuitiuæ, & consequenter capaces actuum, & habituum
124 fidei infusæ. Quod etiam locum habuit in primo Angelo, quamuis non potuerit non cognoscere euidenter Deum testificantem, seu reuelantem; cum hæc euidentia non repugnet, vt sit coniuncta cum fide diuina, quod iam supra ostendimus: atq; hanc fidei capacitatem in quibuscumq; Angelis viatoribus, vti certam docet idem D.Thomas 2.2.q 5.
125 Nomine verò Viatorum intelliguntur etiam animæ in Purgatorio existentes,quę adhuc per fidem ambulant; cum nondum viam absoluerint, nec ad vltimum peruenerint terminum; quamuis in morte cœperint à via discedere. Necessaria est autem illis fides ad Deum super naturaliter cognoscendum, & ex charitate su-
126 per omnia amandum. Aliundè reuelatio obscura habita in vita, dum sunt ibi,in eis permanet,& ex vi huius elicere actus fidei non impedit ipsas euidentia in attestante, quam experimento acquisierunt, vt traditum alibi; ita ex communi sententia Suarez tomo de Pœnitentia disp.47 sect.2.
127 Item de limitatione illa,quod homo ex parte sua ob aliquod impedimentum incapax fidei diuinæ reddatur, res est etiam indubitata, exprimenda igitur tantum tria impedimenta ob
128 quæ id euenire potest. Primum est carentia vsus rationis,vt in dormientibus,in amentibus & in infantibus, qui habitus fidei, & piæ affectionis receptos per Baptismum,vel aliter, retinent,dum vsu tamen rationis carent, eorum
129 actus elicere nequeunt. Et quamuis posset Deus ex priuilegio miraculosè tales actus infantibus concedere, vt Beatissimæ Virgini Marię, & S. Ioanni Baptistę concessisse credimus id tamen non est de lege ordinaria gratiæ, & esset erroneum affirmare huiusmodi actus fidei esse infantibus necessarios ad salutem, vt infra dicetur.
130 Alterum impedimentum potest esse ignorantia, ratione cuius innumeri homines,nec actus nec habitus fidei habent. eo quod res fidei nō audiant: *nam fides ex auditu*, vt ait Paulus, atque ignorantia in eis potest esse aliquando inuincibilis. Prouidit enim Deus per causas veluti vniuersales modum, quo verbum fidei ad omnes posset peruenire, quod si in particulari ad multos de facto non perueniat, nequaquam tenetur Deus ex vi suę ordinarię prouidentiæ auferre semper huiusmodi impedimentum; quamquam ex speciali gratia non raro ip-
131 sum aufert. Tertium impedimentum est hæresis,errans enim in vno fidei articulo, nequit vera fide aliquid credere: sed de hoc impedimento iam Regula præcedenti satis dictum.
132 Solum itaq; est controuersia inter Doctores circa iam Constitutos in statu termini, scilicet beatitudinis, vel damnationis, an sint capaces fidei? Duplex est sententia circa Beatos, Durandus enim in 3.distin.32.q.3. Argent. ibi artic.3. Alen.3.part quæst.64. membr.7. & alij affirmant non repugnare fidem statui visionis beatificæ, eo quod se habeant tanquam actus perfectus, & imperfectus; sicut scientia intuitiua, & abstractiua; aut sicut supernaturalis, & naturalis; & tamen vtraque habent beati; ergo similiter, &c. atq; in hanc videtur inclinare Irenæus lib.2.contra hæreses cap.47. & Tertullianus lib.de pœnitentia cap.13 E contra verò
133 negant D.Thomas 2.2 quæst.5. artic.2. & 1.2. quæst.67.art.3 ac omnes eius Commentatores, & reliqui Scholastici in 3. distin. 23. expresseq; defendit D.Augustinus serm.13.de tempore.
134 Hæc secunda sententia, vt longè verior, & ferè certa, absolutè tenenda est, vtiquè valdè fundata in testimonijs Apostoli 1. Corint. 13. *Cum venerit*, inquit; *quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*, per cognitionem ex parte, hic D.Paulus fidem significat iuxta expositionem D.Chrysost. & aliorum eo quod nullus sit eius vsus in Patria; vti per se status
135 Beatitudinis postulat. Inter quem, & statum huius vitę in hoc videtur constituere differentiam idem Apostolus,ibidem dicens, *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. & quamuis per hanc particulam facie ad faciem, videantur solum ea exprimi, quę beatus videt in Verbo; doctrina tamen secundę sententiæ locum etiam habet in reliquis, quę cognoscit extra Verbum, etiam per reuelationem: quę ibi non est obscura, sicut in via, ac proinde ratione eius non generatur fides in intellectu Beati; sed scientia euidens demonstratiua, cognitis causis sciendi; ergo Beati non exercent actus fidei, &c.
136 Nihilominus, quod probauimus cum testimonijs Apostoli, intelligitur de facto, seù de lege ordinaria: de potentia vero Dei absoluta,

luta, non apparet implicantia contradictionis,
quod videntes Deum possint habere aliquem
fidei actum, maximè si hic ab eis exerceatur,
circa res non visas per visionem beatificam, cū
non repugnet ipsas reuelari obscurè eodem
modo, quo in via; tametsi Deus clarè videatur.
137 De rebus autem vna cum diuina essentia vi-
sis difficilius concipitur qualiter actus fidei pos
sit esse simul cum visione beatifica: sed adhuc
circa istas de implicantia non constat, ita Sua-
rez vbi supra sect. 9. cum Doctoribus à fortiori
primæ sententiæ.
138 Illud deniq; licet obiter bene resoluit solus
idem Suarez, de facto nunc, attenta lege ordi-
naria, posse esse in voluntate cuiusuis Beati
actum piæ affectionis simplicem, corresponden
tem huic conditionali locutioni, si mihi Deus
iuberet credere, id facerem: vel simili, quam
sine dubio Beatus habere potest; huiusmodi ta-
men locutio, & pia affectio, nec actum fidei, nec
actum piæ affectionis efficacem indicant, quos
de facto Beatus habeat, vt per se patet.
139 In damnatis tandem similiter affirmat Du-
randus ibid. q. 9. manere fidem diuinam, in idē
inclinat Salmeron disp. 3. in epistolam Sancti
Iacobi ad illa verba, *Dæmones credunt, &
contremiscunt*: vbi videtur esse sermo de actu
fidei infusæ; alioquin non rectè adduceret illud
exemplum ad ostendendum, vt ibi intendit,
solam fidem, etiam supernaturalem non suffi-
cere ad salutem.
140 Pars tamen negans amplectenda, vt ferè cer
ta, & communis D. Thomæ. 2. 2. quæst. 5. art. 2.
expositorumq; eius præcipuè Caietani, item D.
Bonauen in 3. distin. 25 art. 2 quæst. 3. Gabrie-
lis quæst. 2. artic. 3. & multorum Scholasticorum
Consonat D. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei
cap. 21. vbi ait *non lumine fidei, sed efficacia
signorum Dæmones cognouisse Christum Domi
num*; similiter Sanctus Dionysius Areopagita
cap. 4. de diuinis nominibus, vbi vniuersaliter
affirmat carere damnatos omnibus diuinis do
141 nis, & gratijs. Atq; hinc ratio efficax desumi-
tur, quia actus fidei infusę, & pia affectio, seu
honesta voluntas requisita ad credendum, non
possunt elici sine auxilio gratiæ diuinæ, sed hęc
non communicatur damnatis, neque eis com-
petit ratione status adeò miseri, & infelicis il-
la pia affectio, aut honesta voluntas. ergo ca-
rent fide diuina.
142 Contra hanc autem doctrinam communem
Doctorum, verba illa Sancti Iacobi, *Dæmones
credunt*, &c. nullo modo faciunt, nam intelli-
genda sunt; ex mente aliorum expositorum,
præter Salmeronē, quod credant fide naturali,
coacta, & non voluntaria, ex coniecturis, seu
circumstantijs externis acquisita: quæ est com
pletè sufficiens ad argumentum, quod ibi for-
mat Sanctus Iacobus contra hæreti cos præci-
puè nostri temporis affirmātes fidem sine ope-
ribus esse sufficientem ad vtramq; salutem gra
tiæ, & gloriæ.
243 Similiter de eadem fide naturali intelligen-
dus est D. Thomas ne sibi videatur contradice-
re circa rem præsentem, quando ait 2. 2. quæst.
18. artic. 5. ad 2. fidem manere in damnatis;
nulla verò ratione spem, ita ipsum expo[...]
Suarez vbi supra, & satisfacit oppositis add[...]
ctis à Durando, & ab alijs pro prima sente[...]
tia.
144 Hic etiam distinguit idem Suarez inter [...]
tentiam ordinariam, & absolutam Dei, at[...]
ex vi huius posse similiter in damnatis fidei [...]
uinæ actum dari absolutè affirmat: quod nu[...]
145 modo negari potest. Tandem quod dictu[...]
est in præcedentibus numeris de actu fidei [...]
telligi etiam debet de eiusdem habitu, q[...]
vbicumq: & quomodocumq; ille concedit[...]
sit similiter hic concedendus, atque è cont[...]
vbicunq; negatur, sit pari modo negandus. [...]
tio est, quia frustra admittitur potentia, seu [...]
cultas, quæ ad actum, seu ad vsum non re[...]
citur, quo conuincitur secundum; primum [...]
ro per se patet.

---

*Fides infusa quos effectus physicè producit? [...]
moraliter tantum? & qua ratione?*

REGVLA LXXIII.

146 Fides supernaturalis infusa in superioribu[...]
declarata, tam quoad actus suos, quam
quoad habitus in intellectu, & voluntate ex[...]
stentes præter productionem ipsorum actuu[...]
& pręter augmentum habituum, vt iam di[...]
nullo modo est causa physica effectiua alic[...]
effectuum: eadem tamen, vt causa mora[...]
plures effectus diuersimodè concurrit, m[...]
dispositiuè, meritoriè, impetratiuè, & excit[...]

---

147 Duplex præcipuè effectus tribuitur [...]
Thoma 2. 2. q. 9 fidei diuinę, alte[...]
timor, ex illo Iacobi cap. 2. *Dæmones credun[t]
contremiscunt*: quamquam enim fides d[...]
num non sit supernaturalis, vt paulo ant[...]
ctum, ex ea tamen insurgit argumentum [...]
148 tiori. Alter fidei effectus est purificatio [...]
dis, iuxtà illud Actorum cap. 15. *Fide pu[...]
corda eorum*.
149 Quamuis autem non exprimat mod[...]
gelicus Doctor causandi hos effectus, a[...]
sicè, vel moraliter? supponendum tamen [...]
omnino certum, quod haud intelligatur de [...]
do, seù de causalitate physica effectiuè: id[...]
egregiè ostendit Suarez dicta disputatione [...]
10. discurrendo per actus, & habitus vtriu[...]
potentiæ intellectus, ac voluntatis, & quid[...]
nulla perspicitur ex his causalitas physica [...]
nare; nam cum actus sint immanentes, nul[...]
physicè producunt effectū pręter augment[...]
iā supra traditū, suorū habituū, qui immed[...]
vti postulat natura ipsorū à Deo infundū tu[...]
tantum ad productionem actuū ordinan[...]
150 quod omnes concedunt. Neq; itē vnus ac[...]
ad producendū aliū physicè concurrit; na[...]
quāuis voluntas per suū actū piæ affectionis [...]
ducat, & applicet intellectū ad assensum fi[...]
eliciēdū, inductio tamē hæc & applicatio nō [...]
ab ea per influxū aliquē physicū; sed prou[...]
es

ex sympathia voluntatis cum intellectu, & cum alijs potentijs, quas imperat, & determinat ad suos actus; quod vt probabilius docet idem Suarez tract. de anima lib. 5. cap. 6.

151 Restat itaq; vt dicta causalitas ad illos duos effectus, & ad alios tantum sit moralis: hæcque multis modis; primò dispositiuè, & intelligitur de dispositione proxima, vel remota: proximè disponit actus fidei solum ad habitum eiusdem fidei; sicut quiuis actus cuiusuis virtutis ad suũ

152 proprium habitum. Remotè verò disponit actus fidei aliquo modo ad totam iustificationẽ, atq; hinc dicitur fides in Tridentino sess. 6. cap. 6. & 8. esse fundamentum iustitiæ, & idem docet D. August. epist. 105.

153 Secundò causat fides (scilicet formata) meritoriè, seu per modum meriti de condignò: vnde dixit Cyrillus lib. 11. in Ioannem cap. 16. fidem esse radicem, & originem æternæ vitæ, applicans illud Ioann. 14. ***Hoc est vita æterna: vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.***

154 Tertiò impetratiuè, seu per modum meriti de congruo. atq; ideò fidei diuinæ attribuuntur miracula, tanquam effectus eius. Imo quiuis effectus orationis, est etiam hinc effectus fidei, vt docet D. August. epist. 107. De hoc & præcedenti modo causalitatis moralis sufficienter à nobis dictum sub finem Regulæ 60.

155 Quartò tandem excitatiuè, qui modus est maxime proprius, cum fides infusa operetur moraliter excitando voluntatem ad bonos actus. Nam repræsentat ei obiecta supernaturalia valdè honesta, quibus inducitur voluntas ad benè operandum.

156 Atque hoc quartò modo præcipuè ait D. Thomas causari per fidem duos illos effectus timoris, & purificationis cordium: non autem hi soli, sed multo plures similiter per eam causantur vt ex dictis patet.

CAPVT IX.

De necessitate fidei Diuinæ, ac de præcepto eius triplici, nempè credendi, seù eliciendi ipsius actus, sciendi item res fidei; & hanc exterius confitendi: atque de violatione vniuscuiusque istorum per omissionem, vel aliter, absque vllo mentis errore.

PROOEMIOLVM.

1 Propositis hactenus in hac fidei materia ex sua natura speculatiuis, tametsi Consultori Sancti Officij, vt munus qualificandi exerceat, non parum necessarijs. accedimus iam ad eiusdem materiæ omnino moralia, & practica immediatè antecedentia explicationem eorum criminum, quæ ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis spectant, heresis, scilicet, apostasia, &c. de quibus in sequenti, & alijs capitibus. In hoc autem pręcisè agimus de necessitate omnimoda fidei Diuinæ; ac simul de tribus eius præceptis, nempe amplectendi fidem Catholicam, seù eliciendi actus eius, addiscendi item mysteria, aut res fidei, atque confitendi ipsam exterius, maximè quando occasio persecutio-
2 nis vrget, & absque scandalo talis confessio omitti non potest. Quæ pręcepta cum violare possit homo, salua omnino fide absque delicto heresis, vel apostasię, per omissionem, aut aliter, de hac violatione, & omissione aliquid adiungetur, pro maiori declaratione dictorum pręceptorum.

An fides absolutè necessaria ad salutem quibusuis etiam infantibus? & actus eius qualiter in adultis requisitus.

REGVLA LXXIV.

Fides diuina simpliciter, & absolutè loquendo in quibusuis hominibus, etiam infantibus medium est omnino necessarium ad animæ salutem, ita vt sine ea nulsus saluari valeat. Actus autem fidei in quocumq; adulto adeò necessariò requiritur, vt nequiuerit vllus in aliquo tempore, loco, vel occasione iustificationem, & gloriam acquirere, qui re ipsa eum non elicuerit; nec vllo modo sufficit ipsum in voto habere.

4 Prænotanda hic necessariò duo, quę etiam valdè conducent ad dicenda in Regulis sequentibus, cum Suarez disp. 12. de fide, & Thoma Sanchez lib. 2. Decal. cap. 2. Primum, quod dupliciter aliquid sit necessarium ad animę salutem, nempè necessitate medij, seu finis, & necessitate solius præcepti. Illud dicitur tale, quoties aliquid ita est necessarinm, vt per se influat in effectum salutis. & sine eo nunquam hęc etiam ignorantia inuincibili concurrente,
5 obtineri possit. Necessarium verò necessitate solius pręcepti est, quando aliquid debet necessariò exequi ex vi præcepti; si facultas suppetat, & occasio: ac proinde sine eius executione potest gratia, & gloria comparari, excusante, aut ignorantia inuincibili, aut occasionis defectu, quod non exequatur.

Et quamuis quidquid est necessarium necessitate medij, sit etiam necessarium necessitate præcepti, saltem iuris naturalis; non tamen è contra, nec se habent conuertibiliter hęc duo membra: circa quæ vide plures differentias apud eumdem Suarez, qui benè aduertit valdè inseruire hanc distinctionem necessarij bimembrem ad distinguendas quæstiones morales in varijs materijs.

6 Secundo prænotandum, quod alia sit fides implicita, alia vero explicita: Illa dicitur, quando de re aliqua habetur fides non expresè, nec in ipsamet particulariter, sed in aliqua alia expresse credita, in qua illa implicitè continetur. v.g. credens explicite in communi quidquid Ecclesia Catholica tenet, simul implicitè credit mysteria Trinitatis, Incarnationis, & reliqua fidei

7 nostræ. Fides vero explicita est, qua res aliqua fidei expresse, in particulari, ac in se ipsa creditur, vt si expresse credas mysterium Eucharistiæ &c. Ita præter Suarez, & Sanchez citatos explicant Valentia 2. 2. disp. 1. quęst. 2. & Azor.

8 tom 1. lib. 8. cap. 6. in fine. Qui benè hinc deducit, quod ille explicitè aliquid credat, qui assensum prębet alicui rei sibi dictæ, vel quam cogitatione percipit: Implicitè vero, qui credit aliquid generaliter, & consequenter diuersa alia, quę in eo continentur: his sic pręnotatis iam quoad probationem Regulæ præsentis.

9 Multipliciter circa eam errauit Pelagius, vt refert Prateolus in suo Elencho Alphabetico verb. Pelagi. nam in infantibus negat esse necessariam fidem, & receptionem baptismi, quod eos non nasci infectos labe peccati originalis teneat. Ex alio capite etiam in adultis necessitatem fidei affert quod asserat, teste D. August. lib. de peccato originali cap. 26. hos posse saluari per naturalem Dei cognitionem, & hoc pro statu legis naturæ. In lege tamen scripta, & gratię addit fuisse cōuenientem aliquorum credibilium reuelationem ex Diuina prouidentia ad melius esse, non ex necessitate simpliciter, fidemque istorum posse viribus proprijs naturalibus acquiri: ita Pelagius, & Pelagiani.

10 Cęterum pręualet veritas Catholica circa dictam necessitatem fidei supernaturalis, ad vtramque animi salutem, vt docent D. Thomas 2. 2. q 2. art. 3. & ibi omnes eius discipuli, item Magist. sentent. & reliqui Scholastici in 3. dist. 23. Ostenditur ex Scriptura sacra Abac. 2. *Iustus autem ex fide viuit*; & vt alia loca omittā, efficaciter ex illo Apostoli ad Hebręos 11. *Sine fide*, inquit, *impossibile est placere Deo*. & ad Galatas 5. *Nos ex fide spiritum iustificationis*

11 *habemus*. Idem ex Tridentino sess 6. cap. 7. vbi ex vocatione ad fidem exordium iustificationis assignat, & infra loquens de Baptismo, *Sacramentum fidei*, inquit, *sine qua nulli vnquam contigit salus*. SS. etiam Patres omnes in idem conspirant, pręcipue defendit D. August. varijs in locis, maximè lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 19. vbi prædictā necessitatem fidei ad infantes etiam extēdit, & ad alios quosuis vsu rationis perpetuo carentes, vnde in reliquis, qui eo non carent à fortiori ad vtramq. salutem erit fides necessaria necessitate medij.

12 Dubium tamen videtur esse, quod ibi exci[tat] idem S. Augustinus qualiter in infantibus, [&] alijs vsu rationis expertibus hoc verum habe[at,] cum quandiu vsu rataionis carent, per se ips[i] actum fidei elicere nequeant? Respondet [S.] Doctor, sufficere si ipsum eliciant illi, sub qu[o]rum cura sunt; & idem affirmat lib. 10. de Ge[ne]si ad litteram cap. 14. *Antequàm*, inquit, *in[fans] per ætatem possit secundum spiritum viu[e]re, necessarium habet mediatoris Sacramentu[m], vt quod per eius fidem nondum potest, per eoru[m] qui eum diligunt fiat*: hęc ille.

13 Sed quid si contingat esse infideles parent[es] infantis, & hunc baptizari ab hęretico secund[um] ritum, & intentionem verę Ecclesię? Tunc, cu[m] talis baptismus sine dubio sit validus, ex men[te] eiusdem D. Augustini ad vtramque salutem i[u]stitię, & glorię videtur dicendum, quod di[cto] infanti sufficiat actualis fides eiusdem Eccle[siæ].

14 Verum quia fides debet esse in eo, qui salua[tur] pręcedente iustificatione, cuius fundamentu[m] est fides diuina, ad vtrumque dubium propo[si]tum magis conuenienter, & expeditè respond[et] Suarez vbi supra sect. 1. quod in infantibus, & [in] carentibus ab infantia perpetuo vsu rationi[s] sufficiat ad salutem fides habitualis, *quam reci*piunt in receptione baptismi, hancque *eis esse* simpliciter necessariam, vt habetur in cap. Maiores de Baptismo.

15 Verum dicta responsio adhuc intelligitur lo[]quendo de lege ordinaria in hoc statu rerum; [nam] de potentia Dei absoluta, nullum dubium [po]tuisset ipse Deus absque vlla fide supernatu[rali] omnes saluare, si voluisset: ita idem Suarez [lo]co citato; qui id pluribus ostēdit, maximè q[uia] non reperiatur implicantia vlla, & quod de [aliis] medijs ad saluandos homines potuisset dia [] sapientia prouidere.

16 Iam vero in adultis vsu rationis pręstantib[us] quod præter fidem habitualem (de qua nul[lum] potest esse dubium cum realis iustificatio, [quæ] eam secum semper adducit, fit necessaria n[e]cessitate medij, vt homo saluetur) requira[tur] etiam necessario actus fidei infusę ad consecu[]tionem iustificationis, aliqui ex actoribus Catholicis non admitrunt, vt victoria in relectione de puero perueniente ad vsum rationis, & Vega lib. 6 in Tridentinum cap. 20. quinimo audaciter asserunt, quod in aliquo casu poss[it] homo, ignorans inuincibiliter legem Euange[]licam, vel reuelationes diuinas iustificari, & sa[l]uari per solam cognitionem naturalem Dei, [&] honesti, si per voluntatem faciat, quod in se est ad vitādum malum, & operandum bonu[m].

17 Prędictorum Doctorum assertio fundari vid[e]tur in illo Roman. 1. *Cum cognouissent De[um] non sicut* Deum *glorificauerunt*: vbi apparet [] sermonem de cognitione naturali sufficientu[] vtique ad glorificandum Deum, & vitio eis tri[]buitur, quod non fecerint; Vnde è cōtra, qui e[x] tali cognitione naturali Deum glorificauerit, & hoc opus bonum fecerit, iustificationem, & glo[]riam acquiret, vt ibidem cap. 2. indicat Diu[us] Paulus, *Gloria, inquit, & bonor omni operanti bonum*. & confirmat subiungens; *Gentes, quæ legem non habent*, *naturaliter, quæ legis sunt faciunt*

faciunt, atque statim addit, ***Factores legis iustificabuntur***; ergo absque actu fidei infusæ ex sola cognitione naturali poterit quis iustificari, & saluari. Ratio] etiam videtur pro eodem facere, quia omnibus viatoribus, media re ipsa ad salutem animæ necessaria, debent esse possibilia, quod nullus negat, ***Deus enim, qui vult omnes homines saluos fieri***, 1. Timot. 2. de similibus medijs prouidit; sed in aliquo casu aliquibus hominibus fides diuina re ipsa est impossibilis; cum plerique mortalium eius ignorantiam inuincibilem habeant, nec valeant credere sine prædicante, vt ait Apostolus Roman. 10. quo caruerunt inhabitantes remotas Indiarum regiones per multa sæcula, ergo poterunt sine illa per alia media sibi possibilia iustificationem, & gloriam acquirere.

19 *Doctrina* nihilominus tradita, quod sit necessarius necessitate medij actus fidei infusę, ex auxilio gratiæ diuinæ, circa obiectũ supernaturale in quibusuis adultis sine vlla exceptione adeo certa est, vt absq. errore in fide negari nequeat, ita qualificat Suarez vbi supra, & docent cum D. 2. 2. q. 1. art. 3. ad 1. & q. 10. art. 1. ad 4. Sotus lib. 2. de natura, & gratia in posteriori editione retractans, quod in priori dixerat cap. 11. Cano de Sacramentis in genere p. 2. q. 2. concl. 1. Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 7. refutans Vegam, Peretius ad Rom. 1. disp. 17. & cap. 2. disp. 8. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. punct. 2. Sanchez relatus cap. 2. concl. 1. & omnes communiter. Ostenditur primo, quia loca scrip-
20 turæ alias adducta vniuersaliter de omnibus saltem de adultis, nullo excepto, intelliguntur, maximè illud ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: vbi loqui Apostolum de fide præcipuè actuali, inde patet, quod eius verba sint veluti conclusio illata per inductionem ex multis exemplis virorum insignium, qui actus fidei Diuinę exercuerunt. Illud etiam Marc. vlt,
21 ***Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur***, Super quę verba ponderat optimè S. Bernardus ep. 77. quod cum procedat locutio Christi Domini simul de fide, & baptismo, addat de sola fide, qui non crediderit, condemnabitur, quia Sacramentum Baptismi, sicut & pœnitentię, & similia non sunt necessaria ad salutem tantum in re; sed aut in re, aut in voto; fides vero semper est necessaria in re.

22 Prædicta differentia inter ista duo inde prouenit, quia media externa ad salutem animæ requisita, vt sunt sacramenta, per se, & ex natura sua non censentur necessaria ipsius animæ dispositio, quæ in interna perfectione, & reformatione consistit; sed censentur necessaria ex sola institutione diuina, ac proinde quoties in re accipi nequeunt, sufficit accipiantur in voto, seu desiderio. At verò media interna ad eandem salutem, qualis est præcipue fides diuina, cum in ipsis consistat interior iustificatio, vel saltem dispositio formalis ad eam, non possunt suppleri per votum, sed in re ipsa adhiberi debent. Atque hæc est ratio à priori tantæ necessitatis fidei supernaturalis.

23 Adducta autem pro assertione Victoriæ, & Vegæ ex testimonio Apostoli nequaquam vrgēt; nam non est sensus illorum verborum; ***Cum cognouissent Deum &c.*** quod potuerint homines gentilitatis per eam cognitionem ita conuerti ad Deũ, & iustitiam, & gloriam obtinerent; sed tantum aliquo modo colere verum Deũ, & non idola, atque colendo ista posuerint impedimentum gratiæ diuinæ, ideoque eos Deus deseruerit.

24 Circa illa item verba, quæ addit Paulus; *Gentes, quæ legem non habent &c.* est graue dubium, an sint intelligēda de gentibus adhuc infidelibus, aut de conuersis iam ad fidem? quod non est huius loci discutere, sed sufficit pro solutione difficultatis, si dicas, quod quamuis intelligantur de infidelibus, non sit sensus, obseruata fuisse ab eis omnia, quæ sunt legis naturalis; sed aliqua tantum (neque enim ipse Apostolus dixit omnia) quæ sufficiebant ad propositum loci illius, ostendendi scilicet qualiter lex naturalis sit scripta in cordibus nostris.

25 Denique quod subiungit idem Paulus, ***Factores legis iustificari***, intelligitur de illis, qui totā legem custodiunt spiritu fidei, si dicas hoc loco esse sermonem de iustitia apud Deum.

26 Ratio etiam proposita pro assertione illa, licet prima fronte valdè efficax appareat, facile tamen dissoluitur: concedimus enim duo principia, quæ ab auctoribus eius supponuntur, nempe quod possit dari in aliquibus infidelibus inuincibilis ignorantia fidei Diuinæ, & legis Euāgelicæ, vt infra ostendemus; & quod quibuscū-que hominibus adultis conferatur à Deo auxi-
27 lium sufficiens ad animæ salutem. Non tamen inde sequitur, quod infidelis ignorans fidem diuinam inculpabiliter possit per cognitionem naturalem solam acquirere iustificationem, & saluari; infertur vero, quod possit habere fidem; cum Deus sit paratus ad eum illuminandum, & ei auxiliandum, vt credat, si per ipsum non steterit, ponit autem obicem homo ad recipiēdam Dei illuminationem, & auxilium, quoties
28 ratione naturali malè vtitur. Sublato tamen hoc obice, si faceret, quod in se est per rationē, & cognitionem naturalem, & per alia auxilia, quæ Deus sua prouidentia ei tribuit, sine dubio conuerteretur, non ex merito ipsius, sed ex sola gratia, quam paratus est Deus quibuscumque conferre, ita Suarez vbi supra.

29 Hinc iam constat quid dicendum ad casum de puero perueniente ad vsum rationis, qui nullam Dei, aut fidei cognitionem acquisiuit, quamuis tunc faceret quod in se est, deliberando secundum rectam rationem quid deceat, ac non deceat; non per hoc solum iustificaretur, nec saluaretur, nisi accedente diuino gratiæ auxilio, & cognitione fidei supernaturali: neque oppositum docuit D. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. vt omnes eius discipuli interpretantur, alio-
30 quin esset sibi ipsi contrarius. In prædicto autem casu, vt depingitur, illi puero infallibiliter prouideret Deus de tali fidei cognitione supernaturali, vel exterius per aliquem hominem instructorem; vel interius per ministerium Angelorum, aut per se ipsum, iuxta illud Ioan. 1. ***Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem***

venientem in hunc mundum: vide copiosius hoc decisum apud eumdem Suarez.

31 Sed quid de puero, qui in infantia fuit baptizatus, si postquam peruenit ad vsum rationis, antequam per mortiferum peccatum actualem gratiam baptismalem amittat, breui moriatur, saluabitur ne cum sola fide habituali, absque actu eius elicito: affirmanter, & optime respondet Suarez, qui solus, quod legerim, de hoc tractat disp. citata sect. 2. vers. dico secundo; quia huic puero sufficit medium ad salutem æternam, quod pro infantibus baptizatis, paulò ante assignauimus, si in ea ætate, & initio vsu rationis ex hac vita discedat. Atque hæc limitatio adhibenda est doctrinæ vniuersaliter traditę de necessitate actus fidei infusæ in quibuscumq. adultis rationis vsu pręditis.

Quodnam sit præceptum eliciendi actus fidei diuinæ? & quatenus negatiuum qualiter obligat?

REGVLA LXXV.

32 Extat præceptum iuris diuini per se primo quoad substantiam supernaturale, aliquo etiam modo naturale, de actibus internis fidei infusæ eliciendis. Hoc autem partim est negatiuum, partim vero positiuum: ea parte, qua negatiuum secundum naturam similium pręceptorum, obligat semper, ac pro semper, quoscumque homines nihil facere contra ipsam fidem.

33 Traditur expresse hoc fidei pręceptum in Scriptura sacra, ac proinde est iuris diuini, 1. Ioan. 3. *Hoc est*, inquit, *mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius*: patet etiam ex communi axiomate ab omnibus recepto vt vero, quod quidquid proponitur in eadem Scriptura sub comminatione damnationis æternę, sit iniunctum sub rigoroso præcepto; exempla passim; *qui talia agunt Regnum Dei non possidebunt*, ad Galat. 5. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. non habebitis vitam in vobis*, Ioan. 6. & ad rem præsentem, *Qui vero non crediderit condemnabitur*, Marc vlt. *Iustus autem ex fide viuit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ*, Abacuc 2 Et quidem supposita pręcisa necessitate fidei, de qua Regula pręcedenti, sequitur ex natura rei, seu connaturaliter, vt sit eius actus iniunctus cuiuis adulto sub præcepto rigoroso.

34 Quod vero tale præceptum fidei sit supernaturale, constat tum ex se, tum quia est de actu interno supernaturali, & de fundamento supernaturalis iustificationis, cuius obligatio homini à solo Deo iniungi poterat: atque hinc etiam

35 prouenit, quod sit pręceptum iuris diuini. Esse autem aliquo modo naturale ostendit egregie Suarez disp. 13. de fide sect. 1. Nam consentaneum est rationi merè naturali, & saltem remote in ea fundatur. Vnde D. Augustinus sic lib de prędestinatione Sanctorum cap. 7. Pos[se], inquit, *habere fidem naturæ est hominum; ha[bere] autem gratiæ est fidelium*: Vlterius D. Thom[as] 2 2. q. 10. art. 1. *Habere*, inquit, *fidem non est [in] natura humana; in natura tamen humana est, vt mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicatori*.

36 Verum constabit clarius de naturalitate a[li]quali huius pręcepti, declarando ipsum ex ea parte, qua est negatiuum: secundum quam obli[]gat semper, ac pro semper quasuis personas a[d] abstinendum à quacumque actione, quæ [est]

37 contra ipsum fidem. Fieri autem contra ea[m] aliquid, & violari hoc præceptum fidei ne[]gatiuum potest dupliciter, nempe assentiend[o] & dissentiendo; priori modo fit, si per positiu[um] assensum homo aliquid affirmet de doctri[nis] falsis, erroneis, hæreticalibus, &c. aut de veri[ta]tibus Catholicis aliquid neget, vel saltem ci[rca] aliquam istarum dubitet: & sub hac acceptio[ne] nequaquam de præcepto fidei negatiuo, neq[ue] de violatione eius hìc tractamus; sed capitib[us] sequentibus tanquam in proprio loco agetur.

38 Posteriori vero modo fit, quando per positiuum etiam dissensum, aut credere homo nolit myste[]ria fidei sibi proposita, aut repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi,

39 sitque præceptum fidei negatiuum violet: At sicut repugnare interiori fidei inspirationi, &c. pro suo libero arbitrio naturale est homini; ita & non repugnare, &c. teste D. Thoma loco ci[]tato; ergo quoad hoc saltem præceptum fi[dei] est quoquomodo naturale, & obligat quosc[um]que semper, ac pro semper; addetur etiam q[ui]d circa hoc Regula sequenti.

Præceptum Fidei quatenus positiuum, quando, & qua ratione vnumquemque obligat ad eliciendum actus eius?

REGVLA LXXVI.

40 Prædictum fidei præceptum quaten[us] positiuum, directè, & per se, seu ratione ipsius virtutis fidei obligat ad eliciendum a[ctum] credendi, quemuis infidelem, vbi primum fides Christiana fuit ei sufficienter proposita, & eui[]denter credibilis: fidelem vero in infantia baptizatum obligat primo ad habendam fidem actualem eo tempore, quo circiter peruenit ad vsum rationis, accepta etiam sufficienti mysteriorum fidei notitia; item quando vrget magna aliqua tentatio contra ipsam fidem, maxim[e]

41 in articulo mortis. Per accidens autem, & indirecte obligat idem præceptum ad fidem actualem, quoties sub alio præcepto elicend[i] sunt actus alterius virtutis, & hoc absque [eius] actu fieri nequit.

42 Certum est apud omnes Doctores, quod ea parte, quæ præceptum fidei est positiuum, sicut quoduis aliud ex similibus positiuis non obliget semper, sed tantum temporibus deter-

determinatis; quibusnam quæso? Porrò infidelis, quicumque sit, siue per publicam prædicationem, siue per priuatam instructionem, quamprimùm fidei Christianæ notitiam sufficientem accipit, tenetur eam statim absq. vlla mora, aut dilatione amplecti, & actum fidei internum elicere. Ita Auctores communiter, præcipue recentiores, vt Azor. lib. 8. tom. 1. cap. 28. q. 8. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. punct. 5. Thom. Sanchez lib. 2 decal. cap 1. num. 3. & Castr. Pal. tract. 4. de fide disp. 1. punct. 12.

43 Qui quidem Palao optime cum Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 3. concl. 5. cum magna probabilitate contradicit Thomæ, Sanchez in eo *quod hic* asserit, obligationem scilicet statim credendi non esse intelligendam metaphysicè pro illo instanti, quo sufficiens instructio fidei proposita est infideli, sed moraliter, ita vt arbitrio prudentis non sit notabilis mora. Verum contra, quia quantumuis sit parua dilatio interim non solum fidem respuere, aut de ea dubitare, sed etiam assensum suspendere est dissonum rationi, & in hoc etiam videtur inclinare Suarez vbi supra sect. 5. cum ait, *Quod hoc debeatur auctoritati Dei reuelantis, vt statim credat, & quod moralis dilatio in tali occasione sit quædam virtualis dubitatio, & ad quandam duritiam cordis pertinere incipiat*: verba sunt ipsius Suarez. Adiunctis illis, quæ
45 sect. 1. ad idē ferè propositum dixerat, *Quod tunc ratio naturalis dictet esse amplectendam fidem, vbi secundum iudicium prudentis constat eam esse maximè credibilem*, & hoc esse valde conforme dictamini rationis naturalis (*quibus ipse* Suarez ibi concludit; *Licet præceptum fidei sit simpliciter supernaturale; aliquo tamen modo ei competere esse naturale*) ergo *nulla* moralis dilatio est concedenda illi infideli sufficienter instructo; sed in instanti quouis incipit adstringi præcepto recipiendi fidem
46 seu eliciendi assensum eius. Nihilominus adhuc probabilis est sententia Sanchez.

47 Diuersæ sunt autem Doctorum sententiæ circa obligationem dicti præcepti in homine fideli. Alij enim admittentes obligatum esse Christianum ad exercendum aliquem actum fidei in vita, nullum tempus particulare ei as-
48 signant, sed arbitrio ipsius relinquunt. Alij vero vt Sotus in 3 dist. 27. q. vnica, volunt eum ad id teneri omnibus diebus festiuis indistinctè.
49 Alij denique vt Niderius in suo præceptorio, vt refert Aragon. 2. 2. q. 2 art. 6. solis diebus festiuis, in quibus celebratur aliquod mysterium
50 Religionis Catholicæ. Sed omnes isti Auctores, aut sine fundamento loquuntur, aut videntur intelligendi de obligatione præcepti, non directe, & per se, ratione ipsius fidei; sed indirectè, & per accidens ratione alterius virtutis, de quo dicemus postea.

51 Communis itaque omnium ferè sententia est, quam sequuntur præcipue Azor, Valentia, Sanchez, & Suarez paulò ante citati, quemuis fidelem obligari ad eliciendum actum fidei eo tempore moraliter loquendo, quo peruenit ad ætatem adultam, habita prius notitia ipsius fidei, vt se suaque omnia ita possit in Deum dirigere. Inde ostenditur, quia non potest cōmodius tempus assignari, & opportunius ad exequendam obligationem dicti præcepti pro instituenda Christiana vita, quam illud.

52 Et confirmatur à fortiori, quia si iuxta doctrinam probabilem D. Thomæ 1. 2. q. 89. ar. 6. puer non baptizatus perueniens ad vsum rationis tenetur, statim se conuertere in Deum finem naturalem, & ex pura lege naturali, in quam sententiam inclinat idem Suarez citatus, dicens: *esse valdsconformem rationi*, & declarans particu am, statim, quod non sit metaphysicè restringenda ad primum instans, sed ad moralem durationem breuem; (loquitur in hoc casu, admodum diuerso modo, atque in illo de infideli sufficienter instructo in fide, vt vidimus) quanto magis, seruata proportione idem dicendo de puero Christiano, in ordine ad finem supernaturalem, quem sola fides Catholica sufficienter proponit.

53 Præterea in decursu vitæ non tenetur homo fidelis exercere actus fidei ex vi præcepti ipsius nisi quando occurrit aliqua grauis tentatio contra eandem fidem, præcipuè in articulo mortis, eo quod tunc sit maius periculum, & ne succumbat ei, debet fortiter resistere, iuxta illud 1. Petri 5. *Cui resistite fortes in fide*. Ita auctores adducti Azor, Valentia, Sanchez, Sua-
54 rez, & Castrus Palao. Qui adhuc hoc bene limitat, quod aliquando conuenientius sit ad vincendam talem tentationem, ne fortè vehementius ea homo vrgeatur, non curare de eliciendo actu fidei; sed alio imaginationem diuertere: quod pro scrupulosis præcipue a nobis sit dictum.

55 Est autem difficultas non leuis, quænam instructio, seu notitia fidei Diuinæ censeatur sufficiens, vt in casibus prædictis, tam fidelis, in infantia baptizatus, quam infidelis quislibet debeat actus fidei elicere? De hoc copiosè Castrus Palao citatus; quo cum pro resolutione difficultatis per partes, præmittendum, primo ex mente etiam aliorum Doctorum, quod tibi infideli nulla sit obligatio præbendi auditum cuiuis Christiano prædicatori de fide, volenti te instruere, & à tua secta diuertere; quia non obligaris credere ex solo eius dicto ipsum esse veræ Religionis prædicatorem; alioquin & Iudæum, & Hæreticum de sua falsa Religione prædicare volentem tenereris audire.

56 Nec refert aliquando (vt hoc obiter sit dictū) fuisse à Principe Christiano illatum bellum barbatis fidei prædicatorem expellentibus: quia tale bellum iniustum fuit si ex solo hoc capite indictum eis, quod noluerint prædicatorem
57 Euangelij audire. Quamquam licitum est Principi Christiano bellum inferre barbaris, ne Prædicatorem molestia afficiant, aut ne alios audire volentes impediant, quod ad hæc nullum ius habeant, ita cum Bañes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 30. concl. 1. idem Castrus Palao.

58 Præmittendum secundò quod tibi infideli Turcæ, Iudæo, Hæretico, vel simili sit obligatio sub culpa mortali indagandi veritatem, si non conuinceris, sed manes dubius circa fidei,

nostræ, iam tibi propositæ, aut tuæ sectę veri-
tatem, vel falsitatem: satisfaciesque huic obli-
gationi, si pium, & doctum virum queras à quo
59 magis instruaris. Eo tamen non reperto, te-
neris Deo preces fundere, & à peccatis, ne
obicem ponant illuminationi diuinæ, abstine-
re: sic Castrus Palao vbi supra cum Suarez
disp. 17. de fide sect. 1.
60 Notat hic bene noster Coninch disp. 14. de
fide dub. 20. num. 213. & dub. 11. num. 230.
prædictum casum, nempe manendi dubium
infidelem circa veritatem, vel falsitatem pro-
priæ sectæ, posse sępius euenire, eo quod nullus
ferè sit ex Mahometanis, Iudęis, & Hęreticis
prudentioribus, qui iã hodie non laboret igno-
rantia vincibili, & cui sufficiens ratio dubitan-
di de sua Religione non occurrerit.
61 Tertio præmittendum, quod etiam iam
audito prædicatore legis Euangelicæ, tibi in-
fideli cuicumq. non sit obligatio illi assentiendi
quousque ostendat ex rationibus, ex signis, ex
honestate vitæ, & ex alijs testimonijs esse eui-
denter credibilem fidem, quam pręticat.
Tradunt pręter Azor, Valentiam, Thomam
Sanchez, Bañes, Castrum Palao iam adductos,
Toletus in Summa lib. 4 cap 2 num 2 concl.
1. 2. q. 75. art. 3. dub. 3. Ioann. Sanchez in sele-
62 ctis disp. 19. & alij multi. Ratio efficax est,
quia imprudenter, & temerariè procedes, ex-
ponesque te manifesto periculo errandi, atque
assentiendi falso, & hęretico prędicatori, loco
veri, si Religionem susceptam deseras, prius-
quam prędicator euidenter probet esse dignã
63 creditu fidem, quam prædicat. Atque hinc
D. Thomas 2. 2. par. 1. art. 4. ad 1. requirit an-
te fidem videre ea, quæ credenda sunt, non in
se, sed in eorum ostensa euidenter credibilita-
te. Quam sic ostendere respectu quorumcum-
que facilè erit prædicatori Euangelico, si pro-
cedat per ea capita, quæ Regula 70. tradidi-
mus.
64 Quamquam vt benè notat Caietanus 2. 2.
q. 1. art. 4. & cum eo Thomas, Sanchez lib. 2.
in decalog. cap. 1. num. 6. non omnibus ęqua-
lis fidei instructio sufficit, vt euidenter credi-
bilis reddatur, eo quod eædem rationes faci-
lius ad conuincendum vnum, quam alterum
conducant, & quod alij sint ingeniosiores ad
percipiendam euidentiam credibilitatis in fide
Catholica; his sic pręmissis.
65 Reducitur iam tota difficultas ad hoc tan-
tum punctum, aliquantulum controuersum,
an si tibi infideli proponantur res fidei Chri-
stianę, non vt euidenter credibiles, sed vt ma-
gis credibilrs, quam res tuę sectæ, tenearis hãc
relinquere, & illam credere? Absolutè affir-
mant Bañes dicto dub. 3. concl. 3. & Ledesma
2. tom. sum. tract. 1. cap. 5. concl. 5. & 6. Ob
eam præcipue rationem, quod in medio ne-
cessario ad salutem, pro euitando periculo er-
66 randi debeas viam securiorem amplecti. Sen-
tentia istorum Doctorum sub distinctione pro
articulo tantum mortis admittit Thomas, San-
chez citatus; secus extra illum; inde ducitur
ad sic distinguendum, quod in articulo mortis
tenearis meliori, & securiori via prouidere

tuæ saluti; cum tunc agatur de damno irrepa-
rabili damnationis æternæ; extra illum ve-
non videtur esse tanta tibi obligatio, quod ad-
huc supersit tempus rem melius examinand
& interim sequendo opinionem probabilem
prudenter existimes posse te in tua secta p
67 manere. Hęc doctrina sub distinctione
tradita à Thoma, Sanchez valdè probabilis a
paret, & vt tutior in praxi tenenda.
68 Verum etiam admodum probabiliter co
tradicunt ei duo magis recentiores Castrus P
lao, & Ioannes Sanchez adducti, voluntque
esse parem rationem, quoad hoc de articu
mortis, atque de tempore extra illum, suppo
nentes, vt certum cuilibet esse licitum seq
opinionem probabilem, relicta probabilior
etiam in opinione probabili facti, quando i
in facto probabili fundatur, v. g. probabilit
iudico pallium, quod possideo esse meum,
probabilius esse tuum; non tamen teneor il
tibi restituere; sed possum securè retinere
go similiter in præsenti non tenetur infidel
sequi Religionem probabilius veram, relic
propria vera probabiliter; cum in illa, quæ v
detur probabilior, & securior possit error con
69 tingere. Item quia obligatione colendi De
vera fide æqualiter astringimur, tam in vita
quam in morte; ergo si non peccat infideli
retinendo in decursu vitæ suam sectam, à se
vt veram probabiliter habitam, licet Relig
Christiana, vt probabilius vera fuerit ipsi p
posita, neq. peccabit retinendo eam in ar
lo mortis: cum in vtroque tempore se
maneat in eo hoc prudens iudicium, quo
iudicat se non teneri vnquam repellere
priam sectam, nisi de veritate fidei nostræ
denter conuincatur, vt cum tot Autor
70 paulo ante traditum. Confirmatur quia
ignorantia alicui fideli doctrina hæretica
magis probabiliter credibilis casu propona
quis asserit teneri fidem Christianam relinque
re, & eam amplecti? ergo quomodo, neque
infidelis &c. Atque hæc resolutio non
mihi placet, vide plura apud Castrum Pa
71 Iam de instructione nostræ Religionis
ciente ad obligationem iniungendam ho
ni fideli in infantia baptizato eliciendi actum
fidei diuinæ quid dicendum? si hic fuit ed
catus inter Catholicos, certum est ipsum
neri credere fidem nostram, quacumque co
gnitione mysteriorum eius accepta, quia non
habet iustam rationem dubitandi de veritate
72 talium mysteriorum. Si vero inter hæretico
aut paganos fuit nutritus; eodem modo lo
quendum est de eo, atque de fideli numer
pręcedentibus fuit dictum, quod non tene
tur credere fidem Catholicam, quousq vt eu
denter credibilis ei proponatur. Ita Castr
Palao vbi supra cum Simanchas Cathol. insti
tit. 31. num. 7. & cum alijs.
73 Addit autem optime ipse Castrus Palao c
Suarez, & Sanchez citatis ex communi senten
tia, contra adductos Bañes, & Ledesmam
talem infantem baptizatum, & inter infideles
aut hæreticos nutritum, vbi primũ ad vsum ra
tionis peruenit, quamuis adoret idola, creda
Maho-

Mahometum, aut errores hæreticorum amplectatur, etiam ex ignorantia, aut inaduertentia culpabili, non amittere fidem habituatem receptam in Baptismo, nec fieri apostatã, aut hæreticum formalem. Ratio est quia ad amittendam fidem, & contrahendam formalem hæresim, vel apostasiam, non sufficit ignorantia, aut inaduertentia quæuis culpabilis; sed requiritur pertinacia, vt infra suo loco dicemus. Atque hactenus de necessitate fidei in cõmuni, & de primo præcepto eliciendi actus eius: iam de necessitate, & de secundo præcepto addiscendi, & credendi res fidei, seu obiecta eius partialia.

Fides, & notitia de Deo remuneratore, de Christo mediatore, ac de Sanctissima Trinitate, quando, & qualiter ad salutem necessaria?

REGVLA LXXVII.

QVouis tempore *fuit* necessaria necessitate medij, simul & præcepti ad vtramque salutem gratiæ, & gloriæ acquirendam, cognitio, & fides diuina explicita de Deo remuneratore, & auctore donorum supernaturalium, atque de mediatore venturo in communi: implicita vero de Christo Deo, & homine, & consequenter de mysterio Trinitatis, & Incarnationis, vsque ad aduentũ ipsius Christi, & publi*cati*onem Euangelij. Hoc autem
76 iam *sufficienter* publicato, requiri necessario *necessitate* medij eiusdem Trinitatis, & Christi Domini notitiam, ac fidem explicitam proba*bile est*; sed probabilius solum requiri necessi*tate* præcepti;

---

77 TOta hęc distinguenda, & ostendenda per partes, vt si quid dubij circa aliquam occurrerit, expendatur. Prima deducitur clarè ex illo ad Hebræos 11. *Credere*, inquit Apostolus, *oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; vbi fides, & notitia de Deo necessaria omnino ad animæ salutem innotescit; quæ non potest esse naturalis, nempe circa Deum, vt auctorem naturæ, & vt sic remuneratorem; cum hæc non sufficiat ad iustificationem, & gloriam obtinendam contra Victoriam, & Vegam ex communi Doctorum paulo ante tradidimus; ergo erit supernaturalis. Ratio etiam pro hoc efficax est, quia fides infusa nititur, vt in obiecto formali, in auctoritate, & testificatione Dei, implicat autem credere aliquid ex Dei auctoritate sine cognitione, & fide ipsius infusa; ergo hæc ad vtramque animæ salutem erit necessaria necessitate medij: Ita communiter omnes, præcipue Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 8. Suarez disp. 12. de fide sect. 2. Thomas Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 2. num. 5. & Castrus Palao vbi supra pun. 9.

Circa cognitionem autem, & fidem de Christo mediatore, toto illo tempore ante Incarnationem, an fuerit sufficiens implicita ad salutem animæ, vel requireretur etiam explicita, vt necessaria necessitate medij, controuersũ est aliquantulũ inter Doctores, ex quibus aliqui in explicitam inclinant, præcipuè Corduba in quæst lib. 2. q. 2. & videtur manifesta sententia D. Augustini varijs in locis, præsertim epist. 109. & lib. 18. de Ciuitate c. 40. vbi ait ante *Christi aduentum nemini concessum, esse iustũ, nisi cui diuinitus reuelatus est vnus mediator*
80 *Dei, & hominum*. Fauent varia scripturæ loca, vt ad Rom. 3. 1. Corint. 10. & ad Galat. 2: vbi fides in Christum omnibus, vt necessaria ad salutem, valdè commendatur, quæ cur de implicita cognitione, & fide; ac non de explicita intelligi debent? Et quidem quis neget de fide Christi explicita illud Abacuc 2. esse intelligendum? *Apparebit*, inquit, *in finem, & non mentietur, si moram fecerit, expecta eum*: & infra, *Qui incredulus est*, inquit, *non est recta anima eius, iustus autem ex fide viuit*, idest, *ex fide* de Christo mediatore venturo.
81 Cui iam tunc à quibuscumque iustis cultus exhibetur; coli autem non potuisset, nisi explicitè in se fuisset cognitus; ergo cognitio, & fides explicita de illo erat eo tempore necessaria necessitate medij, seu finis ad animæ salutem.

82 Plures vero è contra cum D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 7. absolutè defendunt tunc implicitã cognitionem, & fidem de Christo Domino mediatore venturo fuisse sufficientem ad gratiam, & gloriam: ita Alensis par. 3. quæst. 69. membr. 3 art. 2. Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 6. Sotus 2. lib. de natura, & gratia cap. 11. Canus relect. de sacramentis part. 2. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. punc. 4. Sanchez lib. 2. in Dec. cap. 2. num. 7. Suarez disp. 12. sect. 3. vbi ait hanc sententiam sine dubio esse veram. Probatur primo ex Scriptura sacra vbi cognitio, & fides Christi venturi valdè obscura sub vmbris & figuris fuisse dicitur 1. Corint. 10. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus*; similiter 2. Corinth. 3. & ad Galatas 3. ex Concilio item Tridentino sess. 6. cap. 6. vbi habetur aliquibus viris Sanctis fuisse specialiter reuelatum mysterium Incarnationis; vnde clarè deducitur, quod fides eius satis implicita fuerit respectu cæte-
83 rorum de populo Hebræo. Ratione etiam ostenditur; quia Christus ante eius aduentum, non fuit prædicatus vniuerso Orbi, præsertim Gentili; at medium omnibus necessarium ad salutem publicè omnibus prædicari, & promulgari debet; ergo signum est illius fidem explicitam non fuisse tunc medium omnibus, & singulis necessarium ad salutem.

84 Cæterum cum citato Suarez præmittenda distinctio diuersorum graduum cognitionis, ac fidei explicitæ de Deo, & de Christo mediatore venturo, pro illo tempore antiquo ante Euangelium. Primus est, si distinctè omnino cognoscatur Christus, vt verus Deo, & homo, qui per passionem, mortem, & resurrectionem sit consummaturus redemptionem hominum; & hanc cognitionem adeò distinctam, & explicitam

plicitam, sanè nec auctores credo primæ sententię fuisse tunc medium necessarium ad salu-
85 tem affirmabunt. Secundus gradus est, si cognoscatur distinctè Christus cum Diuinitate, & humanitate, vt redemptor, non cognito expresse modo redemptionis: atque de hac cognitione, & fide ita explicita sine dubio est cõtrouersia inter Doctores vtriusque sententiæ affirmantes primæ fuisse necessariam, & secun-
86 dæ absolutè negantes eius necessitatem. Tertius gradus est, si cognoscatur, & credatur non solum Deus, & Saluator, sed etiam aliquis Redemptor in communi, ac mediator inter Deũ, & homines ad hos redimendos, non cognito an ille mediator futurus esset Deus, nec cognito qualiter eos redẽpturus: quibus sic præmissis.

86 Placet sententia media ex duobus extremis participans, seu eas in concordiam reducens, quæ est non paucorum Theologorum, vt Lorcę plures pro ea referentis 2. 2. disp. 11. numer. 4. Coninch. disp. 14. dub. 9. & Castri Palao, citantis pro eadem Magistr. sentent. in 3. dist. 25. Qui affirmant cognitionem, & fidem explicitam de mediatore futuro inter Deum, & homines, vt dictum est in gradu 3. & solam implicitam de Christo Domino, prout in primo, & secundo gradu dicitur, toto illo tempore ante Incarnationem fuisse medium ad salutẽ
88 animæ necessarium. Faciunt pro hac notitia, & fide expressa de mediatore venturo, omnia adducta ad probandam primam sententiam, præsertim testimonium D. Augustini, quidquid Vgo de sancto Victore lib. 1. de Sacramentis cap. 6. par. 10. illum interpretetur, quod sit locutus de fide requisita semper in corpore Ecclesiæ; est enim, vt pace tanti viri dicam, libera interpretatio sine fundamento, cum ex verbis Sancti Augustini clare constet ipsum fuisse locutum de fide, & cognitione necessaria in singulis de populo, & intelligitur de notitia & fide explicita mediatoris, quam particulares populi Hebræi, etiam mulieres communiter habebant, vt patet in Samaritana, quæ dixit, *Scio quia Messias venit &c.* Ioan. 4

89 Quod si tali notitia, & fide de mediatore venturo innumeri Gentiles multis sæculis caruerint, id non imputandum diuinæ prouidentiæ defectui; sed eorum peccatis contra legem naturalem, quam si seruassent, haud dubium Deus ipsis notitiam mediatoris tribuisset, sic soluit benè Castrus Palao rationem illam in contrarium de prædicatione, & promulgatione medij omnibus ad salutem necessarij.

90 Iam cognitionem, & fidem implicitam de Christo Deo, & homine redempturo genus humanum sua passione, morte, resurrectione &c. fuisse necessariam, & sufficientem ad salutem tempore legis naturæ, & scriptæ ostendunt proposita pro secũda sententia, presertim ex Scriptura sacra, & ex Tridentino, ac pro indicanda eius necessitate conducit illud Actorum 4. **Nec enim**, inquit, *aliud nomen est sub cælo* ***datum hominibus***, *in quo oporteat nos saluos* ***fieri***. Atque hinc sumitur ratio pro eodem; quia quouis tempore omnes debuerunt aliquo modo saltem implicitè cognoscere, & credere id, per quod ab eis salus animæ obtinenda era[t]
91 nempè opus Incarnationis. Huius autem cognitio, & fides etiam implicita haberi non poterat, nisi cognito, & audito pari ratione [sal]tèm implicitè mysterio Trinitatis, quod ca[r]nem sumpturus esset Filius ęterni Patris, & co[n]cipiendus de Spiritu sancto; ergo tunc aliqua cognitio, & fides implicita mysterij Trinita[tis] ad salutem necessaria, & sufficiens erat: it[a] cum alijs concludit Castrus Palao vbi supra.

92 Notat autem optimè idem Castrus, qu[od] hæc notitia, & fides implicita, tam de Chri[sto] Deo, & homine incarnando, & redemptu[ro] genus humanum; quam de mysterio Trinita[tis] contineretur tunc in illa alia explicita de mediatore venturo inter Deũ, & homines (e[st] enim de natura cognitionis implicitæ, vt i[n] aliqua explicita contineatur, sicuti tradit[um] à nobis initio huius capitis octaui) & non in explicita, qua eo tempore cognoscebãt, & c[re]debant homines Deum esse, & esse remu[ne]ratorem bonorum supernaturalium; quia h[æc] erat valdè remota, & communis, nullam h[a]bens ex natura rei, maiorem connexionem c[um] hoc medio Incarnationis Christi *pro redemp*tione hominum, quam cum *alio, ex varijs, qu[æ]* Deus infinita sua sapientia applicare potuisset ita ille ex mente aliorum.

93 Sed quid post Euangelij sufficientem pro mulgationem? conueniunt Doctores in hoc quod sit necesaria ad salutem cognitio, & fides explicita respectu quorumcunq. de Christo incarnato vero Deo, & homine, & de my-
94 sterio Sanctissimæ Trinitatis. Dissident vero circa qualitatem huius necessitatis, & in diuisi in tres sententias. Nam Canus relectione de Sacramentis in genere par. 2. conc. Bañes 2. 2. q. 2. art. 8. dub. vltim. & de Ca[stro] lib. 2. de lege pœnali cap. 14. affirmant dictam notitiam, & fidem explicitam necesariam e[sse] necessitate medij, seu finis ad vltimam sa[lu]tem gloriæ, non vero ad primam gratiæ [iusti]ficantis; ducuntur ad sic affirmandum [exem]plo Cornelij Centurionis, qui, vt patet Act[orum] ante notitiam explicitam Christi, erat iam [iu]stificatus; ergo ea postea accepta à D. Pet[ro]
95 solum fuit ei necesaria ad gloriam. Sed h[æc] sententia nullam videtur habere probabilita[]tem, quia non firmo nititur fundamento, cum potuerit instrui Cornelius notitia Christi, quo[d] hæc eset ei necesaria necessitate præce[]pti, vel etiam medij non solum ad gloriam sed ad perseuerandum etiam in gratia. Item cum gratia sit ius ad gloriam, habeantque connexionem inter se, vel ad neutram erit [si]necesaria notitia, & fides explicita Christi vel melius ad vtramque.

96 Secunda sententia est Molinæ 1. p. quæst. [] disp. 2. Carthus. in 3. q. 1. Valentiæ 2. 2. disp. [] q. 2. punct. 4. Sanchez lib 2. in Decal. cap. [] num. 8. & aliorum aserentium post sufficientem Euangelij promulgationem, ad vtramque salutem iustitiæ, & gloriæ æternæ ese, æque necesariam necessitate medij notitiam, & fidem explicitam Christi Domini, & consequenter Trinitatis mysterij: citantur pro hac sententia

sententia D. Thomas, & Magister sentent: sed vt optimè expendit Coninch. 2. 2. disp. 14. dict. 9. de necessitate præcepti, & non de necessitate medij loquuntur. Probatur primo ex illo Ioan. 7. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: vbi, vita æterna, intelligitur de inchoata hìc per gratiam, & postea cõsummata per gloriam; & æquiparatur cognitio Christi cum cognitione veri Dei, atqui hæc, vt paulò ante vidimus, semper fuit, & est necessaria necessitate medij ad vtramq. salutẽ, ergo illa similiter erit. Atque pari modo expressa cognitio sanctissimæ Trinitatis est necessaria, cum nequeat stare notitia explicita, nisi cognoscatur explicitè, quod sit Filius æterni Patris, & conceptus de Spiritu sancto. Ratione item probatur, quia tota lex Euangelica in Christo Domino fundata est, & ordinata ad hoc, vt ei quisuis Christianus vniatur, & ab hoc ipse iuuiter glorificetur; sed hæc vnio, & glorificatio fieri non potest, nisi ab habente eiusdem expressam notitiam, vt per se patet; ergo ista est necessaria ad salutem necessitate medij, atque hæc sententia valdè probabilis est.

Verum multo probabilior, ac magis fauorabilis est tertia sententia, quam satis indicat D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. & expresse tenent plures Doctores, Ricardus in 3. dist. 25. art. 4. q. 1. Sotus in 4. dist. 5. q. 1. art. 2. Cordub. lib. 2. q. 4. propos. 3. Medina lib. 4. de recta in Deum fide cap. 10. Vega lib. 6. in Triden. c. 20. Henriquez lib. 4. de Sacram. cap. 21. §. 2. Suar. disp. 12. *de fide* sect. 4. Coninch. disp. 14. dub. 9. Torres *disp.* 27. dub. 7. & alij, ab ipsis citati. Qui *asserunt* etiam facta promulgatione Euãgelij, *notitiam* Christi incarnati, & Trinitatis *explicitam* non esse necessariam necessitate medij; sed tantum præcepti, ita vt concurrente ignorantia inuincibili, saluari quis possit absque eo quod explicitè cognoscat Christi diuinitatem, Incarnationem, passionem &c. si solum expresse sciat, & credat fide Diuina Deũ esse remuneratorem bonorum supernaturaliũ, & esse aliquem mediatorem inter Deum, & homines, vt dictum supra. Ratio est (qua etiam simul soluitur adducta in contrarium) quia ante aduentum Christi Domini, notitia sola, & fides de eo implicita, cum explicita de aliquo mediatore, & de Deo remuneratore erat sufficiens ad vtramque salutem, & vt per eam iusti eidem Christo vnirentur, vt eius mẽbra, & per ipsos glorificaretur; ergo & post aduentum, & publicationem Euangelij, erit etiã sufficiens ad eosdem effectus: cum non appareat ratio, cur sit adiungenda maioris, seu expressioris notitiæ, & fidei de Christo necessitas quæ præcludat viam salutis tot hominibus incipijs, & ignaris. Adde omnia, quæ de necessitate cognitionis, & fidei de Christo Dño apud Scripturam, Concilia; & Patres leguntur, vel communia esse iustis legis scriptæ, & gratiæ, vel intelligi rectè posse, aut de notitia, & fide implicita Christi Dei, & hominis, & de explicita mediatoris in communi, vt dictum, aut de notitia, & fide Christi explicita, necessaria solum necessitate præcepti; sed de hoc iam Regula sequenti.

Notitia, & fides explicita de contentis in Symbolo Apostolorum requisita ne ad salutem? & quomodo?

REGVLA LXXVIII.

103 VTi probabilius tenendum, cuilibet fideli necessarium esse necessitate solũ præcepti ad vtramq. salutem addiscere, & credere explicitè omnia contenta in Symbolo Apostolorũ, solummodo quoad eorum substantiã leuiter, & non quoad formalitates, ac rationes intrinsecas vniuscuiusque mysterij, neque quo ad circumstantias accidentales.

---

104 REijciendus primo loco error ille, qui nimis irrepsit inter aliquos præcipue ex iurisperitis, Ab. c. firmit. de sum. Trin. n. 6. Imol. n. 11. & Anan. c. firmissimè n. 8. de hæreticis, nẽpe quod rusticis, & ordinarijs de plebe personis sufficiat scire, & credere articulos fidei quosuis implicitè, credendo tantum in cõmuni quidquid credit, & tenet Ecclesia, & quod nõ peccẽt, si mysteria fidei in particulari ignorẽt. & ob ignorantiam circa illa errent; dummodo credant explicitè Deum esse, & remunerato-
105 rem bonorum, ac malorum punitorem. Refutant benè hunc errorem Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. punc. 4. & Petrus Ledesma 2. tom. summ. tract. 1. cap. 2. atque Eymericus 2. par. Direct. q. 10. heresi 8. Inter hæreses de mandato Papæ ab Inquisitoribus Aragoniæ damnatas hanc refert: qua sic reiecta.

109 Iam præter duo mysteria Incarnationis, & Trinitatis, quorum explicita notitia ex mente omnium Catholicorum necessaria est ad salutem, non reliquos articulos fidei, qui continẽtur in Symbolo Apostolorum; sed illos tantũ ex ipsis qui solemni ritu celebrantur ab Ecclesia esse explicitè addiscẽdos, & credẽdos à quouis fideli ex necessitate præcepti, docent aliqui auctores non infimæ notæ, vt S. Bonau. in 3. dist. 25. q. 3. Scot. ibi q. 1. Alb. Magn. art. 6 §. sed proposito, Sylu. verb. fides q. 3. & alij qui inde ducuntur, quia hæc videtur esse mens Ecclesiæ, quod velit eos solemniter proponere, & celebrare, vt cuncti fideles sic facile ipsos intelligãt atque explicitè credant: quæ quidem sententia sine dubio probabilis est.

107 Cæterum probabilius iudico cum de Castr. lib. 1. de iusta hæreticorũ punitione c. 9. Sayro in claui Regia lib. 2. c. 9. n. 15. Vasquez 1. 2. disp. 121. c. 2. nu. 2. Valentia 2. 2. disp. 1. q. 2. punct. 3. Coninch. disp. 14. dub. 10. Suarez. disp. 13. de fide sec. 4. Castro Palao vbi sup. punct. 10. & cũ alijs teneri quemuis fidelem ex necessitate præcepti scire, & credere (eodem enim præcepto, quo obligamur credere, etiam astringimur scire) omnes fidei articulos in Symbolo A po-
108 stolico contentos. Hoc clare deduci videtur

ex cap. Ante viginti dies 54. cap. Baptizandos 57. cap non liceat, 58. de consecratione dist.4. ibi enim expresse iniungitur, ne adulti baptizentur, quin prius didicerint mysteria in Symbolo contenta . item ex cap. Deus qui, de pœnitentijs, & remiss. † Probatur etiam ratione quia Symbolum compositum fuit ab Apostolis, priusquam ad prędicandum Euangelium, & tradendam omnibus doctrinam fidei, per Orbem diuiderentur, ea intentione, vt quibuscumque daretur aliqua breuissima summa credendorum, ergo quisuis ea scire, & credere explicitè tenetur. Et quidem nulla apparet ratio vrgens, cur magis de vno, quam de altero ex contentis in Symbolo sit notitia,

109 & fides habenda. Nec coniectura illa, quod Ecclesia ritu solemni celebret aliqua, & non omnia, quidquam facit; nam etiam celebrat alia non contenta in Symbolo vt mysteria Circũcisionis, Pręsentationis, Trãsfigurationis &c. & tamen omnes Doctores vno, vel altero excepto, cõmuniter negant esse obligationem cuiuis fideli addiscendi, & credendi ista; ergo &c.

110 Dixi in Regula, tantum quoad eorum substantiã, nempe quantum ex solis verbis Symboli percipi potest, & prout continentur communiter in Catechismo puerorum: clarior vero scientia nequaquam cuilibet fidelium præcipitur, alioquin Apostoli per Symbolum à se compositum, vti circumfertur, notitiam fidei nostræ diminutè tradidissent. Ita Vasquez citatus, & Sanchez lib. 2. cap. 3. num. 17. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 6. q. 5. & alij.

111 Vnde cum his auctoribus discurrendo breuissimè per singulos fidei articulos contentos in Symbolo, circa mysterium Trinitatis tantum debes explicite scire, & credere esse tres personas inter se distinctas, & quamlibet earũ esse Deum; nec proinde esse plures Deos, sed vnum tantum: Quomodo autem inter se distinguantur, & qua ratione procedat vna persona ab alia, & similia de relationibus diuinis, non ad vnumquemque, sed ad solos Theologos spectat scire.

112 Dein explicitè scire, & credere teneris Deũ esse creatorem Cæli, & Terrę, seu ab eo hæc omnia fuisse producta: quando vero, & qua ratione ea produxerit, an ab æterno, vel in tempore, an ex nihilo, vel ex præsupposito subiecto nonvidetur iniuncta omnibus obligatio sciendi, vt contra Bañes 2. 2. q. 2. art. 8. docent benè Suarez disp. 13. de fide sect. 4. & Castrus

113 Palao disp. 1. punct. 10. Item scire debes, & credere hunc Deum esse Saluatorem, seu quod idem est, posse tibi peccata remittere, atque esse glorificatorem in æterna beatitudine animarum, & corporum, sicque credis sufficienter carnis resurrectionem, & vitam æternam. Hęc enim mysteria in Symbolo contenta ad Deum quatenus talis est, pertinent.

114 Explicitè etiam scire, & credere debes mysteria spectantia ad Christi Domini humanitatem, & Diuinitatem, quę in Symbolo, & in articulis fidei continentur: primo Christum Filium Dei esse verum Deum, & hominem, conceptum de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, vt sic excellentiam Christi, & eius Matris cogno-

115 scas. Quamuis autem, vt ait Suarez citat. probabile sit, quod non tenearis explicitè sc[ire] Mariam sanctissimam mansisse semper V[ir]ginem, oppositum tamen cum eod. Suar. c[um] Castro Palao vbi supra, cum Coninch. disp. [...] dub. 10. & cum alijs, vt multo probabilius [te]neo, tum quod Apostoli dicentes manifestè [na]tum fuisse Christum de Maria Virgine, satis [ex]plicitè id indicarint; tum quod sic con[ve]nientissimum appareat ad dignam æstimati[o]nem faciendam de sanctissima Dei Matre, ad effugiendos errores, qui circa hoc emer[se]runt.

116 Sequuntur scienda, & credenda explici[tè] mysteria Passionis, Mortis, Descensus ad in[fe]ros, Resurrectionis, Ascensionis in Cælum, [ses]sionis ad dexteram Patris, & Aduentus ad [iu]diciũ: omnia enim hæc in Symbolo Apo[stoli]co exprimuntur, & ab Ecclesia publicè c[ele]brantur. Ita Sanchez lib. 2. in Decal. ca[p.]

117 num. 6. & Palao ibidem. De articulo tam[en] descensionis ad inferos iudicat Suarez tom. in 3. par. disp. 23. sect. 2. non esse obligation[em] fidelibus ipsum explicitè sciendi, & credendi, quod non videatur res admodum necessari[a] ipsis; & in Symbolo Nicæno fuerit omissu[s]. Atque hoc iudicium Suarez non caret prob[a]bilitate, saltem quod sit obligatio cognition[is]

118 illius sub graui culpa. Sicut nec cognitio circumstantiarum passionis Christi, vt qu[od] passus sub Pontio Pilato; sufficit, si scias [...]das passum fuisse, vt ait idem Castr. Pala[o].

119 Tandem circa articulum sessionis ad de[xte]ram Patris eius difficultatem, posset ali[quis] dubitare an sit obligatio explicitè scien[di ip]sum, & in partem negantem videtur incli[nare] Azor tom. 1. lib. 8 cap. 6. quæst. 5. sed vt pr[oba]biliorem bene defendit affirmantem ipse [Ca]strus Palao, nempè quod debeas scire ali[qua]liter Christum in Cælo habere excellenti[ssimum] locum, vt homo est; & ęqualem Patri, vt D[eus] est; quia sic expedit ad dignam Christi æ[stima]tionem, atque ad debitum honorem e[xhi]bendum.

120 Supersunt duo articuli contenti in Symbo[lo], nempe Ecclesia Catholica, & com[munio] Sanctorum; de priori non potest esse dub[ium] quod omnes teneantur explicitè scire, & c[re]dere in hac Ecclesia, & Congregatione fi[de]lium, seu sub hac professione fidei obtineri [sa]lutem, & non extra eam. Ita Vasquez [...] disp. 121. cap. 2. Azor. lib. 8. cap. 6. quæst. Suarez disp. 13. sect. 4. & Coninch. disput. dub. 16.

121 De Communione autem Sanctorum [...] quatuor Auctores aliter sentiunt, non esse licet necessarium eam explicite scire, & c[re]dere, cum vix docti percipiant sensum h[uius]

122 articuli, quid ni homines rustici? Vers[um] Castrus Palao citatus, vt probabilius defe[ndit] quod omnes obligentur scire, & credere [sub]stantiam huius articuli, cum contineatur [in] Symbolo Apostolico, & non assignetur ra[tio] specialis, cur sit eximendus ab obligatio[ne] generali sciendi articulos fidei in eo conten[tos].

Adde

Adde quod sit valdè conueniens ad augmentum caritatis inter fideles, si sciant hanc inter se adesse spiritualium bonorum communicationem. Quamquam nulla est obligatio sciendi qua ratione talis communicatio Sanctorum fiat; sed sufficit vnicuique scire, quod fiat.

De Sacramentis, de praeceptis Decalogi, & Ecclesiæ, de Oratione Dominica, quænam priuatis personis; quænam Prælatis, & Pastoribus notitia obligatoria?

REGVLA LXXIX.

122 Similiter ex necessitate tantum præcepti
tenetur quisuis fidelis addiscere sacramenta legis Euangelicæ, ad minus tria, Baptismi scilicet, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.
Item decem præcepta Decalogi, & quinque
123 Ecclesiæ, Orationem etiam Dominicam. At
sub eadem necessitate scire expressius omnia per hanc, & per præcedentem Regulam indicata, & alia multo plura incumbit Prælatis, Pastoribus, Parochis, & alijs quibusuis, qui subditos, vel Populum instruere, atque impugnatibus ipsa respondere tenentur?

124 Contenta in hac Regula vnicuique fide-
lium ex necessitate solius pręcepti addiscenda, non tam ad credendum, sicuti contenta in pręcedenti, quam ad operandum, & ad preces Deo fundendum. Primo sacramenta nouę legis, saltem tria ad salutem necessario recipienda, vel in re, vel in voto, nempe Baptismus, vt scias per ipsum deleri peccatum originale, ac membrum Christi te constitui, &
125 ad legem Euangelicam te obligari. Item
sacramentum Pœnitentiæ, cuius cognitio prorsus necessaria est, vt qualiter peccatum actuale remittatur, & gratia per eum amissa recu-
126 peretur, tibi innotescat. Tertio sacramentū
Eucharistię, vt sub eo Christum contineri, adorari, a fidelibus edi, atque ad eius sumptionē quo tempore te obligari cognoscas. Ita Henriquez lib 6. de Sacram. cap. 18. Valentia 2. 2. disp 1. q. 2. punct. 5. Sanchez lib. 2. cap. 3. nu. 9. Suarez disp. 13. de fide sect. 4. & alij.
127 Circa alia vero quatuor Sacramenta, Con-
firmationis, Extremæ vnctionis, Ordinis, & matrimonij non concordant Doctores: Valen. & Suarez citati nullam esse obligationem eaciendi volunt, quia non sunt necessaria ad salutem. Sed melius Bañes 2. 2. q. 2. art. 8. dub. 2 Petrus Ledesma 2. tom. summ. tract. 1. cap. 2. Sanchez ibidem n. 9. Coninch. disp. 14. dub. 10. concl. 3. & Castr. Palao tract. 4. disp. 1 punc. 10. talem obligationem admittunt, pręcipue in eis, qui sunt ea recepturi: dedecet enim Christianum recipere sacramentum, & non cogno-
129 scere quid recipiatur. Moderant tamen ijdē
Sanchez, Coninch. & Palao, quod non sit obligatio cognoscendi sub graui culpa, maximè in illis, qui non sunt ea recepturi: imò probabile nullo modo obligari istos.
130 Præterea, vt scias quid debeas facere, &
quid vitare teneris addiscere pręcepta Decalogi, & Ecclesiæ: cum istorum notitia ad illum finem absolutè necessaria sit. Ita modo adducti Suarez, Coninch, Valentia, & Sanchez.
131 Qui duo vltimi benè testātur obligari solum-
modo quemque fidelem ad scienda opera misericordiæ quatenus in pręceptis continentur.
132 Denique cum omnibus sit iniunctum pręce-
tum orandi, & precandi Deum; cumq. nulla deprecatio esse possit efficacior, & opportunior, quam ea, quæ in oratione Dominica cōtinetur. Eo quod à Christo Dño immediate sit tradita, & quod comprehēdat valdè summariè vniuersa, quæ quisuis, siue iustus, siue peccator pro Dei gloria, & pro sua salute, vel alterius petere possit, & debeat; probabilius iudicant esse obligationem sub culpa graui addiscendi orationem Dominicam, quoad substantiam, citati Sanch. nu. 10. Valentia punct. 5. Coninch. concl. 4. &
133 Palao nu. 8. quibus ipse adhereo. Tametsi
Suarez d. sect. 4. non improbabiliter velit esse obligationem tantum sub peccato veniali.
134 Notant optimè ijdem Doctores Valentia
loco citato, Sanch. n. 19. Suarez sect. 5. Palao n. 9. necessarium non esse sub culpa graui memoriam retinere Symbolum, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, ac Dominicam orationem eo ordine, quo sunt composita; sed satis esse, si sensum percipias, & substantiam memoria teneas: quamquam non excusaberis à veniali, si
135 nihil de illo ordine cures. E contra vero ne-
quaquam satisfacies, si ea memoriter retineas, & sensum nullo modo calleas; quia tunc solum esset cognitio verborum, & non mysteriorum: cum hęc pręcipue addiscere sit iniunctum. Ita præter dictos Valentiam, Sanchez, & Coninch. docet Bañes 2. 2. q. 2. art. 8. dub. 2.
136 In confesso tandē est apud omnes Doctores,
quod Prælati, & Pastores debeāt reliquos fideles de populo sibi subditos scientia mysteriorū fidei, & aliarum rerum ad animę salutem spectantiū antecellere: sed non conueniunt circa hanc excellentiam; alij non ita strictè, alij vero
137 strictissimè eā sumentes. Resolutio circa hoc
ista censetur legitima, videlicet obligatos esse Episcopos, & Pastores scire mysteria fidei nostrę & alia ad salutem necessaria non solū quomodocumq. pro docendis subditis; sed etiam ita exactè, & cōpletè, vt possint difficultates circa illa insurgentes dissoluere, atq. eos qui contradicunt arguere, ac cōuincere, vt ait D. Paulus ad Tit. 2. & habetur in Trid. sess. 7. c. 1. & sess. 22
138 c. 2. de refor. Probatur præcipue de Episcopis,
quia cum isti in Ecclesia sint successores Apostolorum, ad ipsos pertinere debet hereticorū fallacias soluere, & fidem fortiter defendere; & quidem per se ipsos, nec satisfaciunt, si ipsi sint indocti, & ministros peritissimos habeant. Ita docent Suarez disp. 13. de fide in fine, Coninch. disp. 14. dub. 1. & Castrus Palao vbi supra.
139 Hic autem ibidem cum eodem Coninch. be-
nè aduertit non requiri in Episcopo tantā doctrinā, vt ex tempore possit ad difficultates cōtra fidem insurgētes respondere; sed sat esse si

adhibito studio, & consilio peritorum id præ-
140 stare valeat. Imò vterque addit aliquando doctiori minus doctum, & eruditum in promotione ad dignitatem Episcopalem meritò esse præferendum, qui prudentia, & potentia ad de-
141 fensionem Ecclesiæ requisita antecellit. Propterea sępè nobiles, & potentes promouentur Doctoribus relictis, quod illi Ecclesiam defendere possint ab impugnatoribus, & ab inimicis destruere eam curantibus. Nihilominus tali scientia prędit esse debent, vt attentis circũstantijs locorum, & temporum muneri suo cõpletè satisfacere valeant. Ita Suarez citatus:
142 Sed quid quoad Parochos, Confessarios, Cõcionatores, & reliquos omnes, qui obligatione docendi alios astringuntur? Isti tanta mysteriorum, & rerum fidei Catholicæ scientia prędit esse debent, vt explicare, & aliqualem rationem de illis reddere, atque occurrentes communiter difficultates soluere possint; alioquin non apparet, quomodo queant alios re-
143 ctè instruere; Ad quod tenentur ratione officij, & superioritatis, vt constat ex Tridentino sess. 25. cap. 2. de reformatione, traduntq. Suarez disp. 13. de fide sect. 6. Coninch. disp. 14. dub. 10. & Castrus Palao vbi supra punct. 10.

Quando obligatio acquirendi, & tradendi notitiam rerum Fidei incipit? & vnde quis ab hac obligatione excusatur?

REGVLA LXXX.

144 PRædicta necessitas, & obligatio addiscendi mysteria Fidei, Sacramenta nouæ legis, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ; orationemque Dominicam modo explicato, incipit in quouis fideli quamprimum peruenit moraliter loquendo ad vsum rationis (tunc etiã insurgit obligatio in superioribus docẽdi;) nisi differatur, aut excusetur, vel ob incapacitatem naturalem, vel ob ignorantiam inuinci-
145 bilem. Quæ sæpè dari potest, etiã in homine fideli de rebus necessarijs necessitate solius pręcepti; raro tamẽ de necessarijs necessitate medij

---

146 EManuel Rodriguez tom. 1. sum. in 2. editione cap. 88. num. 1. & Ludouicus Lopes 1. par. instr. cap. 41. nec vllus alius, quod sciam, peculiariter tenent nullum obligari vsq. ad pubertatem addiscere, & credere fidei mysteria, ac præcepta, eò quod tunc videatur perfectus vsus rationis acquisitus, & non antea: cuius signum est, quod ętas pubertatis censeatur apta, & sit cuiuis personæ præscripta à iure ad contrahendum matrimonium, & ad inducendam sibi hanc obligationem naturalem, & humanam; ergo ad supernaturalem, & diuinam, qualis est addiscendi mysteria fidei, censebitur apta, & requisita eadem ætas pubertatis.

147 Verum hæc opinio non admittitur, sed ... improbabilis refutatur à reliquis Doctoribus ex quorum mente incipit obligatio sub culpa graui ex genere suo addiscendi, & credendi res fidei Catholicę, vbi primum puer fidelis habet completum vsum rationis, ita vt distinguat iam inter bonum, & malum, seu inter honestũ, & peccaminosum. Ratio est, quia infidelis, si quamprimũ peruenit ad talẽ vsum rationis, fides diuina ei proponatur, tenetur statim illam amplecti, similiter & fidelis, qui fuit baptizatus in infantia, actũ fidei elicere, vt ostendimus supra; sed id præstare nequeunt, nisi statim res fidei addiscant; ergo obligatio eas ad-
148 discendi tunc incipiet. Confirmatur quia Christus Dominus Marc. vltim. præcipit Apostolis, & sub eis, quibuscumque Prælatis, ... Superioribus prædicare Euangeliũ omni creaturæ, non restringens prædicationem pro adultis, pubertatem attingentibus, ergo omnis creatura vsu rationis capax doctrinam Euangelicam amplecti, & scire debet. Ita Nauarrus in Summ. cap. 11. num. 22. Suarez disp. 1... de fide, Sanchez lib. 2. in decalog. cap. 2. n. 1... Tolet. lib. 4. Summ. cap. 2. & Castrus Palao tract. 4. de fide disp. 1. num. 11.
149 Nec habet vim quod adducitur de ætate pubertatis ad contrahendum matrimonium, cum pro eius vsu, & seminatione perfecta ad prolificandum requiratur ex iure talis ætas in contrahentibus; imo retorquendo argumento, hinc confirmatur doctrina, quia sufficit septennium in puero ad obligationem sponsaliorum, seu matrimonij de futuro, vt constat titulo de desponsatione impuberum, imò minus septennio, si malitia suppleat ætatem, ... si ante ipsum acquirat puer perfectum vsum rationis, ergo sufficiet ad contrahendam obligationem addiscendi res fidei.
150 Dixi sub culpa graui ex genere suo, quia præceptum obligans addiscere fidei mysteria & alia est de re grauissima, spectante videlicet ad aquirendam animæ salutem: atque ita do-
151 dunt ijdem Doctores nuper citati. Nihilominus potest aliquando esse tantum sub culpa veniali, vel ob leuẽ negligentiã in addiscendo, vel imperfectam deliberationem, aut ob materiæ læuitatem, vt si ignores substantiam vnius tantum articuli minoris momenti v.g. discensus ad inferos. ita Palao ibidem, cum Suarez disp. 15. sect. 1. & Sanchez lib. 2. cap. 2. num. 14.
152 Imò excusabuntur ab omni culpa aliqui, qui adeo hebeti, & obtuso sũt ingenio, vt articulorum fidei substantiam etiam post adhibitam diligentiam ad addiscendum, capere nequeant; quales vt refert Pater Iosephus Acosta lib. de procuranda Indorum salute, sunt illi qui in quadam Prouincia Americæ, vulgo vocantur Vrri, cum vix quidquam de humana natura paticipare videantur, & sint verè homines. Ita præter tres Suarez, Sanchez, & Castrum Palao, docent Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 2. quæst. 6. & Valentia 2. 2. disp. 1.
153 quæst. 2. punct. 4. Qui benè notat non propterea esse dicendũ similes homines tam hebetes & ob-

& obtusi ingenij non obligari ad mysteria fi-
dei addiscenda, & credenda explicitè, nam
eo ipso, quod ratione incapacitatis censentur
excusati à culpa, patet eos esse obligatos: nam
nullus iudicatur propriè à culpa excusari in eo,
ad quod alioquin non est obligatus.

154 Excusantur etiam quandoque homines fi-
deles (quanto magis infideles) ab omni culpa
prouenientе ex obligatione addiscendi res fi-
dei nostræ ob ignorantiam inuincibilem talis
obligationis, & rerum huiusmodi. Nam quid-
quid dicat Adrianus quolib. 2. q. 1. ad 2. eam
nullo modo admittens circa necessaria ad sa-
lutem, & quicquid dicat Rodrig. tom. 1. Sum.
cap. 88. num. 4. ipsam concedens in solis infi-
delibus sine dubio in fidelibus etiam sæpè dari
potest. Ita Nauarrus in Sum. cap. 11. num. 22.
Azor tom. 1. lib. 8. cap. 8. q. 7. Bañes 2. 2. q. 2.
art. 8 dub. 2. Vasquez 1. 2. disp. 121. cap. 2. &
155 Sanchez lib. 2. in decal. cap. 3. num. 20. Pro-
batur efficaciter, quia tunc quisuis ignorantia
inuincibili addiscendi mysteria fidei Diuinæ
laborat, cum nulla ei suspitio, aut dubitatio
de tali obligatione occurrit; sed euenire sępius
potest etiam inter fideles, vt quis non habeat
vllam dubitationem de huiusmodi obliga-
tione, vel quod mysteria fidei non fuerint ei
proposita, vel quod ipsis iam propositis, adhuc
obligationem addiscendi, aut substantiam ali-
cuius articuli non perceperit; ergo ignorare
ipsa inuincibiliter poterit.

156 Magis autem distinguens Castrus Palao vbi
supra punct. 11. optimè aduertit circa ea; quæ
sunt necessaria ad animæ salutem necessitate
medij, raro dictam ignorantiam inuincibilem
posse contingere maximè inter fideles: quis
enim notitiam non habeat, aut non dubitet
saltem de his paucis? quod Deus sit, & quod
possit remittere peccata, & gloriam conferre
per mediatorem inter ipsum, & homines? Ca-
sum tamen non esse impossibilem inde osten-
dit idem Palao, quia potest quis ita barbarus, &
agrestis esse, & taliter inter Barbaros nutritus,
vt notitiam Dei habeat tantum, vt est auctor
naturæ; non vero vt est donorum supernatu-
ralium auctor, & pro meritis vniuscuiusque
largitor.

157 At circa necessaria ad salutem necessitate
solius præcepti, posse frequenter dari ignoran-
tiam inuincibilem, etiam inter fideles præter
citatos auctores Nauarrum, Azor, Bañes, Va-
squez & Sanchez, docent Suarez disp. 15. de
fide sect. 1. & Coninch disp. 14. dub. 11.
Patetque ex ipso experimento; quia videmus
plures ita rudes, & adeo obtusi ingenij, & quã-
uis sæpius moniti fuerint de obligatione addi-
scendi mysteria fidei, & instructionem eorum
audierint, ac integrum Symbolum memoria
teneant, non capiant aliquando quoad substan-
tiam, saltem aliquam eius partem, vti tenebat,
& non capiebat, sed ignorabat inuincibiliter
articulum resurrectionis carnis quidam vetulus
octogenarius in Ciuitate Cęsaraugustana Re-
gni Aragonij, vt audiui ab eodemmet è no-
stris, qui à tali ignorantia eum liberauit in
extrema mortis hora.

158 Ex traditis infero cum eodem Castro Palao
& cum alijs, quod sub culpa graui teneantur
Parochi, parentes, & domini notitia rerum
fidei ad salutem necessaria parochianos, filios,
& subditos imbuere; talisque obligatio in illis
incipit, quamprimum isti, moraliter loquendo,
159 ad vsum rationis perueniunt. Vtrorumque
enim obligationes addiscendi, & imbuendi
connexæ sunt inter se, & correlatiuæ: correla-
tiuorum autem hæc est natura, secundum Phi-
losophum, vt posito vno, ponatur necessario &
aliud; & iam vidimus supra in quolibet fideli
incipere obligationem addiscendi res fidei, in-
cipiente moraliter vsu rationis; ergo alia obliga-
tio imbuendi eos in parochis, parentibus, &
Dominis etiam tunc incipiet.

160 Sed quid de obligatione confessarij circa
pœnitentem ignorantem res necessarias ad sa-
lutem? Quando ex fundamento non leui prę-
sumit pœnitentem hanc ignorantiam habere,
tenetur illum interrogare, secus, si non sic
præsumat. Ita Azor tom. 1. lib. 8. cap. 8. quęst.
vltim. Sanchez lib. 8. in decalog cap. 2. num 21.
161 & Coninch disp 14. dub. 11. num. 231. Quę
interrogatio, præcipue dirigitur ad hoc, vt co-
gnoscat Confessarius, an ignorantia fuerit
crassa, & culpabilis; moneatque pœnitentem,
si talis fuit, de obligatione confitendi hanc
culpam; de obligatione etiam addiscendi res
fidei, qualicumque ignorantia laborauerit.

162 Verum quid de instructione præmittenda
ante absolutionem? secundum probabiliorem
sententiam, non tenetur Confessarius illum
ex professo tunc instruere; aut dimittere, vt
ab alio in rebus fidei, quas ignorat, ante con-
fessionem instruatur; sed potest eam audire,
& pœnitentem aliqualiter rudi Minerua in-
structum absoluere; accepta ab eo promissione
curandi postea completam instructionem.

163 Inde ostenditur, quia nusquam indicatur
esse præceptum addiscendi mysteria fidei, &
res ad salutem necessarias ante absolutionem
164 ita vt non possit differri. Sicuti esse sentiunt
omnes Doctores ante susceptionem Baptismi,
eo quod iste sit ianua ad ingressum in Eccle-
siam, & ratione eius ingressus obligetur ad om-
nia saluti animæ necessaria credenda, & exe-
quenda; ac proinde expedit pœnitenti igno-
ranti tantam obligationem iniungere. Ita
præter tres citatos Azor, Sanchez, & Coninch.
docent Sotus in 4. distinct. 6. quæst. 1. artic. 1.
Valentia tom. 4. disput. 4. quæst. 3. punct. 3. Sua-
rez tom 3. in 3. part. quæst. 71. art. 2. Ioannes
Sanchez in select. disput. 9. num. 18 & Castrus
165 Palao vbi supra punct. 11. Quamquam alij
vt Bañes 2. 2. quæst. 1. art. 8. dub. 2. Petrus
Ledesma tom. 1. tractat. 1. cap. 3. & Rodri-
guez 1. tom summ. cap. 18. non absque pro-
babilitate affirmant nequaquam posse absolui
pœnitentem ignorantem mysteria fidei, ante-
quam completè eorum cognitione instruatur.

Præceptum negatiuum nihil faciendi exterius contra fidem, quando, & quosnam, ac qualiter obligat?

REGVLA LXXXI.

166 Restat explicandum tertium fidei præceptum de externa eius confessione, quod etiam duplex est, alterum negatiuum, alterum positiuum, *seu affirmatiuum*. illud iuxta naturã similium negatiuorum, obligat semper, ac pro semper quemcumque fidelem sub culpa graui ex genere suo, ad fidem exterius nullatenus negandam, vel ad non ostendendum se positiue infidelem.

---

167 Non defuerunt Hæretici, quos refert, & copiosè refutat Valentia 2. 2. disp. 1. q.3. punct.2. affirmantes nullum esse præceptum sub culpa aliqua de externa fidei confessione, sed sufficere, si fides Catholica animo retineatur. Verum vtrumque actum interius credendi, & exterius fidem confitendi esse præceptum, & obligatorium, est de fide certum, vt patet ex illo Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; tenetque communis omnium Catholicorum sententia cum D. Thoma 2. 2. q.3. art.1.

168 Peculiariter negatiuum præceptum nunquã exterius negandi fidem constat ex illo Mat. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & eum coram Patre meo*: quicumque enim exterius fidem negat, quamuis eam mente retineat verè Deum negat coram hominibus, ac proinde dignus, vt à Christo etiam coram Patre
169 negetur. Vis autem huius præcepti tanta est, vt nemini liceat ipsum violare, etiam ob vitandam mortem, aut grauissima tormenta; cum negatio fidei sit intrinsecè mala; nam quiuis negans fidem, simul tacitè affirmat summam & infallibilem veritatem falli, quod est expresse contra diuinum honorem. Ita ex communi sensu omnium Suarez disp. 15. de fide sect.1. Castrus Palao vbi supra punct. 13. & alij citandi.

170 Notat autem benè hic idem Castrus Palao dupliciter posse contingere hanc fidei negationem primò directè, vt si quis absolute fidem, aut aliquem eius articulum, aut certitudinem, vel necessitatem ipsius neget. Secundò indirectè, vt si neget esse se Christianũ, Catholicũ, vel Papistam; nam sic implicitè negat Christũ, & eius Religionem Catholicam; innotescit exemplo Apostoli Petri, qui grauiter peccauit, quod negando se esse discipulum Christi Do-
171 mini, hunc exterius negauerit. Pari modo si quis fidelis dicat se esse Turcam, aut Iudęum, aut Lutheranum &c. quia sic indirectè negat Religionem Christianam; cum clarè indicet aliquam ex illis sectis se profiteri. Denique si idem fidelis aliquam actionem exerceat, vnde astantes aliquo modo colligere possint, ipsum negasse fidem Catholicam.

172 Verum approbo limitationem adhibitam ab eodem Castro, Azor, tom.1. lib. 8. cap.2. q.1. Bañes 2.2. q.1.art.2. dub.1. concl.4 Suar. disp.15. de fide sect 1. Thoma Sanchez lib.2. in Decal. cap.4. num. 8. & à Coninch. disp.1. num.10. quod quandoque Christiani nomen non Religioni, sed nationi applicari soleat; in bello contra Infideles, si ab his interrogetur fidelis, an sit Christianus, ex graui causa, vt periculi mortis negare potest, restrictione, seu ęquiuocatione in mente retenta; nam ille tunc non negat fidem Christianam, cum de eius professione non interrogetur; sed tantum negat se esse talis nationis, cuius homines, vt hostes, & inimici ab infidelibus bellum gerentibus habentur.

173 Prorsus idem dicendum, si fidelis ab infidelibus interrogetur, an sit Clericus, aut Religiosus, an aliquod officium, vel munus Religionis Christianæ exercuerit, vt celebrare, vel audire missam, interesse Diuinis &c. ex causa etiam non ita graui, cum dicta restrictione mentis negare potest: hoc enim non est negare fidem, sed aliquod eius munus; quæ negatio etiam absque peccato vllo esse potest; si adsit causa æquiuocandi, aut mentis *restrictione* vtendi. Ita Azor, & Sanchez *citati*: *Imò isti*
174 Doctores bene addunt hoc verum esse, etiamsi sic interrogans intendat explorare fidem interrogati; quia adhuc non est negare fidem, sed eius munus; & sine hoc possit absque dubio eam retinere: tametsi ibi possit reperiri mendacium veniale, vt ait ibidem Sanchez.

175 Ex tradita vero doctrina, & ex distinctione negandi fidem directè, vel indirectè, resoluendi varij casus per breues illationes, vt præceptum negatiuum cõfitendi fidem, quando obliget, vel secus, multo magis innotescat. Vnde infero primò, si Clericus vel Religiosus dum transit per oppida Hæreticorum, aut Infidelium, vestes proprias deponat, & sæcularium assumat, vt nõ cognoscatur, & incolumis euadat; non facit contra præceptum negatiuum confitendi fidem, nec vllo modo peccat. Nam facto isto neque indirectè negat fidem Catholicam; cum vestes depositæ sint signa non fidei, sed status proprij; si hunc, vel aliquid aliud celare intendat, & non habeat animum fingendi se sęcularem. Ita cum D. Thoma 2.2. q.111. art.1. Philiar. de officio Sacerd. tom 1. part.2. lib.3. cap.9. & Sanchez lib. 2. in Decal cap.4.
166 num.11. Peccaret tamen solum venialiter, si per assumptas vestes intenderet simulare se sæcularem, quia facto ipso mendacij peccatum committeret. Tradit idem Sanchez cum eodem D. Thoma d. art.1.

177 Secundo infero iuxta probabiliorem, & communem sententiam (tametsi opposita negatiua, quæ est præcipue Caietan. in summ. verbo habitus, & Tolet. lib.4. cap.2. non careat probabilitate) licitum est tibi fideli ob causam grauem, vt pro euitando periculo mortis, vestibus, vel signis infidelium lege, vel vsu destinatis ad distinguendos infideles à fidelibus etiam publicè vti. Ita Bañes 2. 2. q. 3. art.2. dub.2. concl. 3. & ibi Valentia disp. 1. q. 3. punct.2. dub.4. Suarez disp.14. de fide sect.5. Emanuel

Sa verbo

Sa verbo fides num.4. Coninch. disp.15.dub.3. concl.8.& Castrus Palao tract.4.de fide disp.1.
178 pun.17. Qui hac vnica ratione reiectis alijs, aut nimium, aut nihil probantibus, efficaciter ostendit; quia attentis circumstantijs, vsus talium vestium, & signorum non indicat te esse infidelem, & neque indirectè fidem Catholicam negasse; quandoquidem nullus, qui te Christianum agnosceret, sic vestitum videns, de te hoc suspicaretur, quod negauisses fidem, aut velles id videri; sed prudenter iudicaret, quod huiusmodi vestibus, vel signis infidelium sis indutus ad te occultandum ob timorem mortis vel ob aliam causam; ergo licitus est similium vestium, & signorum vsus.

179 Verum infero tertio, quod etiam ex quauis causa vrgente haud esse licitum vsum similium vestium, & signorum, quæ scilicet inseruiunt ad cultum falsæ infidelium Religionis, & non ad discernendum ipsos à fidelibus, vt bene distinguit Suarez citandus omnino sit tenendum cum communi ferè omnium sententia, Caiet. & Tolet. citat. D. Antonin. 2.p.tit.12. cap.6. Syluest. verb. Apost. q. 1. Nauar. cap. 11. sum. num 27. Suarez. disp.14. de fide sect.5. & Castri Palao ibidem. Ratio est quia per gestationem talium vestium, & signorum, per se, & ex natura rei, quamuis à gestante non intendatur aliquis cultus, & honoratio falsæ sectæ exhibetur; atque aliquo modo, saltem indirectè fides vera negatur, quod est intrinsecè malum; ergo nequaquam vti fideli licitum. Item quod huiusmodi actus ab scādalo separari rarò pos-
180 sit. Citati autem Doctores meritò idem à fortiori multo magis affirmant de vsu vestium vel signorum; quibus Sacerdotes idolorum, vel Mahometi ad sacrificandum, vel cultum illis exhibendum induuntur, aut in quibus est depicta imago idoli, vel Mahometi.

181 Quarto infero, & addo cum ab eodem Castro Palao, & Coninch. disp. 15. dub. 3. quod careat prorsus probabilitate dicta sententia Azori, & Sanchez casu quo Princeps infidelis præciperet indiscriminatim omnibus infidelibus, aut fidelibus habitantibus, vel commorantibus in suo Regno, gestare vestem, vel signum in honorem suæ falsæ sectæ, si fidelis gestet, quia sic gestando falsam fidem profiteri; & propriam Catholici indirectè negare cē-
182 setur; ergo non est ei licita talis gestatio. Confirmatur, quia si idem Princeps tibi fideli peculiariter, sub pœna mortis id præciperet, absque dubio potius mori, quam ei obedire teneris cum actio sic gestandi vestem, vel signum ad cultum, & protestationē falsæ sectæ sit intrinsecè mala, quippe qui negatio tacita, & indirecta fidei Catholicæ; ergo idem erit, si in communi omnibus illa præcipiat.

183 E contra infero quinto, si Rex, vel Princeps fidelibus subditis suis præcipiat, vt in testimonium, & protestationem fidei nostræ peculiari veste, vel signo vtantur, alioquin ab omnibus tanquam desertor fidei reputetur, licitum est tibi fideli ex graui causa, vsum eius aliquādo omittere, nec facies per hanc omissionem contra preceptum negatiuum, confitendi exterius fidem, seu eam nec indirectè negandi. Hoc vt multo probabilius, & ferè omnium commune tradunt Bañes 2.2.quæst.3. art.2. dub. 2. concl 4. ibi Valentia disp. 1.q.3. punct.1. dub. vlt. Suarez disp. 14 de fide sec.5. Sanchez lib.2. in decal. cap.4. num.29 & Co-
184 ninch. disp. 15. dub. vlt. num. 76. Probatur efficaciter, quia sic omittere nec indirecte est negare fidem, etiam quoad exteriorem apparentiam; sed tantum occultare, quod ex causa licite potes facere: & patet exemplo Monachi, cuius habitus in testimonium, & protestationem suæ Religionis, seu professionis est ab Ecclesia ei assignatus; & tamen, vt dictum supra potest licitè ipsum deponere ad vitandum periculum mortis &c. ergo pari modo in præsenti dicendum est.

185 Verum secus esset, si idem Princeps singulariter tibi Catholico id præciperet, & de gestatione vestis, vel signi, aut de omissione eius te examinaret; quia sic præcipere, & examinare iam esset in particulari te de tua fide interrogare, ac proinde non gestando vestem, vel tacendo Principi causam huius omissionis, censereris fidem indirectè negare, aut velle sic videri nec scandalum cognoscentium te Catholicum effugere posses: quod non euenit, quando præceptum à Principe fit in communi omnibus. Ita optime Castrus Palao vbi supra punct.18. respondens ad rationem, ob quam Caietanus 2.2.q.3. art.2. & Nauarrus in Sum. cap. 11. num. 27. communem sententiam numero præcedenti expressam non admittunt.

186 Sexto infero, quando vniuersaliter loquēdo nullo modo sit licitū verbis, vel factis vti, quæ attentis circumstantijs nullam aliam significationem continent, per cultum falsę Religionis, & consequenter negationem indirectè veræ fidei. Ita contra Adrianum in 4. tract, de Baptismo q.1. art.1. ad 5. oppositum improbabiliter defendentem docent vt certum omnes Valentia 2.2. disp.1.q.3. punct.2. qui multis scripturæ, & Patrum testimonijs ostendit, & exornat, Suarez disput. 14. de fide sect. 4. Vasquez 1.2. disp.182. cap. 5. Sanchez lib.2. in decal. cap.4. Coninch. disp.15 dub 2. nu.14. & Castrus Pa-
187 lao nuper citatus. Probatur efficaciter; quia ex vi precepti fidei negatiui, non tantum obligaris nō profiteri falsam religionem ex animo; sed etiam neque quoad apparentiam id ostendere, cum obligeris nō negare fidem exterius; sed si vtaris talibus signis, verbis, aut factis nullam aliam significationem moraliter habentibus, preter cultum falsæ religionis, hanc censeri exterius profiteri, etiamsi id animo non intendas; ergo non est tibi licitum illis vti, cum hoc sit intrinsece malum.

188 Infero hinc septimo, quod non sit licitum homini Catholico templa hereticorum adire, & eorum concionibus assistere, si Princeps in honorem suæ falsæ religionis cogat omnes in suo Regno habitantes ad hoc præstaudum: vti in aliquibus regionibus heresi infectis aliquando Catholici coacti fuerunt. Ita Bonacina disp.3. q.2. punct.3. num. 22. post Sanchez, & Coninch. citatos, qui aiant hoc à Paulo Quinto

motu

motu proprio fuisse definitum. Probatur, quia per illam assistentiam in signum, & protestationem falsæ Religionis, hæc iam aliquo modo admittitur,& vera Catholica indirectè negatur Nec refert quod Princeps dicat in suo edicto se solum exigere subditorum obedientiam, & non apostasiam à Religione;quamuis enim hoc ipse verbis testetur, facto tamen ipso contrariũ postulat: cum talis assistentia, illis circumstantijs iniuncta, sit protestatio falsę Religionis, & simul veræ indirecta negatio.

190 Prorsus idem esset ex mente eorumdem Doctorum, si Princeps suo edicto iniungeret ministrari Eucharistiam à Ministro hæretico; vel matrimonium celebrari coram ipso, aut cibos ab Ecclesia Catholica prohibitos comedi in honorem, & protestationem suę falsę sectæ,vel in contemptum præcepti ecclesiastici, non esset licitum cuiquam fideli Eucharistiam ab illo sumere, vel matrimonium coram ipso contrahere, vel cibos prohibitos taliter edere ob rationem dictam, & similiter de alijs casibus.

191 Tandem infero limitando præcedentem illationem quod sublato illo præcepto, seù edicto Principis, sublato etiam aliorum scandalo (hoc diligenter aduertendum, an adsit? cum facile adesse possit) liceat tibi fideli templa hæreticorum, vel infidelium adire, & precibus illorum assistere, si id facias non ratione falsi cultus, sed vel obsequij ciuilis, vt si dominum illuc ingredientem, & manentem ibi comiteris, vel si aliud officium politicum in tali loco pręstare debeas: si Naaman Domino suo podagra laboranti in templo IdoliRamon ad adorationem huius genuflectenti inseruiebat, etiam genuflectendo,sed non adorando.Similiter quod
192 licitum sit tibi fideli ad te occultandum ex causa rationabili, cibos vetitos comedere, & pro vitando scandalo, restrictione mentis vti, allegando debilitatem stomachi, vel causam
193 aliam.Item quòd possis licitè conuiuijs nuptialibus assistere, & coniuges benè precari; quamuis ritu hæretico contraxerint: nam si assistendo, & deprecando non intendis honorare, vel approbare contractum tali ritu illicitum, & malum, cuius malitia nequaquam redundat in conuiuium, ac proinde licitè potes ei interesse, sic pluribus expendentes resoluunt hos casus Sanchez lib.2 in Decal.c 4 Coninch. disp.15 dub.3. & Castrus Palao vbi supra punc. 17. ac alij.

Obligatio præcepti positiui fidem exterius confitendi ad quos, & quantum se extendit? & vbinam cessat?

REGVLA LXXXIII.

194 PRæceptũ itẽ affirmatiuũ confitendi exterius fidem obligat quemcumq; fidelem sub culpa ex suo genere mortali, ad confitendam ipsam coram hominibus in pluribus casibus: qui ad duo capita reducuntur, nempe quoties non confitendo exterius fidem honor debitus Deo subtraheretur, & quoties ad salutem animæ propriæ, vel proximi, vt omnino conducens exterior fidei confessio requiri-
195 tur. At vbi neutrum istorum ex ea speratur, sed potius sola perturbatio infidelium, nullo modo conueniens; imo temerarium censetur eam sic exterius confiteri.

---

196 DE præcepto affirmatiuo exterius confitendi fidem, quod aliquando obliget, constat præcipuè ex testimonio iam adducto Rom.10. *Ore autem confessio fit ad salutem*, gratię scilicet, & gloriæ æternæ:& docent cum D.Thoma 2.2.q.3.art.2. Valentia disput.1.q. punct.2.Azor.tom.1.lib.8.cap.7 initio, Suarez disput.15.de fide sect.2. & alij, probantq; cum D. Thoma hac ratione, quia toties quis astringitur ad obseruandum præceptum alicuius virtutis, quoties huius exercitium ad caritatem Dei, vel proximi necessarium est, & consequenter debitum; finis enim præcepti caritas; secundum Apostolum 1. Timoth. 1. sed ad hunc finem confessio externa fidei sæpè necessariò requiritur, nempe vbicumq; honor *Dei*, & bonum proximi, aut propriæ *animæ grauiter* periclitatur, si quis eam omittat; ergo tunc fidem ob caritatem Dei, & proximi exterius confiteri tenetur.

197 Notat egregiè Sanchez lib.2 in Decal. cap. 4.n.4. hoc ita esse intelligẽdum quotiescumque ex omissione talis cõfessionis dictus honor, vel fructus animę propriæ, aut proximi, contrariè, vel priuatiuè tantum subtraheretur, nam Deus afficeretur ignominia, aut si cessaret magnus Dei honor ob id, quod quis non confiteretur exterius fidem; similiter respectu proximi, quando per confessionem fidei alicuius alij allicerentur ad eam amplectendam, nec alias
198 sint amplexuri. Item vbi ex omissa ab aliquo fidei confessione proueniret periculum in alio relinquendi fidem iam amplexam, vel saltem dubitandi circa eam, tunc tenetur ipsam publicè confiteri. Atque hinc etiam varij resoluendi casus per breues illationes, vt vis huius pręcepti affirmatiui magis cognoscatur.

199 Primo infero cum Aragon.2.2.q.3.ar.2.dub. 2.Rodriques tom.1.sum.in 2.editione cap.119 num. 2. & Sanchez citato totidem ferè ipsis verbis, quod Christianus videns Christum ab Infidelibus contumelijs affici, vel imagines conculcari, aut fidem nostram irrideri, si absque suo graui damno potest ista impedire, publicè confitendo, & laudando fidem, ad id fine dubio teneatur; tali enim confessione, & laudatione, illæ contumeliæ, & irrisiones saltem ex parte minuentur, & compensabuntur. Li-
200 mitant tamen benè Coninch. disp. 15. dub. 5. num 93. & Castrus Palao tract. 4. de fide disp. 1 punc.13 num.7. nempe cessare obligationem sic confitendi, et laudandi, si per hanc laudem, et confessionem timeatur fore, vt irrisores, et blasphematores sint ad maiores irrisiones, et blasphemias processuri; quia tunc cessat finis, ob quem confessio, et laudatio præcipitur, qui est fidei Christianę excellentiam

pro-

promouere. Atq; ex hac limitatione aliqualiter indicatur vltima Regulę huius pars, quæ iam ex se ipsa clarè innotescit.

202 Secundo infero, quod sit tibi obligatio publicè confitendi fidem, quando ex eius omissione euenturum credis, vt pusillanimis ad resistendum exterius occurrenti tentationi, aut persecutioni reddaris, & periculo negandi fidem te exponas. Constat apud omnes, quod sic obligeris, & afferunt præcipuè Suarez disp. 14. de fide sect. 2. & Castrus Palao vbi supra. Par autem 203 est ratio ex mente eorundem, si ob non confitendam à te fidem publicè, similem pusillanimitatis oppressionem, & simile periculum negandi fidem aliquis fidelis sit subiturus.

204 Infero tertiò, quoties à proprio, aut extraneo Rege, seu Superiore, vel à potestate publica interrogatur fidelis in particulari etiam secreto de fide sua, tenetur eam manifestare. & non est ipsi licitum ita respondere verbis ambiguis, quamuis retentione mentis facta, vt appareat negare fidem aliquo modo. Probatur efficaci ratione, quia negatio fidei semper est per se, & intrinsecè mala, etiamsi ambiguè respondendo, & solum extrinsecè per apparentiam fiat; & aliundè ex manifestatione, seu cõfessione eius in casu posito, cum à potestate publica quis de fide examinatur, magnus Dei, & fidei nostræ honor separari potest, neque ad hunc effectum efficacior occasio, aut magis opportunũ tempus occurrere posse videtur, ergò tunc tenetur eam manifestare, & publicè confiteri. Ita Valentia 2.2. disp. 1. q. 3. punc. 2. Bannes ibi q. 3. art. 2. dub. 1. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. q. 1. Sanchez referens alios lib. 2. in Decal. cap. 4. num. 6. & videtur expressa sententia D. Thomæ 2.2. q. 3. art. 2. estq; multo probabilior, & ferè omnium communis.

205 Quamquam non sine aliqua probabilitate tres ex magis recentioribus, nempè Coninch. 2. 2. disp. 15. dub. 5. concl. 6. Lorca disput. 24. num. 21. & Castrus Palao vbi supra punc. 14. hoc sic limitant, quod regulariter loquendo nõ teneatur quis manifestare suam fidem, quoties à Principe, vel Superiore infideli interrogatur de ea, vt interrogatus ob hanc causam vexetur, sed potest ingeniosè occultare, ita tamen 206 vt non appareat ab ipso fidem negari. Ratio est, quia non insurgit obligatio ex præcepto ipsius Principis, seu Superioris infidelis, vt per se constat, neque ex præceptis ipsius fidei explicatis, non ex negatiuo, cum non prohibeat te dissimules, seu occultes fidelem, sed tantum nè positiuè te ostendas infidelem; non item ex affirmatiuo, cum hoc solum obliget, quoties non confitendo fidem exterius, honor Dei, vel bonum proximi debitum substraheretur, at talis substractio, vt supponitur, non contingeret in casu præsenti, ergo potest ingeniosè se occultare, cum nulla sit præsumptio apud alios quod fidem neget, seu quod intendat videri negare.

207 Quarto infero, quod certum sit de fide licere tibi fideli fugere Tyrannum, ne circa fidem te examinet, aut ob eam tormentis afficiat. Patet ex illo Matth. 10. *Cum vos persequentur in Ciuitate ista, fugite in aliam*: sicque fugerunt, vt exemplificat Castrus Palao loco citato, Apostolus Petrus, etiam in carcerem iam detrusus, & alij Sancti, imo & Christus Dominus Matth 4. & Ioannis 10. Ratione etiam, quia nullo præcepto est prohibita hæc fuga, cum non sit contraria fidei, nec huius nega-

208 tionem indicet. Quid quod talis fuga sæpe potest tibi esse conueniens, & obligatoria ex varijs capitibus, vt si aliorum saluti adiutorium sis allaturus, vel si ob tuam imbecillitatem cum fundamento timeas, quod sis fidem negaturus, iuxta cap. sciscitaris 7. q. 1. vel si fugiendo credas postea magis fidem promoturus, vel denique si probabiliter conijcctes fore, vt ex tua examinatione, & publica fidei confessione Tyrannus valdè irritetur contra Christianos, & aliqui istorum ob hanc causam

209 à fide deficiant. Quæ doctrina quamuis in Pastoribus etiam aliquando locum habeat, vt ex adductis exemplis innotescit, iuxta illud tamen Ioann. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis*; secus verò mercenarius, qui dimittit oues, & fugit, magna obligatione fere semper astringuntur pastores, etiam cum vitæ periculo, oues non dimittere; maximè si sit dubium, quod dimissæ fidem amittant, tradunt copiosè hæc omnia Suarez disp. 14. de fide Coninc. disp. 15. dub. 5. & Castrus Palao citatus punc. 15. apud quos videas. Atque hactenus de contentis in titulo cap. 9.

CA-

CAPVT X.

De obligatione emittendi publicam fidei Catholicę professionem: & de prohibitione disputandi circa res eius, sæcularibus præsertim personis iniuncta; atq; quando, & qualiter hæc disputatio licita, vel illicita.

PROOEMIOLVM.

1 HÆc duo hic tanquam in proprio loco expendenda necessariò, supersunt pro complimento do-ctrinæ tribus præcedentibus capitibus traditæ circa materiam fidei Diuinæ, priusquam in commentatione edicti Sanctæ Inquisitionis vlterius progrediamur. Eorum enim notitia Consul-ribus Sancti Officij sine dubio expediens censetur; & quidem prioris de emittenda fidei professio- non solum ad qualificandum, quod est proprium præsentis libri, sed etiam ad terminandum no- nullas causas huius Sacri Tribunalis; cum in eo varij inquisiti, aut spontè venientes, cum sola fi-
2 professione, absq; vlla abiuratione expediantur, vt infra lib.5. Deo dante videbimus. Posterio- verò de disputatione circa res fidei notitia expediens Consultoribus ad conuincendum hæretico- vel Apostatas, maximè cum in carceribus Sancti Officij pertinaces, & obstinati circa suos error- persistunt.

Curati, & Canonici Cathedralium, quando, & sub qua pœna professionem fidei emittere obligantur.

REGVLA LXXXIII.

3 IVxtà dispositionem Tridentini sub mortali tenentur intra bimestre facere publicam fidei professionem omnes prouisi de quibuscumque beneficijs curam animarum habentibus: item prouisi de dignitatibus, & Canonicatibus Ecclesiarũ Cathedralium, sub pœna transacto bimestri, incapacitatis percipiendi eorum fructus.

---

4 DIsponit Trident. circa hoc sess. 24. cap. 12. de reformatione, atque talis dispositio Concilij cum ad excellentissimum finem dirigatur nempe ad exaltationem, & promotionē fidei Catholicæ, & ad errorum quorumcumq; extirpationem, nullum proinde dubium, obliget sub culpa mortali, quod etiam manifestè patet ex pœna transgressoribus iniuncta. Ita relatis alijs Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 5 num. 1. Bonacina disp. 5. de fide q. 2. punc. 3. num. 14. & Castrus Palao tract. 4. de fide disput. 1. punc. 19.

5 Sub particulà prouisi de beneficijs, dubitant aliqui, an Episcopi, Archiepiscopi, Primates &c. comprehendantur? Sed parum refert quidquid quis huic dubio neganter, vel affirmanter respondeat: iam enim ipsis ab eodem Tridentino sess. 25. cap. 2. de reformatione iniungitur, vt in Synodo Prouinciali coram omnibus, quibus de iure, vel de consuetudine ei interesse
6 competit, fidei professionem faciant. Verum cum hoc executioni mandare esset difficile, saltem illicò, eò quod in diuersis partibus Christianitatis Synodus Prouincialis raro celebretur; opportunè dispositum fuit à Gregori- XIV. per Constit. incip. *Onus Apostolicæ seruitutis* §. 10. vt præmisso examine de fide, vita, moribus, doctrina &c. personæ ad Episcop-tum, &c. promouendæ, hæc professionem fi-dei facere teneatur, hancq; recipiat idem Prælatus, cui præcipuè tale examen com-sum fuerat, vel ex delegatione istius, si-distet, alius Prælatus, cui promouend- dignitatem, iam examinatus vicinior er- Castrus Palao vbi supra cum alijs.

7 Verùm quod dicitur in Trident. faciend- esse fidei professionem à prouisis de benefic- manibus Episcopi, vel eo impedito coram- cario, &c. non est intelligendum de neces- te, sed de conuenientia; nam quamuis i- impeditus non sit, recipi potest ab eius Vic- rio. Docet idem Palao cum Garcia ... Beneficijs cap. 3. num. 23. Et cum Barbo- potestate Episcop par 3. allegat. 61. num.

8 In alia parte dispositionis Tridentini, ex m- te eorumdem, Garciæ, Barbosæ, Palao, aliorum, sub Canonicis comprehenduntur q- cumq; illorum, quantumuis ab Episcopo exe- pti: item Canonici regulares; qui de Cano- catibus Ecclesiarum Cathedralium sunt p-
9 uisi. Non vero Coadiutores Canonicorum quamuis enim isti Canonici vocentur; prop- tamen, & verè, dum viuunt proprietarij; C- nonici non sunt, nec de Canonicatibus prou- cum solam coadiutoriam, & non Canonica-
10 possideant. Neq; item comprehenduntur p- uisi in Cathedralibus de portionibus, Capp- lanijs, & alijs beneficijs simplicibus. Deniq-
11 nec prouisi de Canonicatibus, & Dignitatib- Ecclesiarum Collegiatarum: nam Tridentinu- solum loquitur de prouisis in Ecclesijs Cath- dralibus, & non apparet vrgens ratio, cur facienda extensio ad Canonicos, vel dignit- tes illarum Ecclesiarum.

12 Dubitatur inter Doctores, an si iam sem- facta

facta fidei professione ex titulo beneficij Curati, vel Canonicatus, eam denuò tenearis emittere obtinens alium Canonicatum, vel beneficium? Non desunt, qui neganter respondeant, quos tacito nomine refert Castrus Palao ibidem. Sed probabilior est pars affirmans, quam docent Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 2. q. 8. & Garcia vbi supra cap. 3. num. 17. qui addit sic declarasse sacram Congregationem Cardinalium, estq; magis secundum tenorem Concilij, in quo nullum legitur verbum parti negatiuæ faciens. Quamquam secus erit, si capta possessione beneficij curati, intra bimestre assignatum ad faciendam fidei professionem, vel eo transacto adhuc ipsa non emissa, obtineas Canonicatum, cum facultate illud simul retinendi: Nam in hoc casu vnica professione fidei obligationi ex duobus titulis, qui tunc coniunguntur, prouenienti satisfacies; cum illi ad idem eodem tempore præstandum te obligent. Ita Castrus Palao punc. 19. citato cum Nauarro lib. 2. Consilio. sub tit. de Iureiurando, Consil. 12. Rodriquez quæstionum regular. tom. 2. quęst. 72. articul. 3. & Sanchez dicto cap. 5. num. 6.

Circa pœnam amittendi fructus beneficij, vel Canonicatus iniunctam à Concilio contra non facientes fidei professionem intra bimestre, notandum occurrit cum Garcia 3. p. de benef. cap. 2. num. 32. & Barbosa de potestate Episcop. p. 3. allegat. 61. num. 25. quod cum terminus duorum mensium incipiat à die captæ possessionis, dum hanc non capis etiam culpabiliter, haud pecces, nec pœnam incurras, ob non factam fidei possessionem. Accepta tamen

15 iam possessione, si intra bimestre professionem fidei non emittas, eo transacto statim peccare incipias, & fructus beneficij tuos non facere: nec professio postea facta adiuuabit ad illos iā perditos recuperandos. Nam hæc tantum habilitat ad nouos fructus percipiendos ex cap. Quam periculosum 7. quæst. 2. & tradit Sanchez ibidem plures referens.

16 Quod autem addit Trident. possessionem ei, qui omittit professionem fidei, non suffragari, intelligi debet præcisè tantum, quoad perceptionem fructuum, & non quoad alia; quia cum sit pœna, strictè est interpretanda iuxta tritam iuris regulam. Vnde sequitur si beneficiatus curam animarum habens per triennium bona fide possideat beneficium, licet nunquam professionem fidei emittat, confirmari eius titulum, & possessionem, ex regula de triennali possessione. Item sequitur Canonicum omittentem fidei professionem, non priuari iure ferendi votum in capitulo, nec alijs, quæ ratione canonicatus adepti, & possessi ei competunt. Ita Sanchez, citatus num. 8. & post alios Barbosa, qui in declarat. Concil. sess. 24. capit. 12. num. 7. affirmat sacram Congregationem sic declarasse.

19 Verum diuisi sunt Doctores circa difficultatem hic insurgentem, an qui ob omissam fidei professionem inualidè percepit fructus, teneatur statim, non expectata Iudicis sententia, saltem declaratoria criminis, eos restituere? Affirmanter, & non sine probabilitate respondent Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 2. q. 1. Vgolinus de off. & potestate Episcopi cap. 5. §. 16. & alij: ducuntur inde, quia quiuis rem non suam tenetur statim in conscientia restituere; sed iuxta decretum Concilij taliter omittens fidei professionem, non facit fructus suos; Ergo si percipiat, non sunt sui, ergo ante omnem Iudicis sententiam, debet eos restituere, item quia alioquin possessio ei suffragaretur, quod est manifestè contra dispositionem Tridentini.

20 Probabilior tamen, & benignior est pars negans, quam defendunt multo plures, præcipuè Nauarrus conf. 12. num. 1. de iureiurando, Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 5. num. 10. Rodrigues qq. regul. tom. 2. q. 72. num. 3. Barbosa vbi supra num. 28. & Castrus Palao punc. 19. citato Probant hac ratione, quia decretum Tridentini, cum sit pœnale, quantum potest benignè interpretari debet; at nullum est inconueniēs, si interpretetur, quod non faciat fructus suos, nec possessio ei suffragetur post declaratoriam sententiam, & non antea; ergo sic erit exponendum.

21 Sumitur etiam indicium ad idem confirmandum, quia vt benè ibidem notat Sanchez, Concilium nihil circa hoc exprimit in proposito decreto, sicut expressit in illo alio sess. 23. cap. 1. de reformatione contra non residentes, quod ante vllam Iudicis sententiam obligentur ad restituendos fructus, si quos perceperint; ergò non videtur esse mens Concilij omittentes professionem fidei hoc modo ad restitutionem obligare.

22 Equidem respectu illius, qui inculpabiliter dictam professionem fidei non fecit, eo quod obligationē ipsam faciendi inuincibiliter ignorauerit, certa omnino censetur doctrina posterioris partis negantis, & non obligantis restituere fructus ante sententiā iudicis, ob eam rationem, quia priuatio fructuum est pœna, quæ infligi non potest, vbi nulla præcessit culpa. Sic multi auctores, quos adducit, & sequitur Barbosa citatus num. 29. præcipuè Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 2. q. 2. & Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 5. num. 13.

23 Qui duo optimè inferunt, si procurator cui mandasti facere tuo nomine fidei professionem (supposito quod per procuratorem fieri possit, vt regula 85. videbimus) eam etiamsi malitiosè non fecit, te inscio absque tua culpa, nequaquam te amittere fructus perceptos, quia est eadem ratio.

24 Notanda denique duo pro complemento declarationis decreti Tridentini, primum sub nomine fructuum, quibus omittens professionem fidei priuatur, non comprehendi distributiones quotidianas, nec anniuersaria; quia hæc non sunt, propriè loquendo fructus canonicatus, aut præbendæ, sed ministerij personalis: intelligitur ergo decretum Concilij de fructibus, in quibus grossa consistit. Ita citati Azor. q. 3. Sanchez num. 10. & Barbosa dicta allegat. 61. num. 30.

25 Notandum secundò prædictos fructus, quāuis Concilium non determinet, esse restituendos pauperibus, vel applicandos fabricæ Ecclesiæ

clesiæ, aut alteri pio loco: ita adducti Azor, &
26 Sanchez. Sed intelligitur de fructibus, quos
beneficii Curati; & canonicatus habent extra
mensam Capitularem: sicut de similibus fructi-
bus perceptis à non residentibus ordinauit
Trident. sess. 23. cap. 1. de reformatione, vt ar-
bitrio Ordinarii, fabricæ Ecclesiæ, si indigeat,
aut alteri pio operi, vel pauperibus applicen-
27 tur. Verum si Canonicatus, aut dignitas ha-
beat fructus ex mensa Capitulari perceptos, ab
omittentibus fidei professionem, modo dicto,
restituendi sunt soli Capitulo, sicut & fructus si-
miles non residentium, vel excommunicatorũ
Ita Castrus Palao dicto punct. 19. cum Garcia
3. p. de beneficijs cap. 3. num. 40. & Barbosa vbi
28 supra. Qui adeo stricte hanc restitutionem su-
mit, vt asserat, quod non sit locus compositio-
nis cum ipso Capitulo, soluta aliqua tantum
parte, neque possit Ordinarius talem restitu-
tionem condonare.

Quid de dicta obligatione circa Prælatos Religionum, Rectores Vniuersitatum, Magistros, Professores, Promotos ac Promouentes ad gradum Doctoratus.

REGVLA LXXXIV.

29 EX vi iuris Pontificij obligantur pari mo-
do ad emittendam fidei professionem
omnes Prælati Regulares quorumcumq; Or-
dinum, etiam Militarium: quicumq; etiam
electi ad regimen alicuius Vniuersitatis, Do-
ctores, item, & Magistri, ac Professores cuius-
uis scientiæ, & artis liberalis, etiam gramma-
ticæ, atque qui priuilegio, vel gradu Doctora-
tus, aut Magistrij accepto, ad sic profitendum
30 promouentur. Sub pœnis, quoad promotos,
si eam omittant, nullitatis priuilegij, seu gra-
dus, & promotionis: quo ad promouentes, si
non emissa fidei professione, priuilegium con-
cedant, incurrendi excommunicationem latæ
sententiæ, & amittendi omnia beneficia, di-
gnitates, officia, & feuda Ecclesiastica, cum
inhabilitate ad alia obtinenda.

31 POntificium ius, ita obligans, continetur
in duplici motu proprio, altero incip.
Iniunctum nobis, quod est 89. Pij IV. altero
vero inchoan. *In Sacrasancta*, quod Thomas
Sanchez, & Castrus Palao ex mente Rodriquez
qq. Regular. tom. 2. q. 72. art. 2. Pio V. tribuunt,
sed id æquiuocè, pace tantorum virorum dixe-
rim, seu fortè ex errore typographi, cum Laer-
tius Cherubinus, exactissimus Bullarum Ponti-
ficiarum collector, inter Constitutiones Pij IV.
hanc etiam *In Sacrosancta*, prius 88. loco re-
32 ferat. Per illam, *Iniunctum nobis*, *præcipit
Papa omnibus Prælatis cuiusuis Ordinis etiam
militaris fidei professionem emittere*. Sic tra-
dunt Nauarrus lib. 1. Concil. & de Iureiuran-
do conf. 10. in nouis, Rodriquez citatus, Ema-
nuel Sà, & alij citandi.

33 Verum intra quod tempus vrget obligatio
eam emittendi? Non exprimitur, à Summo
Pontifice; Sanchez tamen lib. 2. in Decal. cap.
5. num. 3. conformiter ad Decretum Concilij
Tridentini benè ait sufficere, si intra bimestre
ab accepta possessione Prælaturæ, eam Præla-
34 tus emittat. Quod adhuc etiam intelligen-
dum est pro illis Religionibus, in quibus, vt re-
fert Petrus de Ledesma tom. 2. Sum. trac. 1. cap.
4. consueuit à Prælatis emitti, si quæ sunt,
quod dubito. Nam Capuccinus super priuileg.
mèdicantium verb. professio fidei, notab. 1 ab-
solutè affirmat non esse in vsu, & se circa hoc
Sacram Congregationem, & viros doctos con-
suluisse: hancque assertionem Capuccini ex par
te approbat Sanchez adductus per verba se-
35 quentia. *Dicendum est in Religionibus, in
quibus ea consuetudo non est, non teneri prædi-
ctos Prælatos eam fidei professionem emittere.
Quod vel id Decretum in eis receptum non sit,
vel consuetudine abolitum, vt Capuccinus, &
per eum relati sentiunt*: hactenus ibi Sanchez,
cui adhęreo.

36 Per alium motum proprium, in Sacrosancta,
&c. Pius IV. fidei professionem emittere præ-
cipit omnibus Doctoribus, Magistris, Regen-
tibus, & alijs cuiusuis artis, ac facultatis pro-
fessoribus, siue Clericis, siue laicis, siue Regula-
ribus in Vniuersitatibus, aut Gymnasijs publi-
cis, vel alibi priuatim, cathedrã ordinariã, vel
extraordinariã Theologiæ, Canonũ, Iurisci uilis
Medicinæ, Philosophiæ, Grãmaticæ, &c. assequi
aut iam obtentam retinere volentibus. Ita ex-
plicant, & extendunt hoc præceptum Manuel
Rodriquez qq. Regul. tom. 2 q. 72. art. 2. Capuc-
cinus vbi supra, notab. 4. Sanchez citatus, &
alij multi.

37 Quamquam nimis ipsum extendit idem Ro-
driquez quoad pœnas excommunicationis la-
tę sententiæ, & alias, transgressoribus infli-
ctas: ait enim has conrrahere, tam promotos
ad Cathedras, quam promouentes. Sed falli-
38 tur egregius iste vir, vt cuiuis attentè legenti
dictum motum proprium manifestè patebit:
vndè benè dicit Capuccinus ibidem contra so
los promouentes, & permittentes eas fuisse
iniunctas, & promotos, præter peccatum, va-
liditate tantum priuilegij Doctoratus, vel ma-
gisterij, ac promotionis priuari, & meritò.

39 Addit autem ibidem Sanchez ex relatione
eiusdem Capuccini Congregationem Cardi-
nalium declarasse sub dicto Decreto compre-
hendi docentes prima Grammaticę, Arithme-
ticæ, Musicæ, & aliarum artium liberalium ru-
dimenta, etsi publicam scholam non faciant,
sed in proprijs domibus doceant; item cum
eodem Capuccino aduertit prædictam excom
municationem non esse Papæ reseruatam, &
posse absolui ea in nodatum auctoritate ab Epi-
scopo accepta.

40 Concludit nihilominus ipse Sanchez quoad
obseruationem, eodem modo dicendum esse
de hoc Decreto Pij IV. quo paulo ante dictum
est de altero eiusdem Pontificis, scilicet non
esse vsu receptum in aliquibus locis, ac proin-
41 de in illis non obligare. Quod ita esse sentio;
& ad-

& addo id prouenire, quod ab initio ignoratum fuerit ob defectum sufficientis publicationis in Diœcesibus particularibus; quod in alijs casibus circa Decreta, & Bullas Summorum Pontificum sine dubio non raro contingit, ponam exemplum, octo transierant anni, ex quo prodierat Bulla, qua Greg. X V. Festum Sanctæ Annæ sub pręcepto ab omnibus fidelibus seruari iniunxerat, & tamen in hac Diœcesi Melitensi ob ignorantiam, non seruabatur, nec hactenus fortè seruatum fuisset, nisi casu eam ad manum habuissem, & monitus Illustrissimus D. Episcopus Balthassar Cagliares de omissione executioni mandari curasset.

Potest ne fidei professio mediatè per procuratorem emitti? & sub qua forma emittendi obligatio?

REGVLA LXXXV.

42 OMnes prædicti ad professionem fidei emittendam obligati iuxta doctrinam duplicis Regulæ præcedentis, admodum probabile est, quod per legitimos procuratores id præstare possint: valdè etiam probabile, quod per se ipsos immediatè eam facere teneantur.

43 In ipsa autem emittenda, non est licitum vti quacumque forma ad libitum vniuscuiusque, sed ea tantum, quæ in Bullis Pontificijs pręscribitur, sub pœna per Tridentinum transgressoribus inflicta.

---

44 HOc est pręcipuum dubium, & magis controuersum inter Doctores circa rem istam de facienda fidei professione, an ad id obligatus possit eam emittere per procuratorem? Respondent affirmanter, & sanè magna cum probabilitate Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 2. q. 6. & Barbosa in praxi Episc. par. 2. verbo fidei professio num. 20. & de Canon. ac Dignitat. capit. 17. num. 5. plures referens pro hac sententia. Ratio est quia quidquid facere quis potest per seipsum, potest etiam facere per suum procuratorem, excepto vbi lex, aut Canon aliquis limitat. l. 1. ff. de procuratoribus cap. qui per alium, & cap. potest quis, de regul. Iuris in 6.

45 Vnde Iuramentum potest præstari per procuratorem, cap. final. de iuram. Columni in 6. cap. 1. §. verum de stat. regul. Matrimonium item similiter per procuratorem contrahere quis valet, etiamsi sit actio valde personalis, ergò pari modo fidei professionem emittere.

46 Negari tamen non potest esse etiam admodum probabile, quod immediatè per se ipsum quiuis obligatus, eam facere debeat. Ita auctor addition. ad Nauarrum in Consil. lib. 2. tit. de iureiurando Consil. 11. in nouis affirmās adesse declarationem Sacrę Congregationis, Vgolinus de officio, & potestate Episc. cap. 50. §. 16. num. 1. Garcia 3. par. de beneficijs cap. 2. num. 75. asserens sic tenuisse Rotam, & omnino negans fieri posse per procuratorem, Stephan. Gratian. discept. Forens. cap. 166. num. 22

47 Et Sanchez citatus absolutè id tenet quoad Episcopos, & alios Prælatos Maiores, perpensis verbis Bullę Gregorij XIV. pręcipientis, *si Prælatus, cui commissum fuerat examen, longè distet ab examinato, & approbato ad Episcopatum, hic ex delegatione illius, in manibus alterius Prælati vicinioris professionem fidei emittat, quod non præscripsisset Papa, si non obstante quacunque distantia per procuratorem coram Prælato Examinatore eam emittere posset*, ergo mens, & ordinatio Summi Pontificis est, vt immediatè per se ipsum Episcopus ipsam faciat:

48 Atque hinc sumitur, argumentum, idem esse quoad alios; funeaturq; in natura huius actionis emittendi fidei professionem, non solum, quod sit personalis, vti sunt illę pręstandi iuramentum, & contrahendi matrimonium; sed etiam taliter personalis, nempè iniuncta ab Ecclesia ad hunc finem, vt sic profitentes, indicata mentis credulitate, & interiori assensu, in fide stabiliantur, & magis ad eam seruandam obligentur; quod emittendo fidei professionem per procuratorem, non omnino complетè obtineri potest.

49 Tridentinum non expresserat formam peculiarem professionis fidei Catholicę, & per aliquod tempus durauit, vt posset vnusquisque pro libito breuiorem, vel longiorem efformare. Verum post Pius Quartus Constitut. Iniunctum nobis, opportunè formam profitendi fidem ab omnibus seruandam assignauit, abstulitque omnino facultatem aliquid adiungendi, vel aliter faciendi: sed visum est expediens integram hic apponere, prout ibi habetur.

Forma emittendi professionem fidei.

50 *Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum, Patrē Omnipotentē, factorem Cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei Vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas; & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis: Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & vnam Sanctam Catholicam; & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remis-*

missionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

51 *Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector Item Sacram scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, et interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto; nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum, accipiam, et interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, et propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, et Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.*

52 *Receptos quoq; et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, et admitto; Omnia, et singula quæ de peccato originali, et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatoriũ sacrificium pro viuis, et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem vnacum anima, et diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam Conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atq; integrum Christum, verumque Sacramentum*

53 *sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari: similiter, & sanctos, vnacum Christo regnantes venerandos: atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, et retinendas esse, atque eis debitum honorem; ac venerationem impartiendam. Indulgentiarũ etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram agnosco.*

54 *Romanoq; Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, et œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, et reiectas, et anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsentispontè profiteor, et veraciter teneo, eandem integram, et immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adiuuante retinere, et confiteri, atque à meis subditis, seu illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, et doceri, et prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, et hæc Sancta Dei Euangelia.*

55 Hactenus forma emittendi professionem fidei, quam recipi, & obseruari præcipit Pius IV. sub pœnis per Concilium Tridentinum aduersus contrauenientes latis videlicet, incapacitate sola, vt vidimus percipiendi fructus be-

56 neficiorum, vel Canonicatuum. Vnde istæ pœnæ contra non vtentes hac forma proposita in emittenda fidei professione, solum se extendunt ad prouisos de beneficijs, & Canonicatibus, imo non ad omnes: qui enim ex istis sunt Græci, si emittant fidei professionem, vti debeut alia forma à Gregorio XIII. per Constit. 33. incip. *Sanctissimus Dominus*, &c. postea præscripta, quæ multo longior est, continens varia capita contra errores peculiares Græcorum, schismaticorum, & hæreticorum: quam visum est opportunum diuisam per paragraphos sicuti diuidit Laertius Cherubinus, ad verbum hic referre.

Forma professionis fidei pro Græcis.

57 *Ego N firma fide credo, et profiteor omnia, et singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet.*

§. 1. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem factorem Cœli, et terræ visibilium omnium, et inuisibilium, etc. vt supra.

58 *§. 2. Credo etiam, suscipio, atque profiteor ea omnia, quæ sacra oecumenica Synodus Florentina super vnione Occidentalis, et Orientalis Ecclesiæ diffiniuit et declarauit, videlicet, quod Spiritus Sanctus à Patre, et Filio æternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, et Filio, et ex vtroq; æternaliter, tanquam ab vno principio, et vnica spiratione procedit. Cum id quod Sancti Doctores, et Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendat, vt per hoc significetur Filium quoque esse secundum Græcos, quidem causam, secundum Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut, et Patrem. Cumque omnia quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dederit; præter esse Patrem, hoc ipsum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Illamque verborum illorum Filioque explicationem veritatis declarandæ gratia, et imminente tunc necessitate licitè, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.*

59 *§. 3. Item in azymo, siue fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, sacerdotesq; in altero ipsum Domini corpus confi-*

cere

cere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem.

60 §.4. *Item si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint, antè quàm dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint: & omissis, eorum animas pœnis Purgatorij post mortem purgari, vt & à pœnis huiusmodi releuentur prodesse eis fidelium viuorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt, secundum Ecclesiæ instituta. Illorumq; animas, qui post Baptismasusceptum nullam omnino peccati maculā incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum, & Vnum, sicuti est; meritorum tamen diuersitate alium alio perfectius. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

61 §. 5. *Item Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*

62 §.6. *Insuper profiteor, ac recipio alia omnia quæ ex decretis sacræ Oecumenicæ Generalis Synodi Tridentinæ, Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia etiam vltra contenta in supradicto fidei symbolo, profitenda, ac recipienda proposuit, atq; præscripsit, vt sequitur.*

63 *Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissime admitto, & amplector.*

64 §.8. *Item Sacram Scripturam iuxtà eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione, sacrarum scripturarum admitto nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum patrum accipiam, & interpretabor.*

65 §.9. *Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta nouæ legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse.*

66 §.10. *Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.*

67 §. 11. *Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione à Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.*

68 §. 12. *Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substātiæ panis in corpus, & totius substātiæ vini, in sanguinē, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.*

69 §. 13. *Fateor etiam sub altera tantum specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.*

70 §. 14. *Constanter teneo, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari, similiter, et Sanctos vna cum Christo regnantes venerandos, atque inuocandos esse, eosq; orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.*

71 §. 15 *Firmissimè assero imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam.*

72 §. 16 *Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.*

73 §. 17 *Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac iuro.*

74 §. 18. *Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipue à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, simulque contraria omnia, & schismata, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, anathematizo, & abiuro.*

75 §. 19. *Hanc veram Catholicam Fidem, extraquam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissime, Deo adiuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo.*

76 §. 20. *Voueo, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.*

En formam professionis Fidei pro Græcis, circa quam nihil modo aduertendū occurrit; atq; pro prima parte huius capitis decimi de obligatione emittendi fidei professionē, dicta à nobis nunc sufficiant: recurret iterum sermo hac de re, cum lib. 5. de expedirione causarum Sancti

cti Officij per solam fidei professionem tractabimus: modo iam transitus ad secundam partem capitis de prohibitione disputandi circa res fidei.

Qualiter secularibus laicis disputare de rebus fidei cum infidelibus illicitum? qualiter secùs quandoque?

REGVLA LXXXVI.

77 PErsonis laicis secularibus illicitum est, & Iure Canonico prohibitum sub pœna excommunicationis quouis modo, publicè, vel priuatim disputare circa res fidei Catholicę,
78 maximè cum hæreticis, aut infidelibus. Potest tamen esse licita, & non prohibita talis disputatio Laico seculari docto in varijs casibus, vt si desinit Ecclesiastici, qui se opponant Hæreticis, si item ratione permixtionis hęreticorũ cũ Catholicis in eodẽ loco vsu disputandi inter ipsos abrogata sit lex canonica, & similibus.

---

79 TRactant hac de re Doctores cum D. Thoma 2.2.q.10.art.7. præcipuè Caetanus, qui optimè primo loco distinguit inter disputationem materialem, & formalem: quam distinctionem postea alij secuti sunt. Materialis disputatio dicitur ab eo, quæ fit in scholis quotidie exercitij causa ad acquirendam facilitatẽ in dicendo, & disputando ad acuenda inge-
80 nia. Verum hoc genus disputationis non spectat ad rem præsentem, cum haud soleat fieri à Catholicis contra hęreticos; sed inter ipsos Catholicos exerceatur: vide apud Suarez disp. 20. de fide, sect. 1. initio conditiones requisitas vt hoc exercitium ita disputandi sit licitum, & honestum.

81 Formalem autem disputationem vocat Caietanus, quæ fit ad inquirendam, vel defendendam, aut persuadendam veritatem. Vnde hæc egregiè à Suarez citato subdistinguitur in duplicem circa res fidei, eo quod ex duplici motiuo suscipi possit, primo ex motiuo dubitationis in disputante; quod hic dubitans circa res fidei, in disputationem eas ad-
82 ducat; vt sic veritas eruatur. Quod genus disputationis respectu Catholici disputantis de fide certum est, quod sit intrinsecè malum, & quibusuis personis prohibitum: nam non est locus Catholico dubitandi crca res fidei, cum dubius in fide sit infidelis: sed ex professo de hoc infra.

83 Secundò sumitur disputatio de rebus fidei ex motiuo conuincendi per eam, & suadendi alijs præcipuè Infidelibus res fidei, quas disputans certas omnino tenet, atq; de hoc genere disputationis quæri solet, an aliquibus tanquam illicitum prohibeatur? Cui quæstioni absolutè respondetur prohibitum esse sic disputare, præsertim publicè cum hæreticis quibuscumq; personis laicis secularibus sub pœna excommunicationis; & consequenter sub culpa lethali, cum sit materia grauis. Habetur expresè in cap. quicumque §. inhibemus quoque de hæreticis in 6. vbi pœna excõmunicationis transgressoribus iniuncta, non est ipso iure, sed ferenda. Habetur etiam pro-
84 hibitio in 6. Synodo Generali cap. 64. Sub nomine laicorum non comprehenduntur Clerici primæ tonsuræ, nec Religiosi laici, sic vulgari nomine vocati; quia verè laici non sunt, sed personæ Ecclesiasticæ, & priuilegio Clericorum gaudent Ita notant Suarez adductus, Sanchez lib. 2. in Decal. cap 6. num. 6. Coninch. disp. 18. dub. 9. num. 145 & alij.

85 Adhuc tamen non videtur sufficienter responsum ad quæstionem: sunt enim aliqui graues Doctores, vt Caietanus 2. 2. q. 10. artic. 7. dub. 1. Bannes ibidem, & Petrus Ledesma tom. 2. Sum. tract. 1. ca. 5. qui laicos seculares doctos à prohibitione dicti §. inhibemus, eximendos censent, & posse liberè cum hæreticis, & infidelibus circa res fidei disputare, hocque probabile iudicat Sanchez vbi supra, ducuntur hac ratione, quia in talibus doctis cessat finis legis, qui est defectus doctrinę in Laicis communiter repertus; ergo licita erit illis hæc disputatio.

86 Nihilominus omnino, & absolutè tenendum est laicos seculares quantumuis doctos esse sub illa prohibitione comprehensos: conuincitur triplici ratione efficaci, primo, quia sicut vetitum est laicos quantumuis doctos munus concionandi assumere, cap. cum ex iniuncto capit. sicut in vno, de hæreticis in 6. Ita & munus disputandi de rebus fidei contra infideles, vtrumque enim prohibetur ob eandem rationem, nempè ob decentiam doctrinæ sacræ, & non solum ob defectum scientiæ, vt in plurimum in laicis repertum: & hinc ratio contra-
87 riæ sententię soluta manet. Item quia laico indocto iam iure naturali erat prohibitum, sicut & clerico indocto disputare cum hæreticis; ergo cum in dicto §. inhibemus, hoc prohibetur Laico, & non Clerico, aliquid speciale intenditur laico, quod clerico licitum est; at nulla esset differentia inter istos quoad hoc, si prohibitio illius §. non se extenderet ad laicum doctum; ergo dicendum est necessario se exten-
88 dere. Tandem quia si semel concedas cuiuis laico docto, quod possit licitè cum hæreticis disputare de rebus fidei, quilibet laicus præsumet se sufficienti doctrina esse instructum, vt tales disputationes suscipiat, & sic prohibitio nullius erit momenti; ergo &c. Ita docent vt certum Gloss. in dicto cap. quicumque Dominic. & Franc. ibi num. 1. Valentia, 2. 2. disput. 1. quæst. 10. punct. 4. conclus. 2. Penna in direct. part. 1. quæst. 10. Cõmen. 25. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 26. quæst. 1. Suarez disput. 20. de fide sect. 1. Coninch. disput. 18. dub. 9. num. 145. Castrus Palao citandus, & Sanchez adductus plures referens, qui huic parti tantum, vt probabiliori adhęret.

89 Cęterum præcedens doctrina ex mente omnium pro aliquibus casibus in fauorem laici docti est limitanda: primò pro casu necessitatis, aut grauis, & euidentis vtilitatis, nempè vbi hæreticus fideles simplices suis dictis ad erro-

errores induceret, ac nullus adesset Ecclesiasticus, qui se opponeret, & illum frænaret, tûc Laicus doctus non solum posset; sed etiam teneretur ex præcepto charitatis debitæ proximis, & ex præcepto charitatis debitæ proximis, & ex præcepto Religionis, seu fidei despectæ huius partes suscipere, & disputando veritatem defendere. Ita adducti Valentia, Suarez, & Coninch, fauetque cap. Nolite timere 11. q. 3.

100 Limitando secundo doctrina illa pro locis, & terris, in quibus est magna permixtio Catholicorum cum hęreticis; ibi enim dicta lex Canonica prohibens laicis disputare cum hæreticis; consuetudine, & vsu contrario abrogata censetur; cum passim occurrat occasio hæreticos arguendi, & conuincendi, nè grassentur; ergo licitum erit fidelibus laicis doctis id præstare, imo aliquando obligatorium. Ita ijdem Doctores Suarez, Sanchez, & Coninch locis citatis, & Castrus Palao tract. 4. disput. 2. punc. 4. num. 8.

101 Tertiò limitanda pro casu, quo laicus doctus non propria auctoritate; sed iussus, vel rogatus à Clericis disputationem cum infidelibus aggreditur: nam tunc, cum nomine Clericorum cum illis disputet, non potest dici, quod ius docendi, aut disputandi sibi indecenter vsurpet; quæ est materia prohibitionis in d. §. inhibemus, vt deducitur ex Leone Papa epis. 62. c. vlt. ergò in tali casu non peccabit Laicus doctus disputando cum hęreticis: tradunt Suarez, Sanchez, & Castrus Palao vbi supra.

Licitane semper personis Ecclesiasticis dicta disputatio de rebus fidei? & vnde redditur aliquando illicita?

REGVLA LXXXVII.

102 VT plurimum licitum est, & nullibi Canonico iure prohibitum personis Ecclesiasticis, siue secularibus, siue regularibus, de rebus fidei orthodoxæ disputare cum hære-
103 ticis, vel alijs infidelibus. Continget tamen sæpè quod sit illicita illis, vel licita huiusmodi disputatio ex quadruplici capite, primò ex fine intento, secundò ratione ipsius disputantis, tertio attentis personis audientibus, quarto ex modo disputandi.

---

104 TAmetsi prohibitio dicti c. quicumq; §. inhibemus, non se extendat ad personas Ecclesiasticas, aliundè tamen videtur prohibita eis, & illicita disputatio cum hæreticis de rebus fidei, imo & de quibuscumq; alijs primò ex illo ad Titum 3. *hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est.* Vbi tantum concedit Paulus hæreticum monere, & non cum eo disputare, ac adhibita sufficienti monitione, prohibet cum ipso communicationem habere: atque hûc alludens Gelas. Papa in Commonitorio ad Faustum sic ait, *Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communicationis alienæ; dicente Apostolo, hæreticum hominem, &c.* Videtur etiam D. Paulus idem prohibere 2. ad Timoth. 2. *Noli*, inquit, *contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium, &c.* Eo quod huiusmodi disputationes tantum esse soleant contentiones, & pugnæ verborum, occasionemq; ruinæ
105 simplicibus præbeant. Hinc sæpè Sancti Patres hoc idem de euitanda disputatione cum hæreticis indicant, præcipuè D. Augustinus 15 contra Faustum cap. 12. D. Greg. 8. Moralium cap. 2. & D. Bernardus serm. 66. in Cantic. vbi contra hæreticos sic: *Nec rationibus conuincuntur; quia non intelligunt, nec authoritate corriguntur, quia non recipiunt, nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt.* Ex quo testimonio Bernardi, & ex alijs ratio ad idem ostendendum, breuiter formari potest, quia ex hac disputatione cum hæreticis moraliter loquendo, non speratur fructus circa ipsos; & aliunde timeri potest simplicium fidelium nocumentum; ergo non erit licita, tanquam otiosa, & contra charitatem, vtraq; pars antecedentis manifesta apparet ex dictis, & magis postea apparebit.

106 His tamen non obstantibus, vt certum omnino haberi debet, esse licitam personis Ecclesiasticis, imo valdè laudabilem disputationem cum hæreticis, & infidelibus quibusuis, ad fidem Catholicam tuendam, & ad istorum errores confutandos. Probatur primo ex Scriptura Sacra ad Tit. 1. vbi de Episcopo ait Apostolus, esse oportere *amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt possit eos, qui contradicunt, arguere*, Quæ arguendi actio nequit fieri sine aliqua disputatione. Item D. Petrus 1. Canonica cap. 3. de omnibus affirmat sic, *Parati ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in vobis est*, spe, alij legunt, fide, vtroque modo alij, vt D Thomas 2. 2. q. 2. art. vlt. & Fulgen. lib. 1. ad Fasimundum cap. 1. qui particulam, iuxtà vulgatã ad satisfactionem, legit. ad responsionem. Actio autem satisfaciendi, vel respõdendi haud dubiè disputationem aliqualem indicat. Ad
107 huius confirmationem conducunt exempla Christi Domini Matth. 22. vbi de diuinitate sua cum Pharisæis disputat, ex testimonio Psal. 109. eos conuincens, & Ioan. 8. diuersimodè contra ipsos argumentatur. Item Actor. 6. de Sancto Stephano dicitur, *Surrexerunt disputantes cum Stephano, &c.* ac de D. Paulo Actor. 17. disputabat in Synagoga cum Iudęis. Præ-
108 terea ijdem Sancti Patres non sibi contrarij, vt videbimus, hoc sæpius præstitere, & ad idem prestandum alios hortati sunt, maximè D. Augustinus epistol. 48. vbi ait, *Cum hæreticis verbis esse agendum. disputatione pugnandum, ratione vincendum*. Atque hinc lib. 14. de Trinitat. cap. 1. Theologicam scientiam valdè commendat, quod ad defendendam fidem, & confutandos hæreticos vtilissima sit, ac D. Bernardus serm. 64. in cantic. *Capiantur*, inquit, *hæretici non tam armis*, quam

quam argumentis. Denique ratione probatur, quia hæc actio disputandi cum hęreticis de rebus, ex se non est mala, imo ex varijs capitibus honestatem recipere potest, vt statim dicam, ergò licitum erit eam exercere.

109 Signanter expressi in regula (nullibi canonico iure prohibitum) in iure tamen ciuili inuenitur, l.Nemo, Cod.de Sum. Trin. huiusmodi disputationem clericis prohibens: quod sanè mirum, & non admittendum videtur: proinde Azor.tom.1.lib.8.cap.26. q. 1. & Sanchez lib.2.in Decal.cap.6.num.8.absolutè affirmant eam legem, quod ciuilis sit, & de materia Ecclesiastica, non posse obligare, præsertim Clericos. Sed melius respondet Suarez disp.20. de fide sect.1. per sequentia verba: *Licet illa generalis doctrina vera sit, existimo tamen non rectè applicari ad illã legem: nam solũ probibet disputationes per se illicitas, quibus res certæ diffinitæque in Ecclesia, in dubium reuocantur, cum perturbatione fidelium, & Ecclesiæ. Vnde potius credendum est legem illam fuisse legitimè latam à Martiano Catholico Imperatore, & vt opinor, non sine consensu Leonis Papæ, qui de illa re ad ipsum scripserat, vt supra allegaui*: hæc Suarez, & allegatio intelligitur de epist.48. Sancti Leonis, relata ab ipso Suarez ad confirmandam doctrinam à nobis traditam quod sit illicita, & intrinsecè mala disputatio, cum hæretico de fide in rebus, iam ab Ecclesia definitis, vbi circa has Catholicus dispu-
110 tans dubitat. Atq; de huiusmodi disputatione possumus interpretari Sanct. Patres, Augustinum, Gregorium, Bernardum, & alios prohibentes quibusuis personis disputare cum infidelibus. Vel si mauis, dicito, quod sint interpretandi de disputationibus illicitis ex alijs capitibus, à nobis nunc exprimendis.

111 Quare erit illicita cuiuis etiam Clerico disputatio de rebus fidei cum hæretico ratione finis, si ea suscipiatur, non pro defendenda fide, aut mysterijs eius illi suadendis, vndè licita esse posset, sed ex praua intentione ambitionis pro obtinendo aliquo gradu honorifico, aut pro maiore æstimatione apud homines ac-
113 quirenda. Item erit illicita ex parte Clerici disputantis, si hic careat scientia requisita, & hinc, vel aliunde timeat, ne superetur, vel cõfundatur ab aduersario, tunc nullo modo se ingerere debet, nec talem disputationem admittere ad repellendum periculum amittendi fidem, vel saltem erubescendi.

113 Quænam autem scientia necessaria sit in Clerico, vt securè possit similem disputationem suscipere, arbitrio prudentis relinquitur, attentis circumstantijs, maximè pro qualitate materiæ disputandæ, & pro quantitate doctrinę in hæretico, seu infideli disputante: si enim hic sit ignarus, quæcumq; scientia in Catholico Clerico sufficiet. Tradunt contenta in hoc, & præcedenti numero Suarez, & Castrus Palao adducti.

114 Dein potest esse illicita disputatio clerico cũ hæretico ex parte audientium, vt docet D.Thomas 2.2.q.10. art. 7. vbi distinguit de disputatione priuata, seu secreta, nullo præter disputantes præsente, & de publica cum plures audiunt, vel saltem vnus, tunc si audientes sint indocti, & homines vulgares, cum regalariter his damnum obuenturum timeatur, nullo modo coram ipsis à persona Ecclesiastica cum hæretico suscipienda de rebus fidei est disputatio: tales enim auditores facilius argumenta in contrarium, quam rationes nostræ fidei, &
115 solutiones illorum percipiunt. Quid quod coram indoctis simplicibus disputationem magnis clamoribus cum arrogantia perfidi hęretici terminare solent, ergò regulariter illicita erit talis disputatio, & peccaminosa mortaliter, vt benè docet idem Castrus Palao punc.4. cum alijs (Sanchez dicto cap.6. num.10. peccatum solum veniale imprudentiæ in ea agnoscit) cum ex illa periculum vacillationis in fide, aut etiam peruersionis indoctis simplici-
116 bus possit prouenire, Secus si audientes disputationem sint personæ doctæ; tunc enim nullum damnum, sed potius vtile ipsis manabit, ergo erit licita. Ita cum D. Thoma dicto art.7. Caietanus, Valentia, ibi disp.1. q.10. *pun.* 4. Suarez disp. 20. de fide sect. 1. & *alij communiter*

117 Tandem ratione modi, quo executioni datur ex parte Catholici disputantis, erit illicita, vel licita disputatio de rebus fidei cum hæretico, aut infideli, explicat modum licitum Suarez citatus, nimirum si mediocritas seruetur in disputando, vt sic disputatio sit fructuosa, quod sequitur, si sententijs potius, & rebus
118 quam verbis peragatur. Excedet autem mediocritatem, & erit illicita, si fiat non tam pondere rationum, quam multiplicitate verborum contra illud iam supra adductum 2. ad Timoth 2. *Noli contendere verbis.* &c. Item si
119 ex modo dicendi appareat quod Catholicus disputans intendat potius aduersarium vincere, quam errorem eius superare cum indicio superbiæ, non seruato documento D. Hieronymi lib.1. contra Pelagium, circa medium, *non de aduersario*, inquit, *victoriam, sed contra*
120 *mendacium quæramus veritatem*. Vltimo illicita aliqualiter erit disputatio per excessum, si nimio feruore, vel nimia tarditate disputetur. Quare vt sit licita ex vtroque extremo, quod conducit, sumi debet, vt docet Sanctus Greg.Naziaz. orat.26. de moderatione in disputatione adhibenda. Atq; hactenus de contentis in titulo Capitis decimi.

CAPVT XI.

De infidelitatis natura, & multiplicitate, ac de omnibus spectantibus ad infideles, non baptizatos, maximè circa casus, in quibus Inquisitores fidei contra eos procedere possunt.

PROOEMIOLVM.

1 AGgredimur iam explicationem criminum fidei Catholicæ oppositorum, circa quæ Consultores Sanctæ Inquisitionis qualificationem præbere solent; & contra quæ, seu contra personas eis effectas DD. Inquisitores procedere possunt, ac tenentur. Explicatio autem hæc procedet seruato ordine, quo talia crimina, vel personæ taliter criminosæ, iuxta edictum Sancti Officij indicantur denunciandæ huic Sacro Tribunali sub pœna excommunicationis, vt explicabitur infra à
2 quocunque alicubi cognoscuntur. Et quamuis nihil per ipsum edictum (vt iam in commentatione eius vlterius progrediamur) in particulari exprimatur de infidelibus, non baptizatis; comprehensi tamen sunt isti sub clausula illa generali, ferè vltimo loco posita, sic lingua vulgari. *Dichiarando, che per la sopradetta espressione de' casi da noi specificati da reuelarsi, come sopra, non escludemo gli altri casi spettanti al Sant'Offitio, che per altro, ne i Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de' Sommi Pontefici sono compresi*, idest, declarantes per expressionem casuum supradictorum, non excludi alios etiam denunciandos, in Sacris Canonibus, Decretis, Constitutionibus, & Bullis Pontificijs comprehensos, &c. quales sunt spectantes ad infideles non baptizatos. Verum
3 cum infidelitas sit quid commune, & genericum ad hæresim, & apostasiam baptizatorum, quę sit eius natura, quamque multiplex ipsius species, & quandonam infideles non baptizati sub potestate, & iurisdictione Inquisitorum comprehendantur, merito primo loco inuestigamus.

Quid infidelitas? quomodo fidem excludat? & quale peccatum?

REGVLA LXXXVIII.

4 GEnericè sumpta infidelitas congruenter definitur, quod sit peccatum ex sua natura fidem supernaturalem excludens, tanquã ei prorsus oppositum. Exclusio vero ista dupliciter fieri potest, per omissionem scilicet, vel per commissionem; atq; hinc multiplex diuisio infidelitatis, quocumq; tamen modo fiat, ex suo genere grauissimum est peccatum.

---

5 NE sit æquiuocatio in nomine, duplex est est infidelitas altera virtuti morali fidei, seu fidelitatis contraria: hinc infidelis, qui non seruat fidem, seu promissionem, iuxta illud Isaiæ primo, *Principes tui Infideles*, & illud Ecclesiast. 5. *Displicet Deo infidelis, & stulta*
6 *promissio*. Altera infidelitas opponitur fidei virtuti Theologicæ, & ab ea dicitur infidelis, quicumq; abijcit fidem hanc diuinam, iuxta illud 1. Corint. 7. *Si infidelis discedit, discedat*, & 1. Timoth. 5. *Factus est infideli deterior*: atque de hac infidelitate, & de huiusmodi infidelibus in præsenti agimus.

7 Proposita definitio infidelitatis traditur cõmuniter à Doctoribus, præcipuè à Suarez disp. 16. de fide section. 1. & à Castro Palao tract. 4. disput. 2. punct. 1. atq; expendenda nunc per partes, vt clarius natura illius innotescat. Coniungendo autem primam partem de exclusione fidei diuinæ, quæ est præcipuè de essentia eius, cum vltima, quod sit grauissimum peccatum, ex hoc ipso maxima eius grauitas ostenditur, quia vt benè ait idem Castrus Palao, excludit medium, nempè fidem, simpliciter necessarium ad salutem, quod debet quilibet homo suscipere. Vnde in confirmationem testatur Christus Dominus Ioan. 5. *Qui non credit, iam iudicatus est*, idest, iam habet super se iudiciũ
8 & condemnationem. Vide Suarez tota sect. 2. egregiè ostendentem cum D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 3. qualiter excepto odio Dei, quod est contra charitatem, seu amorem ipsius, peccatum infidelitatis superet in grauitate malitiæ quæcumque peccata quibusuis virtutibus tam moralibus, quàm Theologicis quomodocumque opposita.

9 Verum teste eodem Suarez intelligitur ex suo genere, & regulariter, loquendo; nam in indiuiduo non est dubium, quod aliquis infidelitatis actus, saltem ex ignorantia culpabili, vel ex omissione proueniens, vt declarabitur statim, excedatur in malitia ab aliquo vitio contrario virtuti morali. Ponit exemplum D. Augustinus lib 4. de Baptismo cap. 5. in peccato auaritiæ, & probat peccata mortalia fidelium posse esse grauiora peccato infidelitatis, quandoquidem grauius ob ea puniuntur, vt habetur in cap. scimus 12. q. 1 ergo, &c.

10 Ad declarandum verò qualiter infidelitatis peccatum per omissionem, & commissionem fiat distinguenhum valdè generaliter de duplici modo excludendi fidem; vnde oritur prima diuisio infidelitatis in duo quasi genera eius.

11 Vnus modus vocatur à Suarez materialis, seu ex parte materiæ, quando scilicet infidelis penitus materiam fidei ignorat, & nihil de prima veritate, aut de reuelatione eius inculpabili-

biliter audiuit; quia tamen fidem excludit, est in eo vera infidelitas, materialis tamen prorsus, vel negatiua, sic vocari solita; atq; hæc an dari possit, & qualiter Regula sequenti
12 expendetur. Alter modus excludendi fidem est formalis, seu ex parte obiecti formalis, vt ait Suarez, & tunc incipit esse, quando infidelis, postquam habuit notitiam aliquam de Religione Christiana, aut de prædicatione eius, non curat eam quærere, & sufficienter inuestigare, vt debet; ac sic fidem excludit culpabiliter, fitque propriè infidelis, atq; hæc communiter vocatur à Doctoribus infidelitas formalis, vel proprius priuatiua.

13 Rursus ad prædictum modum excludendi diuinam fidem culpabiliter non curando de eius inuestigatione, addendus est alius peccaminosior, nempè vbi post auditam Euangelij prędicationem, & post sufficientem propositio-
14 nem rerum fidei, huic infidelis resistit. Atque hinc alia diuisio infidelitatis in duas quasi species, in infidelitatem scilicet priuatiuam, specificè sumptam; & in infidelitatem contrariã, sic vocari consuetam; illaque contrahitur per omissionem, hæc verò per commissionem. Probatur breuiter vtrumque, quia duplex est præceptum fidei diuinę, vt supra vidimus, vnum affirmatiuum audiendi res fidei, & credendi; ex cuius violatione prouenit per omissionem infidelitas priuatiua, vt per se patet: alterum negatiuum non discedendi à fide, nec credendi aliquid contrarium reuelatis, ex cuius transgressione oritur per commissionem infidelitas contraria, vt etiam ex se constat, ergò ratione omissionis, & commissionis excluditur fides, & contrahitur infidelitas.

15 Peccatum deniquè dictæ infidelitatis contrariæ dupliciter committi potest, & hinc alia diuisio infidelitatis in duas quasi species, primo discredendo, vel credendo falsas esse res fidei, quæ proponuntur, vbi apertissimè cernitur peccatum infidelitatis per commissionem, & hic modus coutrahendi eam ex commissione est
16 proprijssimus. Secundo nec discredendo, nec credendo; sed suspendendo actum, per iudicium tamen, quo infidelis iudicat posse esse falsas res fidei, quæ propositæ ei fuerunt, ergo non per omissionem, vt prima fronte apparet; sed per commissionem talis infidelitas contraria insurgit. Tradita hoc, & præcedenti numero ex communi mente Doctorum, præcipuè D. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 2. & sequentibus, docet Suarez disp. 16. de fide sect. 1. cum Caietano ibi.
17 Qui tertium modum contrahendi hanc infidelitatem adiungit, nempè dubitando circa res fidei, & hunc subdiuidit in triplicem ex opinione, & suspicione, & ex neutro: Verum benè eum refutat Suarez, & reducit istos ad duos primos modos.

Quænam infidelium actiones, & quæ infidelitas possit esse sine peccato, etiam circa res lumine naturali notas?

REGVLA LXXXIX.

18 Nequaquam in Infidelibus quæcumque actiones humanæ sunt peccaminosæ, imo nec ipsa infidelitas, si sit prorsus materialis, & negatiua. Hæc autem in pluribus eorum reperiri potest non solum circa res fidei, adeo supernaturales, vt tantum per reuelationem innotescant; sed etiam circa alias, quæ per vtrumqæe lumen reuelationis, & naturæ cognoscuntur.

---

19 Hæretici nostri temporis, præcipuè Lutherus, teste Prateolo verbo Lutherani errores erroribus adiungendo, vt gratiam Christi Domini videantur extollere, & vt meritum, satisfactionem, & impetrationem boni operis ex parte nostra totaliter auferant, ausi sunt impudenter affirmare omnia opera à quouis homine etiam iusto facta esse peccata, quãto magis si à peccatore, si ab infideli fiant.
20 Dicuntur maximè circa opera infidelium (de quibus nunc nobis sermo, omissis alijs) aliquibus locis scripturę sacræ perperam intellectis, vt illo Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*: quod de fide Theologica interpretatur D. Augustinus, & ex illo Hebr. 11. *sine fide impossibile est placere Deo, & ex alijs, ergo &c.*
21 Cæterum non solum vera, sed etiam apud omnes auctores catholicos omnino certa est opposita doctrina: quod non quæcumq; actiones humanæ infidelium sint peccaminosæ. Tradunt cum D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 4. ibi Caietanus, & Valentia tom. 2. disp. 1. quæst. 10. punc. 2. ac Bellar. lib. 5. de gratia cap 9. Videturque res definita de fide, cum Pius V. & Gregorius XIII. vt refert Suarez citatus inter alias assertiones Michaelis Baij, hanc vniuersalem negatiuam damnauerint, quòd in nullo infideli possint esse opera bona. Nam vrgent in contrarium loca scripturæ, Rom. 2. *Gentes*, inquit, *Apostolus, quæ legem non habent naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*: & in ipsa scriptura aliquando infideles ad opera ex se bona excitantur, Daniel. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*; ergo supponit posse ab eis fieri sine peccato. Fauet Tridentinum sess. 6 can. 7. damnans dicentes *omnia opera, quæ ante iustificationem*
22 *fiunt, esse peccata*. Probatur efficaciter à D. Thoma pro quibuscũq; Infidelibus, siue cognoscẽtibus siue nõ cognoscẽtibus verũ Deũ; quia in his nõ est extinctũ lumẽ rationis naturalis, nec amissum liberum arbitrium, vti de fide certum tenet quiuis Catholicus, ergo possunt facere opera ex se moraliter bona, & referre ea ad bonum finem, nempe ad Deum, vel ad honestatem ipsius operis, aut virtutis, non adiuncto alio malo fine extrinseco, etiamsi fide diui-
23 na careant. Nam carentia hæc tantum facit, vt non possint placere Deo ad acquirendam iusti-

iustificationem, & gloriam æternam, sicq; ex mente Suarez, intelligitur illud Hebr. 11. *sine fide impossibile est, &c.* Illud vero Rom. 14. *Quod non est ex fide, &c.* exponit bene Pererius disp. 5. quod non est consentaneum fidei, aut contrarium fidei, vt alias expositiones nunc omittam. ergo non sunt peccata omnia opera infidelium.

24 Quid quod ipsa infidelitas non erit in eis peccaminosa, supposito quod hæc sit mere materialis, & negatiua, vt explicauimus Regula præcedenti. Quæ suppositio non admittitur à diuersis, vt à Gabr. in 2. dist. 22. q. 2. art. 3. Syluest. verb. ignorantia num. 13. & ab Adriano quol. 2. q. 2. ob eam rationem fundatam in axiomate Theologico, *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, quia si infidelis, quando peruenit ad vsum rationis, facit quod in se est, illuminabitur à Deo, & deponet infidelitatem, si vero non faciat quod in se est, iam peccabit, & imputabitur ei infidelitas; ergo hæc tunc non erit in eo materialis, aut negatiua, sed priuatiua, seu formalis cum peccato.

25 Nihilominus, vt communis, & vera admittitur ab omnibus ferè contraria sententia, quod sit concedenda infidelitas negatiua sine culpa in illis infidelibus, qui nihil penitus de rebus fidei, aut de reuelatione earum audierunt, siue sint ex eis, quarum cognitio per solam reuelationem habetur, vt mysterium Trinitatis, Incarnationis, &c. siue ex alijs, quæ vtroque lumine reuelationis, & naturæ innotescunt, vt Deum esse, omnipotentem, &c. Docet D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 1. ibi Caietanus & Valentia, Vasquez 1. 2. disp. 120. cap. 3. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 13. q. 2. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 16. num. 32. & Suarez disp. 17. de fide

26 sect. 1. ac 2. Ratio fundamentalis est, quia tales infideles, nullam vnquam habuerunt, nec potuerunt habere notitiam de obligatione credendi res fidei, vel sciendi eas per reuelationem; imo nec dubium vllum circa hoc eis occurrit; ergo violatio huius præcepti, seu obligationis est illis inuoluntaria; cum *nihil volitum, quin præcognitum*, secundum Philosophum; ergo non erit peccaminosa; cum sine voluntario peccatum esse non possit; ergo exclusio tunc fidei, & talis infidelitas eis non imputabitur, eritque negatiua.

27 Confirmatur prædicta doctrina soluendo rationem contrariam, & retorquendo argumentum, quia si infidelis, quando peruenit ad vsum rationis, non facit, quod in se est ex auxilio Dei ad obseruationem legis naturalis, Deus denegat ei gratiam illuminationis Diuinæ ad recipiendam fidem, & iustificationem; ergò tunc non peccat contra præceptum credendi, & non excludendi fidem, cum hoc nullo modo cognoscat, vt supponitur; sed contra præceptum aliquod legis naturalis; ex cuius violatione prouenit talis negatio illuminationis diuinæ, ergò non imputabitur ei infidelitas; sed erit materialis, & negatiua. Hæc quæ copiose tractantur in materia de gratia; nunc obiter, & compendiosè cum citato Suarez sint dicta.

Infidelitatis diuisio qualis? multiplexne in eodem homine inest? & an vna superet aliam in malitia?

REGVLA XC.

28 **Diuiditur infidelitas in Paganismum, Iudaismum, & Hæreticismum, non tanquam in tres species propriè dictas; sed accidentali tantùm modo differentes: estque sufficiens, & adæquata hæc diuisio. Nequeunt autem per se loquendo duo eorum simul in eodem homine reperiri, & multo minus tria. Tandem inter se quoad grauitatem criminis, se habent tamquam excedens, & excessum.**

---

29 Agentes supra de maiori euidentia credibilitatis Religionis Christianæ, quam cuiusuis alterius infidelium sectæ, iam hanc diuisionem infidelitatis trimembrem indicauimus, ac proinde in ea nunc expendenda nos breuiter expediemus, maximè cum de tertio membro nempè de hæreticismo, seu de hæresi non hic, sed sequenti capite simus ex professo acturi. Tradunt ipsam cum D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 5. communiter Doctores, ibi Valentia disp. 1. q. 10 punct. 5. Bonacina disp. 3. q. 2 pun. 6. Suarez disp. 16. sect. 4. & Castrus Palao disp.

30 2. pun. 1. Qui ex mente omnium sic explicat vt sit Paganismus, quando quis totaliter excludit fidem quoad omnia nullo mysterio eius excepto. Iudaismus verò, vbi quis credit his, quæ traduntur in veteri testamento, non tamen quæ in nouo: hæreticismus, seu hæresis, quando circa aliquam veritatem siue ex veteri, siue ex nouo testamento quis fidem reijcit.

31 Hinc vix vllum dubium apud auctores citatos, & alios de differentia inter prædicta tria membra propositæ diuisionis, quod sit non essentialis, aut specifica; sed tantum accidentalis ex parte materiæ, secundùm magis, & minus; quia omnes illæ sectæ habent eandem rationem formalem excludendi fidem, & huic eodem modo opponuntur: quicquid in contrarium absq; firmo fundamento Caietanus, & Bannes dicto art. 5. asserant.

32 De sufficientia, & adæquatione prædictæ diuisionis, & quod comprehendat hæc omnes casus infidelitatis, qui in præsenti possunt occurrere, constat per ordinem ad Christum, vti Deum & hominem, atq; fidei & salutis auctorem: quicumq; enim eius aduentum, eiusq; scripturas & figuras negant, sunt pagani; & ad hos reducuntur Turcæ, qui non admittunt Christum Redemptorem, reducuntur etiam Athei,

33 qui Deum nullo modo admittunt. Quicumq; item negant aduentum Christi, licet scripturas, & figuras ipsius approbent, sunt Iudæi.

34 Denique qui aduentum eius admittunt, dictis tamen eiusdem Christi integrè fidem non habent, hæretici censentur, ad hosq; spectant apostatæ, sicut etiam ad paganos, & Iudæos, vt ex dicendis capite sequenti clarius patebit, atque ideò non est membrum distinctum. Tradunt

dunt hęc pluribus Suarez, & Castrus citati.

35 Iudicat autem verum Suarez, & benè probat, per se loquendo non solum Iudaismum, cum Paganismo non posse esse simul in eodem homine, quod omnes concedunt, cum manifestam inuoluat repugnantiam, vt clarè patet; sed etiam nec Paganismum, neque Iudaismum simul cum hæresi; quia Christianus hęreticus credit Christum venisse, & esse redemptorem,

36 quod Iudæi, & Pagani negant. Vnde ab eandem rationem nequaquam hæc tria simul in eodem homine reperiri possunt. Et quamuis Caietanus hęresim cum Iudaismo, aut cum Paganismo concedat, fallitur tamen vir adeo doctus in eo, quod ad id fundandum assumit, nempè Apostasiam distingui ab hæresi, à Iudaismo, & à Paganismo, quod non ita esse cap. sequenti videbimus. Dixi per se loquendo

37 non coniungi simul Hæreticismum, & Iudaismum; per accidens tamen ex conscientia erronea in hoc vno casu non repugnat vtriusque simul coniunctio, scilicet sit infidelis Iudæus, quod non concedat aduentum Christi, ac proinde in Iudaismo maneat; & simul ob consciētiam erroneam non credat aliquid ex credendis in veteri testamento, & hinc fit verus hęreticus, ita idem Suarez.

38 Vltimo loco vnum verbum de grauitate istarum infidelitatum, cuiusnam sit maior? Equidem ex doctrina D. Thomę citati art. 6. clarè deducitur, quod se habeant tanquam excedens, & excessum, videlicet, quod intrinsecè, vt sit loquar, crimen hæresis sit grauius, quia ex suo genere committitur cum maiori cōtemptu; cum hęreticus admittat doctrinam Christi, & Apostolorum, atque maiorem habeat notitiam rerum fidei diuinæ, ergo grauius peccat errando proprio iudicio contra talem doctrinam. Confirmatur ex illo 2. Petri 2. *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitam retrorsum conuerti*, & D. Augustinus 12. de Ciuitate Dei cap. 25. *Peior*, inquit, *est desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille, qui non deserit,*

39 *quam nunquam tenuit*. Ob eandem rationē crimen Iudaismi grauius est crimine Paga-

40 nismi. Verùm extensiuè Pagani plus peccant quia in pluribus errant, atque plus Iudæi, quā hæretici, attenta eadem comparatione extensiua: ita Valentia 2. 2. q. 10. disp. 1. punc. 3. & Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 17.

An Ecclesiæ sit potestas prædicandi Euangelium apud quosuis Infideles? & cogendi eos ad ipsum audiendum, & amplectendum?

REGVLA XCI.

41 POtestatem, & ius habet Ecclesia Catholica prędicandi vbiq. legem Euangelicam, etiam in terris quorumcumqe infideliū, potest item moraliter loquendo, vi & armis compellere eos ad hoc, vt sinant prædicatores Euangelij ibi manere, & liberè prædicare fidem Christi Domini, absque persecutione, irri-

42 sione, aut alio damno ipsorum. Nequit tamen ipsa Ecclesia cogere ad audiendam prædicationem infideles non baptizatos (oppositum quoad subditos videtur certum) atque multo minus potest compellere ipsos ad amplectendam fidem Catholicam, & ad deponendos errores propriæ sectæ.

---

43 PRima pars clarè constat ex verbis Christi Domini apud Matth. 24. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso Orbe in testimonium omnibus gentibus*, apud Marc. vltim. *Prædicate*, inquit, *Euangelium omni creaturæ*: qui enim hoc pręceptum iniunxit, nempè Christus, dedit etiam potestatem id exequendi; ergo Ecclesia habet ius prædicandi Euangelicam legem vbique gentium per suos ministros Apostolicos: nec maiori indiget probatione res adeo certa.

44 Circa secundam partem Regulæ, apparet aliquale dubium, quia liberum videtur esse cuilibet Principi in loco suæ ditionis habitationem exteris concedere, vel interdicere; ergo expellendo inde prædicatores Euangelicos, nullam Ecclesiæ iniuriam inferet, maximè

45 si nullus sit, qui eos velit audire. Tractant pauci de hoc; Suarez disp. 18. de fide sect. 2. circa finem, & Castrus Palao disp. 2. punct. 5. nullum pro se, aut contra se citantes: & benè resoluunt posse Ecclesiam per se ipsam, vel medio aliquo Rege aut Dynasta Christiano cōpellere vi, & armis, si aliter fieri non potest, quemlibet Principem, vel Magistratum infidelem ad hoc, vt permittat commorari in suis terris prædicatores Euangelicos, & liberè ibi prædicare fidem Catholicam, si sint aliqui, qui velint audire; vti moraliter loquendo, nunquā

46 deerunt, qui voluntariè audiant. Probatur quia expellere prędicatorem à Regno, eo solo titulo, quod prędicare intendit, & impedire alios ne audiant eum, est manifesta iniuria fidei; & non exiguus Religionis nostræ contemptus; ergo ob talem iniuriam, & contemptum poterit Rex Catholicus nomine Ecclesiæ, etiam misso exercitu illum Principem, seu Magistratum infidelem debellare, & vsque ad priuationem proprij Regni, seu status comprimere &c.

47 Prędicta autem debellatio, & compressio multo magis locum haberet casu, quo Prædicatores Euangelicos eo solum, quod prædicare vellent, Princeps infidelis, aut eius subditi, de consensu, vel permissione ipsius, dehonestarent, blasphemijsque, irrisionibus, aut alijs damnis persequerentur, & sic prædicationem impedirent. Habetur expresè in iure canonico multis decretis 23. q. 8. & probatur, quia iure naturæ cuiuis concessa est facultas iura sua tutandi, & quæ sibi contraria sunt, expellendi; ergo Christiana Respublica ius suum prædicandi Euangelium, concessum à Christo Domino poterit prędicto modo defendere

& iniu-

& iniuriam sibi in suis prædicatoribus illatam vindicare, ita post Suarez, idem Castrus Palao.

48 Quibuscum primo notandum, quod sit indecens, & illicitum ex accidenti ratione scandali (licet per se licitum appareat) mittere Prędicatores ad populos infidelium, exercitu comitatos, ne iniuria afficiantur: quia meritò ipsi infideles timerent se esse debellandos, ni audiant prædicationem, & conuertantur; vnde conuersio eorum esset nimis coacta, & non li-
49 bera, neque forte ex corde. Quare omnino conueniens est ne cum huiusmodi securatione mittantur, sed Apostolico modo, sine strepitu
50 armorum, & potentia mundana. Quod si semel in infidelibus resistentiam, & persecutionem experti fuerint, tunc dicta securitas, vel alia rationabiliter adhiberi poterit, imò omnino expediet.

51 Notandum secundò ad hunc finem mittendi prędicatores ad partes infidelium, & modo dicto defendendi eos ibi, si opus fuerit factam fuisse iuridicè diuisionem ab Alexandro VI. & terras infidelium Orientis concessas Regibus Portugallię, Occidentis vero Regibus Castellæ, vt si resistentia, vel iniuria prędicatoribus Euangelicis fieret, possent eas occupare, vt re ipsa varias, optimo iure occuparunt, de quo tractant multi. Victoria relict. 1. super cap. vlt. Matth. nempè quibus titulis Barbari potuerint venire in ditionem Hispan: à nu. 12. Card. Bellarminus controu. 3. generali lib. 5. de Romano Pontifice cap. 2. & nouissimè Augustinus Barbosa par. 1. de potest. Episc. tit. 3. cap. 1. à num. 44.

52 Iam quoad obligationem audiendi prædicationem Euágelicam, primo concordes sunt Doctores, quod infideles non baptizati, & nullius Principis Christiani subditi nequeant ab aliquo, etiam Ecclesiæ nomine obligari, aut cogi ad eam audiendam. Probatur efficaciter; quia isti infideles sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ; & coactio non potest fieri sine iurisdictione; ergò relinqui debent in sua libertate, & non compelli legem Christianam audire. Tradunt, vt certum Valentia 2. 2. q. 10. disp. 1. punct. 6. Coninch. disp. 18. dub. 14. num. 225. Bonac. disp. 3. de fide q. 2. punct. 7. num. 3. & alij ab eis relati.

53 De Infidelibus verò non baptizatis alicui Principi Christiano subiectis est aliqua diuersitas inter ipsos Doctores: Suarez disp. 18. de fide sect. 2. & Bonac. vbi supra num. 3. probabile iudicat tales infideles subditos posse compelli ad audiendam fidem; quia obligatio huius audientię non videtur excedere iurisdictionem politicam, & temporalem: idem vt probabile tenet Bañes 2. 2. q. 10. art. 10. dub. 4. ad vnam tantum auditionem, & non ad plures
54 Oppositum absolutè, quod nullo modo possint cogi, sequitur Valentia citatus circa finem: vt probabilius vero hoc sustinet Castr. Palao dis. 2. punct. 5. citans pro se Salmeronē, & Coninch.
55 Ductus ea ratione, quia prædicatio, & auditio legis Euangelicæ ex se ad finem supernaturalem diriguntur, vt patet: at Princeps, seu Respublica tantum habet potestatem iure naturę respectu subditorum infidelium non baptizatorum circa spectantia ad ordinem, & finem naturalem, ergò non poterit istos constringere ad audiendam prędicationem Euangelicam.

56 Esset nihilominus ex mente eiusdem Castri Palao valde conueniens ad id suauiter ipsos, allicere, eximendo videlicet a tributo omnibus imposito, quemcumque ex eis audientem prędicatorem Euangelij; vti Romæ eximi à Papa, quemuis Iudæum, sic audientem, refert Castrus vbi supra; sed nescio vnde id ipse deducat, fortè prius ita fiebat; nunc tamen à viris Religiosis fide dignis etiam nostræ Societatis Iesu audio, quod Romæ compellantur Iudæi singulis diebus Sabbati interesse concioni pro ipsis haberi solitæ: ideo in Regula, per parenthesim dixi, videri certum.

57 Quidquid tamen sit de dicta potestate compellendi ad audiendam prędicationem infideles non subditos non baptizatos; illud certum, & commune est apud omnes, ferè Doctores, quod neque isti, neque alij infideles non subditi possunt cogi ab Ecclesia, aut à Principe Catholico vllo modo ad amplectendam legem Euangelicam, & ad deponendos errores proprios suæ sectæ. Docet D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 8. & 10. ac q. 12. art. 2. asserens ibi sub titulo infidelitatis bellum indici non posse, idem etiam Caietanus ibi, Valentia disp. 1. quęst. 10. punct. 7. Bañes art. 10. citato, dub. vlt. Suarez. disp. 18. sect. 3. 4. & 5. Coninch. disp. 18. dub. 14.
58 & Castrus Palao disp. 2. punct. 6. & 7. Ostenditur primo ex iure canonico, cap. sicut Iudæi, de Iudæis, & Saracenis, cap. qui sincera, cap. de Iudęis dist. 45. vbi non tam noua prohibitio quam declaratio prohibitionis Diuinę continetur; nam in cap. maiores de Baptismo expresse habetur, esse contra Christianam Religionem hos infideles cogere ad fidem suscipiendam.

59 Conuincitur idem per rationem in Scriptura sacra fundatam, quia Christus Dominus per illa verba, *Pasce oues meas*, Ioann. 21. solum concessit Petro, & successoribus eius iurisdictionem in rebus spectantibus ad fidem, & Religionem Christianam, circa eos, qui sunt intra Ecclesiam per Baptismum, vt omnes exponunt & aliunde, nec Pontifices, nec Superiores alij Ecclesiastici, aut Sæculares eam habent circa non baptizatos. Atque hinc affirmat Diuus Paulus 1. Corinth. 5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, Dominus iudicabit*: quasi dicat, omnino careo iurisdictione respectu eorum, qui sunt extra Ecclesiam; at sine iurisdictione non potest esse coactio; ergo nequeunt tales infideles non baptizati compelli ad recipiendam fidem diuinam, & ad deponendos errores proprios suæ sectæ.

60 Nota, quod signanter dixerim ad amplectendam fidem diuinam, & deponendos errores suæ sectæ proprios, nam ad amplectenda, & seruanda ea, quæ sunt iuris naturalis, & ad depellendos errores cōtrarios veritatibus Christiano, & infideli non baptizato communibus cogi sine dubio possunt, vt bene tradit Castrus Palao citatus punct. 5. vers. verum quia, &

punct. 5.

punct. 7. verſ. quod ſi, ac nos paulo poſt pluribus trademus, expendentes qualiter Inquiſitores contra ſimiles infideles iuriſdictionem habeant.

Qualiter Infidelis in Chriſtianos iuriſdictionem exercere non valet? qualiter ſeruꝰ?

REGVLA XCII.

61 QViuis Infidelis Catholico Principi ſubiectus nequit vllo modo in Chriſtianos iuriſdictionem exercere; priuatur item dominio ſerui ſui, ſiue vernaculi, ſiue empti tij imò, & proprij filij fidem Chriſtianam amplectentis: caret etiam facultate vtendi famulatu cuiuſuis fidelis; cum huic ſit prohibitum

62 ei famulari. Verum infidelis haud ſubiectus Principi Catholico non priuatur, nec priuari poteſt per ſe loquendo iuriſdictione, & dominio circa vaſſallos, aut ſeruos ſuos Chriſtianos; niſi adſit periculum proximum peruerſionis, aut ex alio crimino ſo capite.

---

63 DE tribus expreſſis in hac Regula reſpectu infidelis ſubiecti Chriſtiano Principi ſunt particulares, & manifeſtę deciſiones in iure: de primo, quod non poſſit exercere iuriſdictionem in Chriſtianos, deciditur ab Innocentio III. in cap. cum ſit nimis, de Iudæis, & Saracenis; vbi Papa præcipit, vt puniantur per Concilium Prouinciale illi, qui Iudæos, ac Paganos ad publica officia promouent; & vt Chriſtiani omnes abſtineant à communicatione cum infideli promoto, donec officium dimittat, & per illud acquiſita in Chriſtianos pauperes diſtribuat. Idem in cap, ex ſpeciali eodem tit. vbi diſponitur, vt ſi eis regalia vendantur, ad ea colligenda præficiatur Chriſtianus non ſuſpectus. Item in cap. nulla, diſt. 24. & cap. conſtituit 17. q. 4. vbi excommunicatio ferenda infligitur committentibus munera, & officia publica Iudæis: fauet tandem l. vltima Iuſtiniani, C. de Iudæis.

64 Sed magis ratio, in qua tam hęc ciuilis, quā illę leges Canonicæ fundantur, quia cum Princeps Chriſtianus ſit liber in committendis officijs publicis, & aſſignandis Iudicibus, atque aliunde Eccleſia per Romanum Pontificem, cui ipſe eſt ſubditus, eidem præcipiat, ne promoueat infideles ad talia officia, eo quod iſta promotio ſit contra dignitatem, & honorem fidei noſtræ, ac in eis ignominiam cedat, ad obſeruationem huiuſmodi præcepti ſine dubio ille tenetur.

65 Item de ſecundo, quod priuetur infidelis Chriſtiano Principi ſubiectus dominio ſerui ſui ſiue vernaculi, ideſt, nati ad ſeruitutem, ſiue ad eam empti, quamprimum hic ad fidem noſtram conuertitur, diſponit l. Deo nobis, C. de epiſt. & cler. & l. vnica, C. ne Chriſtianum mācipium: & confirmat cap. Iudæi il 2. de Iudęis, atque idem ampliat cap. nulli Iudęo, de Iudęis & Saracenis, vbi habetur, ſi ſeruus fidelis ab infideli ematur, non ad ſeruitutem, ſed ad mercaturam debeat vendi alicui fideli intra tres menſes, alioquin ſeruus liber ſine pretio

66 maneat. De amiſſione vero dominij reſpectu proprij filij, ſi fiat Chriſtianus, conſtat ex cap. maiores, de baptiſmo; ſicque diſpoſitum, vt liberetur filius à patria poteſtate, tum ad euitandum periculum peruerſionis, tum in fauo-

67 rem fidei Catholicæ. Et hæc cauſa etiam edendi dictas ſanctiones canonicas, ac ciuiles. Potuit enim ob eam Princeps Chriſtianus quē, cumque ſubditum infidelem reddere incapacem dominio, & poteſtate dominatiua ſerui, aut filij, cuiuſque fidelis; ſicut poteſt priuare dominio aliarum rerum ob bonum Reipublicæ, & rectam eius adminiſtrationem, vbi iudicauerit expedire.

68 Quoad tertium de priuatione famulatus fidelium, eo quod hi prohibeantur homini infideli famulari, habetur expreſſe prohibitio in cap. ad hæc, & cap. & ſi Iudæos, de Iudæis, & Saracenis: ſed intelligitur de famulatu domeſtico; & non extra domum, vt eſſe colonum ſiue aduentitium; ſiue originarium in terris hominis infidelis, vti expreſſe conceditur in ip. cap. & ſi Iudæos; & ratio eſt, vt benè notat Suarez ex communi ſententia diſp. 18. ſect. 5. quia in hoc famulatu extra domum non reperitur indecentia, nec periculum peruerſionis, ac in domeſtico; atque ob huiuſmodi indecētiam prohibetur mulieribus in eodem cap. & ſi Iudæos, eſſe nutrices filiorum alicuius infidelis; extatque eadem prohibitio in l. vlt. §. vltim. C. de epiſc. & cler. quæ omnia ſic deciſa, vt certa à Doctoribus communiter traduntur.

69 Vti certum etiam ab omnibus receptum traditur infideles non ſubiectos alicui Principi Chriſtiano, nec priuatos eſſe, nec priuari poſſe ab Eccleſia iuriſdictione temporali, quam habent in vaſſallos ſuos fideles ad ipſorum regimen. Probatur efficaci ratione; quia iure diuino ea priuati non ſunt, cum conſulat Sanctus Petrus illis ſubijci, 1. Petri 2. & D. Paulus aſſerat Rom. 13. eis inobedientes Dei ordinationi reſiſtere; ex quibus locis, & alijs etiam deducitur clarè quod nequeant priuari tali iuriſdictione ab Eccleſia, maximè cum huic non ſubdantur. Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 10. art. 10. Valentia diſp. 8. q. 10. punct. 8. & reliqui eius Expoſitores, Soto lib. 4. de iuſtitia q. 2. art. 2. Coninch. diſp. 18. dub. 10. concluſ. 2. Salmer. actor. 13. tract. 37. Suarez diſp. 18. de fide ſect. 5 & alij.

70 Nec obſtat, quod fideles infidelium vaſſalli ſint ſubditi Eccleſiæ, ac proinde hæc videatur poſſe ipſos liberare à iuriſdictione eorum, ob honorem fidei Catholicæ, & dignitatem fidelium, non, inquam, hoc obſtat; quia nulla eſt indecentia, nec repugnantia contra honorem noſtræ fidei, aut dignitatem fidelium, quod hi ſint vaſſalli alicuius Dynaſtæ infidelis; & huic in regimine ſubdantur: imò hæc ſubiectio ſine dubio humilitati Chriſtianæ conſona cenſetur.

Dein

71 Dein ex nullo scripturæ loco, nec ex Concilijs, neque ex Sanctis Patribus colligitur potestas vlla concessa Ecclesiæ ad eos dicta iurisdictione priuandos, Ergo per per se loquendo, non potest ipsos priuare. Dixi ex nullo scripturæ 72 loco, nam ille 1. Corint. 6. vbi Paulus reprehendit fideles, qui in iudicio contendebant cum alio fideli coram Principe infideli, communiter exponitur, quod reprehensio Apostoli non fuerit, eo quod apud infidelem Principem ius peteretur, sed quod malitiosè, & ex inuidia esset petitio cum occasione scandali: qui respectu omnium, sed præcipuè infidelium est omnino vitandus: ita cum citatis Doctoribus Castrus Palao, vbi supra punct. 8.

73 Superest dicendum de dominio. & circa hoc est controuersia, an infidelis non subditus Catholico Principi, possit priuari ab Ecclesia dominio seruorum suorum, si hi suscepto baptismo Christiani fiant? Partem affirmantem sequuntur aliqui cum D. Thoma 2.2.q.10.art.10. Lorca ibi. & Bannes dub. vlt. etiamsi non adsit periculum peruersionis, & hoc etiam modo probabile iudicat Valentia disp. 1. q. 10. pun. 8. Ducuntur ex eo, quia etsi Domini infideles non sint subditi Ecclesiæ, subduntur tamen ipsi eorum serui baptizati: vnde illi Domini ratione infidelitatis suæ, & ratione dignitatis fidelium in fauorem fidei merentur priuari potestate dominatiua in seruos fideles; ergo executio hu-74 ius meriti potest ab Ecclesia fieri. Confirmatur quia ex conuersione vnius infidelis ad fidem, altero in infidelitate permanente, soluitur matrimonium, & fidei fauore vir in vxorem conuersam amittit dominium, neque hoc est contra Apostolum 1. Corin. 7. vt magis ex dicendis num. 77. patebit, ergo similiter infidelis in seruum suum ad Christianitatem conuersum dominio priuabitur.

75 Nihilominus vt magis communem, & certam sustinent plures partem negantem sublato morali periculo peruersionis. Ita, Nauarr. in Summa cap 17. num. 103. & 104. Molina noster tract. 1. de iust. disp. 39. vers. quartus, Couarr. in regul. peccatum 2. part. §. 11. num. 6. Suarez disp. 18. de fide sect. 6. Coninch, disp. 18. dub. 10. concl. 8 & Turrian. disp. 52. dub. 1. Probatur pari modo proposita doctrina sic de iurisdictione, quia nullibi apparet fuisse concessam à Christo Domino hanc potestatem priuandi dictum infidelem dominio serui sui ad Christianismum conuersi: imo contrarium deducitur ex varijs locis scripturæ sacræ ad Eph. 6. ad Tit. 2. & pri-76 mæ Petri 2. Proinde in cap. si quis seruum 7. q. 4. reprehenditur grauiter suadens seruo fugam prætextu Religionis Christianæ susceptæ; si autem ob hanc liber esset, suaderi licitè fuga ei posset, & ipse vti liber aufugere; ergo ratione infidelitatis Dominus infidelis non est priuandus dominio serui sui ad fidem conuersi.

77 Nec vrget argumentum in contrarium de solutione matrimonij per conuersionem vnius ad fidem altero permanente in infidelitate, tum quia hæc solutio ex dispensatione Christi Domini expresse traditur ab Apostolo 1. Corint. 7 tum quia si vxor conuertatur ad fidem, cohabitando cum marito infideli esset in morali periculo peruersionis; non sic ex sola cohabitatione serui fidelis cum Domino infideli per se, 78 & regularirer loquendo. Posito tamen quòd arbitrio prudentis viri timeatur tale periculum vt si infidelis dominus minis, vel importuna persuasione conetur seruum fidelem peruertere in fide accepta, vel ad peccatum inducere, tunc omnes concedunt, quod possit Ecclesia illum Dominio priuare, & hic valeat per fugam sibi propriam libertatem acquirere: ita Suarez, & Castrus Palao citati.

Communicatio fidelium cum Infidelibus, & è contra quatenus probibita? & cur?

REGVLA XCIII.

79 Diuino, & naturali iure prohibita est communicatio fidelium cum infidelibus in istorum ritibus vanis, & cultu superstitioso, sicut è contra infidelium cum fidelibus admittēdo illos secum ad diuina officia ad participationem Sacramentorum, & pręcipuè ad sacrificium Missæ, quod etiam lege canonica prohibitum.
80 Per hanc item canonicam legem omnis familiaritas cum Iudæis Christiano prorsus interdicta, & communicatio ciuilis, seu humana cum quibusuis infidelibus in varijs casibus: istę autem prohibitiones iniunctæ, tum ob vitandum periculum peruersionis, tum ob dignitatem, & honorem fidei Catholicæ.

---

81 COnstat ius Diuinum taliter prohibens ex scriptura sacra, præcipuè ex 1. Corin. 6. *quæ est*, inquit Paulus, *communicatio lucis ad tenebras? aut templi Dei cum Idolis, seu quæ pars fidelis cum infideli?* & infra cap. 10. eiusdē Epistolæ, *Nolo vos fieri socios dæmoniorum*: confert etiam illud 2. Corin. 6. *noliteiugum ducere cum Infidelibus*: Probatur efficaciter; quia talis cultus superstitiosus, & vani ritus sunt intrinsecè mali contra virtutem Religionis, & nullo modo honestari possunt; ergo fidelem in eis cum infideli communicare meritò prohibetur.
82 Facit pro alia prohibitione opposita illud Christi Domini, *nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis*, Matth. 7. vbi iuxta expositionem D. Augustini, quem sequitur noster Maldonatus, per vtramq; metaphoram canum, & porcorum significantur infideles, quos secum ne fideles admittant præcipit Dominus in tractatione rerum sacrarum, in recitatione diuinorum officiorum, in participatione Sacramentorū, & Sacramentalium: & pręcipuè in auditione sacrificij missę: hæc enim omnia per duo vocabula Sanctum, & Margaritas exprimi affirmat ipse Maldonatus ex men-
83 te eiusdem Diui Augustini. Rationem autem

autem huius precepti non admittendi illos sub
iungit idem Christus, *Nè forte*, inquit, *concul-
cent eas pedibus suis*, imò absque forte id affir-
mari posse videtur; quia cum fide diuina ca-
reant infideles, & mysteria, ac Sacramenta
Christianæ legis, præcipuèq; Missæ sacrificium
sint supra captum intellectus humani, timen-
dum maximo cum fundamento est, ne illi con-
tra præceptum admissi ad *irrisionem*, & con-
temptũ, quę est *ipsorum* peruersitas, inducatur.
84 Peculiariter ad sacrificium Missæ nè infideles
quicumq; admittantur, nec ad videndam Eu-
charistiam, præcipitur in iure canonico capit.
Episcopus de consecratione dist.4.& in Conci-
lio Carth.4.cap. 84. & habetur apud Clement.
lib 8.Constit.cap.8.traditq; D.Thom 3.p.q.80.
art.4.ad 4.ex D.Dionysio de Ecclesiastica Hie-
85 rarch.cap.7. Quamquam in eodem cap. Epi-
scopus conceditur, vt possint admitti infideles
ad eam partem Missæ, quam vocant catechu-
menorum, & multo magis ad audiendam cõ-
cionem sacram pro ipsorum salute; atq; circa
hæc nulla est discrepantia inter Doctores.
86 De prohibitione item iniuncta Christiano cui-
uis, non habendi familiaritatem cum Iudæis,
maximè his famulando constat ex cap ad hæc
de Iudæis, & ex Concil.Tolet.4.cap 61. Quam-
quam ibi non agitur, nisi de conuersis nouiter
ad fidem ex ipsismet Iudæis, quibus ob pericu-
lum peruersionis, prohibetur conuersatio cũ
87 suis in Iudaismo manentibus. Ad hunc autem
finem euitandi familiaritatem, & conuersatio-
nem cum ipsis Iudæis, imo & cum alijs infide-
libus, vnde prouenire potest periculum peruer
sionis, aut scandalum, vel indecentia contra
dignitatem fidei nostræ interdicitur fidelibus
conuersari cum eis in diuersis casibus; quos ex
pedit perpendere; primo spectantes ad solos
Iudæos, post alios ad vtrosq; & dubia insurgen-
tia breuiter resoluere.
88 Interdicitur primo Christianis nutrire filios
Iudæorum, dicto cap.ad hæc, vbi expresè ad-
iungitur in domibus ipsorum; Aliqui tamen
Doctores, vt Azor. lib.8,tom.1,cap 22.q 9.Syl-
uester, verbo Iudæus, q. 2. dicto 3.& Sanchez
lib.2.in Decal. cap. 31.nu. 19. Extendunt pro-
babiliter ad nutritionem extra domos, quia est
par ratio pro fugienda familiaritate, & affectio
ne cum Iudæis: verba autem textus exponant
quod sint pósita in exemplum, vel quod in-
telligantur maximè in eorum domibus. Ve-
89 rum alij non inferioris notæ, vt Abbas in
dicto cap.ad hæc num. 2 Card. num. vnico,
Glossa, verb. eorumdem, Bonacina disp.3. de
fide, q.2.pun.5.Coninch. disp.18 dub.11.num
170. & Castrus Palao disp. 2. punct. 9. etiam
probabiliter talem extensionem reijciunt eò,
quod illius Canonis tantum videtur esse finis
vitandi familiaritatem cum famulatu, quia
hoc Religioni Christianæ valdè dedecet, vt ex-
presè dicitur in cap. etsi de Iudæis; extra do-
mum verò non est talis famulatus, nec pericu-
lum peruersionis, neque indecentia vllius con-
siderationis.
90 Item interdicitur Christianis conuiuia Iu-
dæorum admittere, aut istos ad conuiuium in-
uitare, cap omnes, 28.q.1. vbi redditur ratio
huius prohibitionis, nempè quia à Iudæis fieri
solet discretio ciborum, aliquibus ex his, vt
immundis reiectis; & admittens eorum conui
uia christianus exponit se periculo approbandi
huiusmodi discretionem. Vnde hac sublata,
cessare prohibitionem tenent absolutè Azor
tom. 1.lib 8.cap.22.q.3.Coninc.ibidem alijs re
latis num.169. & Castrus Palao, vt probabilius
91 vbi supra, quocum ego similiter teneo. Quam
quam non sine probabilitate aliqua defendit
Sanchez ibidem num. 12. adhuc prohibitionē
manere etiam casu, quo non fit discretio cibo-
rum, ob hanc rationem, fundatam saltem in
iure naturali, quia semper est vitanda familia-
92 ritas cum Iudæis. Limitat tamen benè ex
mente omnium ipsam prohibitionem, quod in-
telligatur de solis conuiuijs formalibus, quan-
93 do præcedit inuitatio. Vndè non peccabit
Christianus contra eam si casualiter in eodem
diuersorio cum Iudæo manducet, vel ab e[o]
tanquam hospite cibos edendos cum ipso in
eadem mensa sumat.
94 Dein prohibetur Christiano esus azymorum
cap. satius, 32.q.4. & exponunt Suarez disp
sess.6.& Coninch. adductus num.168. quod
lege Ecclesiestica interdicatur comestio i[l]
azymorum, quæ iure diuino extat prohib[ita]
nempè cum comeditur ritu iudaico ex *obliga-
tione* legis Moysis, quia hinc generatur *scan-
dalum*.
95 Ingressus denique in idem balneum *cum Iu-
dęo* eidem Christiano est prohibitus cap. nullus
28.q.1. (etsi non legitime authoritatis, quod fit
extractum ex Concilio Trullano, haud recep-
to ab Ecclesia Romana) esse autem intelligen-
dum non de quocumq; ingressu benè affirmat
Castrus Palao, vbi supra: nam si casu Christia-
nus veniat lauari, quando Iudæus in balneum
intrat, non tenetur expectare, aut à lotione
abstinere; cum solum interdicatur lotio simul-
tanea ex intentione, aut conuentione *cum Iu-
dæo*, quia hæc familiaritatem generat, quam
caput illud vitare intendit.
96 Rursus prohibita est Christiano cohabitatio
cum Iudæis, cap.ad hæc, de Iudæis, & cum
Saracenis, cap.Iudæi il 2 eodem titulo; sed
cum restrictione interpretantur benè Bonaci-
na disput.3. q.2.punct. 5. Coninc. citatus num
168. & Castrus Palao disput. 2. punct 9. de so-
la habitatione diuturna in subiectione, vel fa-
97 mulatu eorum infidelium. Atque sic prohibe-
tur ob eam rationem; quia talis subiectio e[st]
contra honorem, & dignitatem Christian[æ]
Religionis, vt *filij* liberę inseruiant filijs an-
98 cillę. Ex qua interpretatione, ita limitata
deducunt duo ijdem Cassius, & Coninch
cum alijs, primum posse Christianum haber[e]
Iudæum in seruum, quod conceditur ipsi in
cap. etsi Iudei, de Iudæis. Secundum licitum
esse eidem Christiano cum Iudęo, vel alio in[fi]
deli habitare casu, quo vterq; Catholico Do[mi]
no inseruit, sublato periculo peruersionis, qu[ia]
in dicto cap.ad hęc cohabitatio cũ Iudęis Chri-
stiano interdicitur, si hic eis famuletur: expe-
diens tamen erit homini Catholico, quamcũq;
fami-

familiaritatem, & cohabitationem cum ipsis vitare.

100 Praeterea non licet Christianis Medicos Iudęos, aut alios infideles ad curandum vocare, habetur expresse in dicto cap. nullus, sed expressius, & firmius in speciali Bulla Gregor.
101 XIII. incip. *Alias piæ memoriæ*. Excipitur tamen ex benigna interpretatione legis casus grauis necessitatis arbitrio prudentis viri, si medicus Iudęus, vel alius infidelis sit notabiliter doctus, vel morbus indigeat multis medicis, & Christiani non sufficiant. Ita Sanchez lib 2. in Decal. cap. 31. Suarez disp. 18. de fide, sec. 6. Bonac. dis. 3. q. 2. pun. 5. & Conin. cum alijs vbi supra num. 168.

102 Est etiam interdictum Christianis, nē hæredes, vel legatarios instituant Iudęos, tenent omnes communiter, deducuntq; ex l. 5. C. de Iudæis, ex vi cuius non est licitum fideli aliquid legare vniuersitati Iudæorum: habetur item in cap si quis Episcopus, de hęreticis, quod Episcopi non possint alicui pagano legatum relinquere: idem iniungitur clericis in cap. inter eos, eodem tit. Atq; iam consuetudine recep-
103 tum, vt asserunt citati Sanchez, & Suarez cum Syluestro verb. Iudæus, q. 1 dict. 6. quod sit nullum legatum extra grauem, vel extremam necessitatem, relictum Iudęo, siue consanguineo, siue non consanguineo; sed benè addit Conin. ibidem num. 171. attendendum esse ad vsum cuiusque loci.

104 Denique prohibitum strictissimè cuiuis Christiano sub pœna excommunicationis ipso facto *reseruata* Summo Pontifici deferre arma, cibos *vestes*, & alia suffragia Iudęis, & paganis, Reipublicę Christianæ hostibus, vt continetur in Bulla Cęnę Domini, & in cap. ita quorundam cap. quod olim de Iudęis.

105 Dubium illud restat discutiendum, an facere contra prędictas prohibitiones sit semper peccatum mortale? Negant aliqui, vt Emanuel Sà, verb. Iudeus, n. 2. & Aragon. 2. 2. q. 10. art. 9. nisi adsit periculum peruersionis. Sed melius
106 tenent alij affirmantes per se, & vt in plurimū esse semper martale, etiam sublato periculo peruersionis; quia tam ex parte finis, quam ex parte materię obligatio vitandi infideles in dictis casibus censetur grauis, Ita Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 31. num. 26. Azor vbi supra cap. 22. q. 2. & Suarez ibidem sect. 6. Qui benè addunt posse aliquando esse tantum veniale ex leuitate materię, sicuti in transgressione aliorum pręceptorum sępè contingit.

---

uando Inquisitor procedere potest contra quemuis Infidelem non baptizatum, maximè Iudæum?

REGVLA XCIV.

108 QVicumq: Infideles non baptizati, sunt sub iurisdictione Ecclesię, possuntq; & tenentur Inquisitores fidei contra eos procedere, non solum in casu peruersionis, sed etiam in diuersis, vbicunq; errant contra veritates ex iure naturali, illis, & homini Catholico communes: atque in alijs casibus expressis in iure
109 canonico, seu in Bullis Pontificijs. Imo peculiariter quoties Iudęus relicto iudaismo, paganismum amplectitur, subest iurisdictioni Inquisitorum.

---

110 DE casibus peruersionis iam à nobis obiter dictum supra Regula V. nunc ex professo ostendendum qualiter ea peccari possit ab Infidelibus baptismo carentibus tàm respectu Infidelis desiderantis, aut iam petentis baptizari, verbis fraudulentis, minis, donis, &c. à tali desiderio, & petitione eum reuocando, aut post susceptum baptismum ad pristinā infidelitatem retrotrahendo, quam respectu fidelis originarij in infantia baptizati, hunc dictis modis, aut alijs ad aliquam infidelitatis sectam alliciendo; ac proinde tot illæ prohibitiones, vt dictum regula præcedenti, non com
111 municandi cum infidelibus. Erat autem olim quæstio aliquantulum controuersa inter Doctores, an in hoc casu peruersionis, & in alijs possent Inquisitores procedere contra infideles non baptizatos? & aliqui ex illis id negabant, vt Conradus Brunus, lib. 4 de hær. c. 2. & Fernandus, Vasquius, lib. 1. Controuers. Illust. cap. 24. ob eam rationem quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos, iuxta testimonium Apostoli 1. Cor. 5.

112 Præualebat verò semper sententia affirmans D. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 8. & ferè omnium pręcipuè Eymer. 2. par. Direct quæst. 48. & ibi Penna Commen. 71. ducti hac ratione, quia non sunt illi ita foris, vt quoties iniuriam Creatori, & detrimentum Ecclesiæ Catholicæ inferunt,
113 non possint ab hac puniri. Quicquid tamen sit de tempore antiquo; nunc iam quæstio omnino cessauit; cum res totaliter sit decisa per Summos Pontifices, maximè per Gregorium XIII. Constit. incip. *Antiqua Iudæorum improbitas*: vbi decisio omnium casuum de iurisdictione Inquisitorum circa dictos Infideles adeò manifestè, & compendiosè traditur, vt nihil manifestius, nihil compendiosius afferri posse videatur. Vndè operæpretium duxi ex ipsa ad verbum, quæ hùc spectant proponere per paragraphos diuisa, sicuti Laertius Cherubinus egregiè diuidit.

Omisso itaque Exordio, quod ad rem non facit.

114 §. 1. *Quibus nos, ne pietatis nostræ puritas polluatur, aut à fœdis mancipijs Christo Christianorumue nomini impunè illudatur, obuiare volentes, statuimus, ac etiam declaramus Inquisitores hæreticæ prauitatis liberè procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur.*

115 §. 2. *Si quis Iudæus, aut Infidelis in ijs, quæ circa fidem cum illis nobis sunt communia veluti Deum vnum, & æternum, omnipotentem*

creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia, non esse asseruerit, prædicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit.

116 §.3. *Si Dæmones inuocauerit, consuluerit, aut eorum responsum acceperit, ad illosue sacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamue causam dixerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quauis impietatis obsequia præstiterit.*

117 §.4. *Si Christianos verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit.*

118 §.5. *Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse: Matremue Dei non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hæretica dici solent in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impie protulerit.*

119 §.6. *Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore aliquis Christianus à fide desciuerit, quamque semel susceperat abnegauerit, vel ad Iudaorum, seu aliorum Infidelium ritus, ceremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seù in hæresim aliquam inciderit, aut qui, vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium auxilium, vel fauorem quomodocumque præstiterit.*

120 §.7. *Si quis Catechumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut Infidelibus Deo inspirante ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu. nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem à fide, vel fidei instructione, aut à Sacri Baptismi susceptione retrahere, auertere, vel dehortari, aut nè ad fidem veniat, noue regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit.*

121 §.8. *Si quis apostatas, hæreticosue scienter domi suæ acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seù associauerit, vel deducendos, seù associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces, comitesque illis adiunxerit, velne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fecerit.*

122 Quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit.*

123 §.9. *Si libros hæreticos, vel thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alias prohibitos tenuèrit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcumque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodauerit.*

124 §.10. *Si Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara crucis immolatam, Christum* Dominum, *ludubrio, & de spectui habens, quandocumque maxime vero in sacro parasceues die agnum, siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamue conspuerit, seu quodcunque contra ipsam fecerit.*

125 §.11. *Si Nutrices Christianas contra Sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorū sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens die, qua Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, lac, vno, vel pluribus diebus in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit.*

126 §.12. *In quibus casibus vniuersis & singulis omnes prædictæ prauitatis* Inquisitores *omniū Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani Iudices in suis quemq; locis perpetuò delegamus, & super his contra Iudæos, atque Infideles quoscumq; simul, vel separatim, prout in causis fidei iuxta Sacrorum Canonum formam nec non Officij Inquisitionis huiusmodi constitutiones diligenter inquirant, & procedant.*

127 Hactenus relata ad verbum huc spectantia ex dicta Constitutione Gregoriana: quę vt patet nulla declaratione, aut commentatio-

128 ne indigent. Notanda tamen hoc loco tria: primum circa casum, de quo §.6. peruersionis seu alliciendi aliquo modo Christianos ad Iudaismum, aut reuocandi ad ipsum Iudęos, qui Baptismum susceperant, quod multo prius fuerit sic dispositum per aliam Constitutionem Nicolai IV. incip. Turbato corde, nempe posse, & debere Inquisitores fidei contra taliter allicientes, aut reuocantes procedere.

129 Secundò notandum, quod ad dicta §.9. circa libros Iudęorum, vel aliorum Infidelium prohibitos simus infra additur i vnum verbum declarantes clausulam Edicti Sanctę Inquisitionis contra libros prohibitos cuiuscumque auctoris.

130 Notandum tertio, quod illa, quę adducuntur §.12. circa pœnas infligendas Iudęis, aut Infidelibus in casibus per Constitutionem Gregorianam expressis, opportunius sint afferenda lib. 6. nostri operis; vbi de puniendis quibusque inquisitis nobis ex professo sermo futurus.

131 Superest vltimo loco dubium equidem discussione dignum contra solos Iudęos, an scilicet isti, si reiecto totaliter Iudaismo, adhęreant alicui sectæ paganismi, maneant subiecti potestati, & Iurisdictioni Inquisitorum & hi ob hanc causam possint, ac teneantur contra eos inquirere? Ex Doctoribus magis re-

132 centioribus perdoctè discutit, & resoluit ipsum, sicut & reliqua vir doctissimus, atque religiosissimus de Illustrissima familia Clericorum Regularium Admodum Reuerendus Pater Don Antoninus Diana, Consultor Sancti Officij, & de hoc Sacro Tribunali valdè benemeritus part. 4 resolut. moral. tract. 4. resolutione secunda.

133 Pars affirmans cum eo, vti vera, & omnino certa tenenda est; quam etiam tuentur Camillus Campegius in additionibus ad Zanchinum de hæreticis, c. 36 litt. B. atq; Eymericus 2

parte

parte directorij quæst. 46. Nec contradicit vllo modo Penna Comment. 69. verſ. Nunc autē cum ibi ſolum referat Oldradum, & aſſerat eius dictum ob breuitatem nolle perpen-
134 dere. Quare non rectè Farinacius de hæreſi quæſt. 178. num. 132. & Antonius Souſa lib. 1. Aphoriſm. cap. 37. num. 27. negatiuè reſpondentes ad dubium propoſitum pro ſe dictum Pennam citant. Probatio veritatis, & tantæ certitudinis pro parte affirmante, eſt deciſio adductæ conſtitutionis Gregorianæ, nam §. 2. maniſestè tribuitur Inquiſitoribus poteſtas, & iuriſdictio contra Iudæos negantes ea, quæ ſunt ipſis communia cum Chriſtianis; at Iudæus ſi relicto prorſus Iudaiſmo tranſeat ad paganiſmum quodcumque multa negat, quæ in Teſtamento vetere circa fidem Diuinam habet communia cum Chriſtiano; ergo propter hunc tranſitum eſt ſub poteſtate, & iuriſdictione Inquiſitorum.

135 Nota quod reſponſio negans Farinacij, & Souſæ, ex Deciano, Ioanne Andrea Archidiacono Romano, & alijs citatis ab ipſis, omnino careat probabilitate, vt ait idem Diana; & miror viros adeò præſtantes in hac facultate materiæ Sancti Officij propoſitam deciſionem Gregorianæ Conſtitutionis non perpendiſſe; cum poſt eam in lucem editam, hac de re ſcripſerint.

CAPVT XII.

De hæreſis, & hæreticorum natura, ac diuiſione, de dubitantibus in fide, & de ſuſpectis, aut diffamatis de hæreſi, de credentibus hæreticorum, deque iſtorum fautoribus, receptoribus, & defenſoribus, Iuriſdictioni Inquiſitorum ſubiectis.

PROOEMIOLVM.

1 TRadita iam vtcumque pro noſtro inſtituto, toto capite præcedenti doctrina circa quoſcumq; infideles, qui ſunt extra Eccleſiam ſine baptiſmo: accedimus nunc ad infideles baptizatos, ſaltem præſumptiuè, ſeù quoad forum externum, qui per hereſim, vel apoſtaſiam ipſi Eccleſiæ Catholicæ terga vertunt, & prærogatiua filiorum eius amiſſa, infenſiſſimi ipſius hoſtes conſtituuntur: Prius de hæreſi, & de hæreticis, quam de apoſtaſia, & de apoſtatis tractandum, quia ſic vbicunq; & à quibuſcumque de vtriſque agitur, præcipuè in Edicto Sanctæ Inquiſitionis per clauſulam ſe-
2 quentem: *Debbano al Sant'Offitio di queſt'Iſola reuelare, e notificare giuridicamente tutti, e ciaſcuno di quelli, de' quali ſappiano, ò habbiano hauuta, o haueranno notitia, che ſiano heretici, o ſoſpetti, o diffamati d'hereſia, o credenti, o fautori, o recettatori, o defenſori loro.* Sic latinè redditam. Sancto Officio huius Inſulæ denunciare, aut notificare iuridicè teneantur omnes, & vnuſquiſque eorum, qui ſciunt, aut ſciuerint aliquos eſſe hæreticos, aut ſuſpectos, vel diffamatos de hæreſi, aut credentes hereticorum, vel fautores, aut receptores, vel defenſores ipſorum. Quæ
3 ſit autem obligatio iuridica, & quinam per eam aſtringantur opportunius infra explicabitur, nunc perſonas crimínoſas denūciadas indicamus: comprehendimus, tam multas in hoc capite, propter aliquam inter ipſas connexionem; & vt in ſingulis indicandis breuius nos totidem ferè Regulis expediamus.

Quid eſſentialiter hæreſis? quænam conditiones ad eam conſtituendam requiſitæ?

REGVLA LXXXXV.

4 HÆreſis conuenienter definiri poteſt, *quod ſit electio alicuius doctrinæ, quam aliquis putat meliorem in materia fidei, quam ſit doctrina ab Eccleſia tradita*: Conuenientius verò ita, *quod ſit error intellectus cum pertinacia contra aliquam veritatem fidei in homine, qui hanc iam receperat*. Vnde tres ſunt præci-
5 puæ conditiones eſſentiales ad conſtitutionem hæreſis, ſeu hæretici, materia ſcilicet, ſeù doctrina, ſiue propoſitio aliqua fidei oppoſita, iudicium erroneum intellectus circa ipſam, & voluntas pertinax, qua talis doctrina, taleque iudicium eligitur, ſuppoſita notitia contrariæ veritatis.

6 NOmen hæreſis, attenta eius etymologia, de qua multa, & Theologi, & Iuriſperiti, præcipuè Canus lib. 12. de locis, cap. 9. & Farin. de hæreſi quæſt. 178. §. 1. cum deriuetur à verbo Græco, αἱρέομαι quod eligere ſignificat pro electione in quauis doctrina tam philoſophica, quam Theologica, & tam in bonam, quam in malam partem quondam ſumi con-
7 ſueuit; nunc tamen iam vſu receptum eſt, vt ſemper in malam partem pro electione in doctrina contraria fidei Catholicæ accipiatur;

atque hinc hęreticus dicitur quis, quia eligit doctrinam ab ecclesia reprobatam, vt fidei oppositam, ita dicti Farinacius, & Canus cum alijs. Atque hinc iam quasi prima diuisio hæresis, & hæreticorum, etiam æquiuocè loquendo.

8 Doctores autem non sunt concordes in assignanda aliqua definitione, aut descriptione peculiari pro explicatione naturæ hæresis, & hæretici, ob rei forte huiusce difficultatem, teste D. Augustino in præfatione ad lib. de hęresibus. *Definire, inquit,* quid hæresis sit, omnino *difficile* est. Vnde quot capita, tot ferè eius definitiones, aut descriptiones, ex quibus Farin. ibidem more suo, duodecim colligit ad ostendendum, quid sit hęresis, & totidem ad indicandum quid sit hęreticus; sed cum omnes in idem semper coincidant, superuacanea, & nimis prolixa alicui talis collectio videbitur.

9 Nobis sufficiunt duæ in Regula propositæ ex Suarez disp. 19. de fide, sect. 1. & ex alijs citandis, attenta duplici hæresis consideratione.

10 Pro cuius rei resolutione notandum, quod, sicut dictum supra, fidem diuinam residere in vtraque potentia, intellectus, & voluntatis, ac præcipuè in intellectu, ita similiter dicendum modo reperiri hæresim fidei diuinæ oppositam partim in voluntate, & partim in intellectu (idem asseras de infidelitate propriè dicta initio præcedentis capitis explicata) oppositorum enim eadem est ratio, seruata proportione.

11 Considerata itaque hæresis, vt est culpa grauissima contra fidem, sic principaliter residet in voluntate, & in electione ab ea facta doctrinæ peruersæ cum omnis culpa principaliter ad voluntatem spectat: & sub hac ratione exprimitur per primam definitionem ex duabus il-

12 lis. Si verò consideretur hæresis, vt est error contrarius fidei reuelatæ, sic existit præcipuè in intellectu iudicante erroneè; & sub hoc modo indicatur per secundam definitionem, magis ei conuenientem: ita Suarez vbi supra cum alijs statim referendis.

13 Vt autem completè exprimantur natura, & dictæ conditiones essentiales hæresis, & hæretici, atque vt innotescat clarè de diuisionibus, vtriusque, singulas particulas secundæ definitionis oportet expendere, & dubia quæcunque circa ipsas occurrentia aliquibus regulis enodare. Dixi, ***quod sit error intellectus cum per-***

14 ***tinacia***. Vbi primo certum est ex mente omnium, præcipuè D. Thomæ 2.2.q.11.art.1.& 2. hæresim omnino consummari, & hæreticum quemuis, verè constitui per iudicium intellectus erroneum, ab actu pertinaci voluntatis imperatum. Ratio est, quia ab isto pendet illud in esse voluntarij; cum hæresis esse non possit sine voluntario, sicut nec aliud peccatum.

15 Qualiter se habeat hæc pertinacia voluntatis, postea ostendetur; nunc videndum, an dictum iudicium erroneum sufficiat ad hæresim, vel hæreticum constituendum, si dubitatiuè, aut opinatiuè eliciatur.

Qualiter in fide dubius sit infidelis, seu hæreticus? aut secus? & an idem sit de opinante circa eam?

REGVLA LXXXXVI.

16 ADeò firmiter mysteria fidei Catholicæ quiuis fidelis credere debet, vt si circa ea absolutè, & sufficienter proposita, vti credenda per diuinam reuelationem, quoquomodo dubitet, cum pertinacia, statim in hæresim incidat, & formalis hæreticus constituatur.

17 Secus verò, si dubium sit circa ipsa proposita pręcisè tantum vti credenda ex testimonio humano, vel ex coniecturis naturalibus. Pari

18 modo dicendum est de Christiano, qui alterutro modo opinionem circa eadem mysteria habet.

---

19 SIc in concordiam reducuntur Doctores, qui inter se de tali dubio, vel opinione aliquantulum cōtrouertunt. Plurimorum enim est sententia communiter recepta asserentium quemuis aduertenter dubitantem, vel opinantem de rebus fidei sibi sufficienter propositis, esse hæreticum, & ratione huius dubitationis vel opinionis, quæ formaliter est hęresis, manere sub iurisdictione Inquisitorum fidei. Sic tradunt, & sumunt ex D. Thoma loco citato, Caiet. Bannes, & Valentia, & prima parte q.32. art.4. Suarez disp.19. de fide sect. 4. & Farin. cum multis ab ipso relatis, de hæresi q.178.§.

20 4.num.90. Pro hoc est textus expressus in cap. 1. de hæreticis, dubius, inquit, in fide est infidelis, & facit pro eodem illud Cōcilij Viennen. relatum in Clementina 1. de Summ. Trinit. & fide Cath. §: Porro, vbi dubitans an anima rationalis sit forma humani corporis, hæreticus censetur.

21 Cæterum intelligitur de primo modo dubitandi, vel opinandi expresso in Regula, quia qui dubitat, aut opinatur de obiecto fidei sufficienter proposito, ex reuelatione credendo, iudicat tale obiectum non esse omnino certū, sed posse esse falsum: hoc enim includit assensus opinatiuus, vel dubitatiuus, ac proinde est erroneus, si sit circa res fidei nostræ, quæ reijcit qualemcumque dubitationem, & opinionem, requiritque omnimodā certitudinem, & firmitatem iuxtà illud D. Athanasij in Symbolo, *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisq; fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non potest*. Et consonat doctrina Sancti Augustini lib.8. de Trinit. cap. 5. *Non posse*, inquit, *salua fide Catholica dici, forte de Virgine natus est* ***Christus***, quia particula, *fortè*, quæ dubitationem inducit, fidei Christianæ repugnat; & illud D. Bernardi lib. 5. de consider. ad Eugenium cap.2. *Fides*, inquit, *ambiguum non habet, & si habet, fides non est*.

22 E contra verò aliqui graues Doctores, vt Canus lib.12. de locis cap. 9. Malderus 2. 2. q. 11. art.2. memb.2. & Sancez lib.2. in Decal. c. 7. num.12. absolutè sentiunt non esse hæreticum quemuis dubitantem circa res fidei, non

solum

solum quando dubium insurgit per subitaneũ motum absque consensu voluntatis (hoc enim modo omnes concedunt) sed etiam quando fit dubium cum plena deliberatione, quia etiã tunc sic dubitans non eligit partem fidei contrariam; cũ nec dissentiatur, nec assentiatur, sed intellectus maneat pendulus, & indifferens assentiri, vel dissentiri, ergò tale dubium non est hæresis, neque sic dubitans hæreticus: sicut enim fides importat positiuum assensum; ita hæresis ei contraria positiuum dissensum, at dubium, vel dubitans neutrum includit; ergo, &c.

23 Verum istorum Doctorum sententia nequaquam est admittenda, nisi secundo modo in Regula indicato sit dubium, vel opinio, aut quis dubitet, vel opinetur circa fidei mysteria, præcisè ex testimonio tantum humano, vel ex naturalibus coniecturis, qui casus facilè euenire potest in quouis, qui baptizatus in infantia ad vsum rationis perueniens ex attestatione tantum humana, vel ex ratione sola naturali rerum fidei notitiam accipit, si circa eas dubiũ vel opinionem habeat, non erit hæreticus, vt per se patet; erit tamen, si accepta earum cognitione ex attestatione, seu reuelatione diui-
24 na, dubitet, vel opinetur de ipsis. Hinc credo ijdem Malderus, & Sanchez addunt suam sententiam non habere locum, quando supposita sufficienti instructione ex reuelatione diuina, dubitans, vel opinans super suum actum dubitandi, vel opinandi reflectit, & iudicat rem esse dubiam, & sub. opinione: quæ *reflexio*, & iudicium ferè semper resultat *sine dubio* in sic dubitante, vel opinante.

25 Ex quibus tandem innotescit trimembris diuisio hæresis, seù hæreticorum, dubitantium scilicet de rebus fidei, & opinantium circa eas atque absolutè erroribus contra ipsas assentientium, vt per se patet.

26 Dixi, quod sit hæresis error intellectus: num quid non etiam linguæ, aut actus externi alicuius? pro quo dubio sit Regula sequens.

Vt heresis subsit Iurisdictioni Ecclesiæ, seu Inquisitorum, quomodo exterius manifesta esse debet, & quibus requisitis?

REGVLA XCVII.

27 Qvamuis in actu merè interno iudicij erronei intellectus hæresis consumetur, & hæreticus constituatur; vt tamen hic subsit iurisdictioni Ecclesiæ, aut Inquisitorum necesse est, illa prodeat in actum externum, aut aliquo signo extrinseco manifestetur. Ad
28 hanc autem manifestationem sufficiet, si illud siue scriptum, siue verbum, siue aliud sit, tribus conditionibus vestiatur nempè adeò manifestet hæresim internam, vt si adesset aliquis eam posset percipere. Secundo sit malum mortaliter de se ipso, & non per relationem solam ad actum internum. Tertio aliqualiter assertionem, seu confessionem hæresis contineat.

---

29 Caret omnino probabilitate doctrina Panorm. Anan. Ioan. Andreę, Felin. in cap. vltimo de hereticis, & aliorum Canonist. quos refert, & refutat Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 8. num. 1. 2. asserentium propter hæresim purè mentalem contrahi excommunicationem, in hæreticos latam, eò quod hoc peccatum sola mente consummetur.

30 Opposita tamen sententia verissima est, & communiter recepta, scilicet nec in foro poli, nec in foro fori contrahi excommunicationem, aut vllam aliam pœnam, & multum minus esse subiectum iurisdictioni Inquisitorum propter heresim merè internam, nisi hæc exterius aliquo signo, verbo, vel scripto manifestetur. Ità penè innumeri, quos adducit, & sequitur idem Sanchez, ex Theologis, Palud. in 4 dist. 13. q. 3. art. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 24. cap. 4. Suarez tom. 5. in 3 part. disp. 21, sect. 2. Vasquez 1. 2. q. 96 art. 4. disput. 160. capit. 5. Stephanus Auila, de Censuris part. 1. dub. 10. conclus. 1. & Diana citatus tract. 4. Micellan. (conuenientius in septimo, vbi de pœnis hæreticorum, id discussisset) resolut. 240. vers. Notandum. Ratio est, quia Ecclesia non habet iurisdictionem ad iudicandum de actibus occultis, etiamsi mẽte consummentur, qui nequeunt exterius cognosci. & dato quod haberet, certè non expediret rectę, & suaui Ecclesię gubernationi, ea aliquo modo vti, ergo &c.

31 Debet autem prædictum signum manifestatiuum hæresis mentalis continere illas tres cõditiones in Regula assignatas, quas expendere sigillatim oportet, vt per illationes varij casus resoluantur, conducentes pro instructione Cõsultoris Sancti Officij ad qualificandum. Quo-
32 ad primam, requiritur tale signum, aut verbum, aut scriptum, quod manifestet sufficienter hæresim internam, adeo vt, si quis pręsens adesset, eam perciperet (etsi actu nullus adsit, & per accidens sit, quod à nullo percipiatur, vt omnes concedunt teste eodem Sanchez) siue ex se eam manifestet, siue ratione alicuius circumstantię, temporis, loci, &c. Nam vbi non sic manifestat hæresim mentalem, hęc ita occulta manet, ac si mentalis prorsus esset, ita præter Vasquez, & Sanchez citatos, tenent Vgolinus de Censuris 2. part. cap. 1. Bannes 2. 2. q. 11, art. 4. dub 2. Enriquez lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 6. Emanuel Sà verb excommun. & alij multi relati ab eodem Sanchez ibidem.

33 Hinc primò infertur non esse Hæreticum externum, qui hæresim manifestat per facta, vel dicta, ex se indifferentia, & soli ipsi hæresim significantia, vt si dum actum internum heresis elicit, moueat caput, aut femur percutiat, vel dicat exterius. ita est, vel proferat hanc negatiuam, non est homo, ex assensu heresis mentalis, quod Christus non sit homo: hæc enim omnia, & similia de se non sunt magis

gis signa fidei assensus,quam dissensus,nec magis falsi, quam veri indicatiua. Inde ostendi-
34 tur, quia licet talia facta, vel dicta sint mala malitia hæresis,quod procedant ab animo ea infecto, cum tamen ipsa per se occulta sit,nec vllo modo manifestata Ecclesiæ, ac proinde ad huius iurisdictionem non spectet,consequẽter neque huiusmodi facta, vel dicta spectabunt. Ita Azor tom.1.lib.8.cap.9.q.vlt. Sayrus tom.1.lib.3. Diana vbi supra,Bannes, Valquez, & alij num. præcedenti adducti, quidquid in contrarium absque vllo fundamento dicant aliqui, quos tacito nomine idem Azor citat.

35 Secundo infertur hæreticum mentalem non fieri externum scribendo alicui verba amicitiæ vel mutuando pecunias; aut alia beneficia in ipsum conferendo, animo hunc facilius trahendi ad suam hæresim;hęc enim omnia internam hęresim non manifestant alijs; cum sint de se indifferentia. Ita cum Cordub. quęstion.lib.
36 4.q.13.opin.3.Sanchez ibidem num.9.Qui benè addit idem esse, si hęreticus mentalis scribat suam hęresim characteribus, vel notis incognitis, vulgò cifra, ita à se ad significandum impositis, vt nulli alteri,sed sibi soli significatam indicent hęresim, quia hęc adhuc intra mentem hęretici manere censetur.

37 E contra tertio, infertur internos hęreticos fieri externos, & subesse iurisdictioni Inquisitorum, si factis, seu commissionibus, aut omissionibus, & quibus hęresis pręsumptio oritur, suam internam hęresim manifestant. De factis seù commissionibus tradunt Iulius Clarus lib.5 receptarum, in practica criminali §.hęresis nu. 24. & Vgolinus vbi supra, exemplificant in eo qui credens baptismum posse iterari, rebaptizat, & in eo, qui credens, quod Ecclesia nequeat esum carnium interdicere, eas
38 diebus prohibitis comedit. Sed benè aduertit Sanchez in his exemplis, & similibus habere locum doctrinam traditam, quando inde attentis circumstantijs iure optimo desumitur pręsumptio hæresis, & non potius ignorantię, vel
39 obliuionis, aut causæ alterius iustę. Et quidẽ si quis hęreticus mentalis credens fornicationem simplicem esse licitam, fornicaretur, non fieret hęreticus externus, quia sic fornicari nullo modo hæresi sapit, & nullus inde suspicionem hæresis hauriet. Ita idem Sanchez cũ Viualdo Candel.Sacrament. par.2.in Bulla cęnæ num.2.

40 Quod autem per omissiones hęreticus internus fiat etiam externus, tradunt Caietanus 2. 2.q. 11. art.4. vers. ex his siquidem, Tolet. in Summa in expositione Bullæ Cęnę excomm. 1. num.10. Sayrus tom.1.lib.3.cap.4.num.30. & Diana vbi supra. Exempla sint,vt si quis nunquam templum ingrediatur, aut dum eleuatur
41 Eucharistia, nõ genuflectat. Quãquã similiter in his his,& alijs exemplis videndum,an attentis circumstantij inde pręsumptio hęresis proueniat; aut potius inaduertentiæ, vel similis causæ iustę, sicque interpretatur Sanchez ibidem num. 16.ex mente Azor tom.1.lib 8.cap. 9.q. vlt.asserentis non manifestari hęresim internã per emissionem genuflexionis, dum Eucharistia eleuatur.

42 Pręterea, quoad secundam conditionem signi, aut actus externi ad manifestandam hæresim mentalem; certum est apud citatos Doctores, quod debeat esse malus mortaliter, vt quis per ipsum hęreticus externus constituatur & vt contrahat a die manifestatæ hæresis, excommunicationem, & alias pœnas. Inde patet, quia istę cum sint graues, non infliguntur, nisi ob peccatum mortale externum,quod solum potest Ecclesiæ constare,& eius iurisdictioni subesse. Docent Enriquez, & Emanuel Sà citati, quibus adiungendus Antoninus Diana
43 ibidem. Secus verò contingeret ex mente eorundem, si comestio esset in notabili quantitate, & ex ea attentis circumstantijs sufficiens indicium hæresis oriretur, vt dictum paulo ante.

44 Secundo deducitur à fortiori, non fieri hæreticum externum, qui ex hæresi interna inducitur ad facienda bona opera, aut ad mala omittenda Vti secta hęreticorum,quam sequitur, pręcipit facere, aut omittere. Ratio est, quia ista non hæresis, sed bonitatis internę indicia sunt: ita cum Sayro tom. 1.lib. 3. cap.4
45 num. 30. ibidem Sanchez num. 18. Qui benè meritò limitat, nisi in hæreticorum terris talia faciens, vel omittens ob circumstantias concurrentes inde hæreticus ab alijs deprehenderetur.

46 Tandem conditionem tertiam, vt omnino certam ex mente aliorum assignat Sanchez vbi supra quòd dictum signum, aut verbum, aut scriptum debeat aliqualiter continere assertionem, seu confessionem hæresis internæ, vt mentalis hæreticus fiat externus, & vt contrahat excommunicationem, & alias pœnas.

47 Ex hac tertia conditione colligunt primò Simancas Cathol. instit. tit. 22. num. 9. & Azor tom.1.lib.8.cap.10.q.5.non fieri hæreticum externum illum, qui suam hæresim internam detegit Sacerdoti in confessione Sacramentali, quia hic actus sic detegendi eam, est extra iu-
48 dicium humanum. Extendit autem Sayrus d. cap.4. num.28. ad detegentem in confessione qui non vult deserere hæresim, nec corrigi paratus est:quamuis Azor citatus hanc extensionem reijciat, eò quod tunc non sit confessio, sed confessionis simulatio;nec obliget Sigillum
49 Verum merito extensionem admittit Sanchez adductus casu, quo accederet ad confessarium animo petendi consilium circa suam hæresim, licet absque dolore eius,&absque intentione reispiscendi ab ea, quia hic non est actus, qualis requiritur ad detegendam hæresim internam per eius assertionem, seu confessionem.
50 Imo addit ipse Sanchez cum Cord Cuttier. Aragon. Sà, & alijs per eum relatis,quod idem esset, quando quis amico, vel alteri suam hæresim internam omnino extra confessionem Sacramentalem manifestaret, non animo asserenei, seu confitendi hæresim, sed capiendi consilium, pro bono animæ suæ; quia par est ratio. An autem amicus, vel alius, qui sic audit eius hæresim internam,teneatur ipsum denun-

nunciare Inquisitoribus? infra commodius expendetur.

51 Secundò colligunt ijdem Simancas num.10 Azor.q.6.& Suarez tom.5. in 3. part. disput. 4. sect.2. nequaquam fieri hæreticum externum, qui per iocum; vel ex ignorantia diceret se aliquid contra fidem olim tenuisse, nunc verò non tenere. Inde ostenditur; quia ad hæresim externam non quæcunque: sed illa tantum verba sufficiunt, quæ hæresim internam præsentem denotant; ita vt sermo declaret, quod actu mente concipitur; ergò non erit hæreticus externus, qui sic hæresim tantum antiquã manifestat; maximè cum hæc manifestatio non sit peccaminosa, nec ex errore actuali mentis procedat.

52 Nihilominus idem Suarez hoc limitans affirmat non habere locum, vbi quis animo complacendi in præterita hæresi interna; hanc dicto modo indicaret; quæ limitatio Suarez non admittitur à Sanchez vbi supra num. 21. ratio est, quia hic actus complacentiæ non est hæresis, nec illum complacentem constituit denuò hæreticum; sed manet sicut prius Catholicus; ergò non fiet ratione illius hæreticus externus cui doctrinæ Sanchez adhæreo.

53 Propter eandem rationem idem Sanchez, & solus, quod sciam, num.22. asserit non esse hæreticum illum externum, qui manifestat propositum, quod in animo habet, amplectendi futuro tempore aliquam hæresim, vel sectã; nam hoc non est profiteri hæresim, sed propo-

54 situm *futuræ* hæresis, vel sectę. Atque hæc *assertio* Sanchez amplectenda est, excepto vbi *propositum* sic exterius manifestatum esset *in manifestante* coniunctum cum iuditio erroneo dubitatiuo, vel opinatiuo circa res fidei, vti per reuelationem credendas, quod iste, vt sic cadant sub dubio, vel opinione iuxtà resolutum supra: tunc enim manifestans tale propositum, iam esset hæreticus externus: quod autem cum dicto iudicio, vt in plurimum possit esse coniunctum propositum huiusmodi, nullus credo negabit, cum per se pateat.

55 Denique colligunt ex hac tertia conditione Azor tom.1.lib.8.cap.10.q.7. & Sanchez citatus num.23. quod neutiquam hereticus externus fiat, qui narrando, legendo, disputando, aut alienos libros, vel tabellas transcribendo suam hæresim mentalem lingua profert, non animo eam exprimendi, aut confirmandi, sed solum gratia narrandi, legendi, disputandi, vel transcribendi, vt alienam hæresim, & non pro-

56 priã. Idẽ benè affirmat ipse Sanchez de proferente hæresim internam, dum dormit, vel ebrius est; quia in tali statu non exercet actum humanum, qualis vt per se constat, ad prodendam hæresim requiritur.

57 Ex traditus in hac Regula constat de principali hæresis, aut hæreticorum diuisione trimembri: alij enim sunt hæretici purè mentales, alij simul interni, & externi; alij denique solummodo externi. Illi primi cum nullam con-

58 trahant excommunicationem, vel aliam pœnam, à quouis confessario absolui possunt; vt cum Soto, Caietano, Couarr. Arag. & alijs per ipsum relatis, docet Sanchez dicto cap.8.num.

59 3. Similiter dicendum de vltimis, seu de hereticis merè externis, absque vllo errore mentis vt post alios tradit benè Diana, dict. resol.240. vers. Nota. Secundo, verum cum insurgat pręsumptio hæresis mentalis, poterunt contra ipsos procedere Inquisitores, vt ait idem Diana.

60 Dixi in definitione, quod hæresis sit error intellectus, cum pertinacia: circa quam particulam vltimam, in quonam pertinacia consistat, & an coniuncta esse possit cum ignorantia, quæ sit causa erroris? est aliqualis controuersia inter Doctores, pro cuius decisione sit iam.

Ad hæresim qualis pertinacia necessaria? & quando ab ea protestatio liberat?

REGVLA XCVIII.

61 DE essentia hæresis est pertinacia; quæ consistit in interno voluntatis actu, quo ipsa resistit doctrinæ Catholicæ, inducendo intellectũ ad ei dissentiendũ contra auctoritatẽ Ecclesiæ. Quare ad pertinaciã necessariò supponitur aliqua in intellectu notitia Ecclesiæ & doctrinæ, quam ipsa tenet: atque consequenter non potest esse pertinax; neque hæreticus, qui hæc ignorat quacumque ignorantia, etiam

62 affectata, quæ sit causa erroris. Excepto quando affectaret ignorare ob finem liberius errandi in fide, aut vbi ex falsa opinione, res fidei parui momenti esse existimaret, in quibus casibus protestatio non liberat ab hæresi; tametsi in alijs liberare soleat.

---

63 MAnifestè constat ex iure canonico pertinaciam voluntatis esse de ratione essentiali hæresis, Clemen. vnica, de Summa Trinitate, § Porrò, ibi, quisquis defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, item extrauagan. Ioann.22. Cum inter de verb. significatione, & cap. Damnamus. de Summa Trinitate, vbi relato quodam errore Abbatis Ioachim; hic ab hęresi excusatur, eo quod non

64 errauerit pertinacia. Similiter in alio errore Guillelmus Parisiensis censetur excusatus ab hęresi ob carentiam pertinaciæ, vt testantur D. Bernardus ser.80. in Cantica D. Hieronym. epist.17. idem docet D. August pręcipuè lib.4. de Baptismo contra Donatistas cap.16. & refertur in Decreto, capit. dixit Dominus 24. quæst.3.

65 Quod autem consistat in actu, quo voluntas imperat, & inducit intellectum ad dissentiendum alicui doctrinæ Catholicæ resistendo Ecclesiæ, eam docenti, & huic non se subijciendo clarè desumitur ex eodem D. Augustino d. lib.4. de Baptismo, cap.17. & ex D. Hieronymo ad Galat.5. docentque cum D. Thoma 1. par. quæst. 32. artic.4. communiter Scholastici. Osten-

66 Ostenditur efficaci ratione à contrario; quia dum voluntas permanet in proposito subijciendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ, nequit homo errare pertinaciter, nec vllo modo erit hæreticus, vt per se patet, & omnes concedunt; ergo pertinacia requirit contrariam voluntatem, seu potius in hac consistit, non subijciendi se iudicio Ecclesiæ Catholicæ circa res fidei nostræ.

67 Hic tamen statim *insurgit* dubium, cur pertinacia hæc *constituatur* potius in voluntate contradicendi Ecclesiæ, quam Deo ipsi, vel *scripturæ sacræ*, aut traditionibus, & simili? *Respondet* optimè ex mente omnium Suarez *disp*.19. de fide sect.3. non attendi pertinaciā per ordinem ad Deum, primò quia, cum certum, & euidens sit, eum non posse mentiri, nullus proinde audebit ei immediatè contradicere, nec habebit voluntatem non credendi ipsi; sed non credendi talem doctrinam esse
68 traditam à Deo. Item quia cum Deum non videamus, nec per se ipsum, vt plurimum loquatur nobis, sed per aliqua signa creata, ideo pertinacia non explicatur in ordine ad Deum secundum se spectatum; sed vt loquentem per alios, seù per signa creata sensibilia. Ex his autem signis sola Ecclesia est viua, & vniuersalis, ac proxima quoad nos regula, vt traditum supra, nobis per Romanos Pontifices, vel per Concilia proponens omnia, quæ à Deo sunt dicta, vel in scripturis sacris, vel in traditionibus vel alibi; atque ob hanc causam constituitur *pertinacia* per habitudinem ad solam Ecclesiā Catholicam Romanam, & non ad traditiones,
70 nec ad scripturas sacras. Et quamuis has admittant hæretici, non tamen secundum verum Ecclesiæ Romanę sensum; ideo sunt pertinaces valdè circa ipsas contra dictæ Ecclesiæ authoritatem.

71 Prædicta autem responsio Francisci *Suarez* ad illud dubium vera semper est de pertinacia contra Ecclesiam in rebus fidei propositis per communes, & vniuersales respectu omnium reuelationes; potes nihilominus esse pertinax immediatè contra Deum, & verus hæreticus, si reuelationi Diuinæ de mysterio aliquo non per Ecclesiam, sed per ipsum Deum, vel Angelum tibi sufficienter propositæ dissentias. Sic tenent multi (quidquid vnus Lorca 2.2. quæst.11. disput. 39. num. 2. contrarium dicat) præcipuè Azor tom. 1. lib. 8. capit. 9. quæst 4. Sanchez lib. 2 in Decal. cap. 7. numer. 32. Suarez dicta disputat. 19. sect. 5. Coninch disputat. 18. dub. 7. numer. 118. & Castrus Palao tractat. 4. disput. 3. punct. 2. Constat hoc exemplis Luciferi, & sequacium iuxta sententiam probabilem.

72 Verum discutiamus iam id, circa quod maius extat dissidium inter Doctores, an pertinacia possit esse coniuncta cū ignorantia dictæ auctoritatis Ecclesię, & veritatis ab ea definitę? Duę sunt sententiæ omnino oppositę, altera affirmans posse esse coniunctam cum quacumque ignorantia culpabili, saltem de nimis crassa defendit Sayr us tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 15. & de affectata Canus lib. 12. de locis cap. 9. ita vt si homo ex nimia negligentia ignoret, aut ignorare affectet, quid Ecclesia teneat, sit verè pertinax contra eius auctoritatem errando in materia fidei, & quamuis protestetur se esse paratum ad sentiendum cum ea, vbi sciuerit, quid ipsa doceat, hoc protestatio nequaquam ab hęresi eum liberabit.

73 Altera sententia est non solum negans dictā coniunctionem pertinacię cum ignorantia aliqua, sed requirens etiam præter notitiam veritatis definitę, & peculiarem monitionem, vt homo maneat per aliquod tempus obstinatus, & quasi incorrigibilis in errore contra fidem, sicque & non aliter erit pertinax, & hæreticus; tribui solet hęc Syluest verb. hęresis 1. q. 2. num. 5. & in eam inclinat gloss. dicta Clem. §. porrò verb. pertinaciter; cum hoc exponat, durus, incorrigibilis, & obstinatus. Citatur pręcipuè pro ipsa Alciatus in lib. 1. cap. de Summa Trinitate, inde ostendens; quia pertinax ille censetur, quia admonitus non vult resipiscere; ergo tempus, & perseuerantia in pertinacia, & errore requiritur.

74 Media tamen via nobis tenenda cum Diuo 2.2. q. 11. art. 2. ad 3. cum Caietano, Bañes, & Aragon. ibi, cum Gabriel in 4. dist. 12. qu. 1. art. 1. notab. 3. & Duran; quæst 3. num. 6. cum Vasquez 1. 2. disp. 126. & Suarez disp. 19. de fide sect. 3. cum Couarr. lib. 3. variar. cap. 1. & Siman. Cathol. instit. tit. 31. num. 10. & cum alijs multis per eos relatis, Theologis, & Ca-
75 nonistis. Qui vt prorsus certum docent pertinaciam, & hęresim esse non posse, dum adest ignorantia, ex qua error contra fidem procedit; sed supponi in intellectu hęretici aliquam notitiam auctoritatis Ecclesiæ, & doctrinæ quā ipsa definiuit; quamuis ille circa vtramque erret, seu tam illius auctoritatem, quam do-
76 ctritam ab ipsa definitam reijciat. Probatur efficaciter, quia voluntas necessario supponit semper notitiam sufficientem sui obiecti; sed pertinacia consistit in actu voluntatis sentiendi contra auctoritatem Ecclesiæ, vel dissentiendi à doctrina per eam definita, non obstante eius auctoritate; ergo talis actus voluntatis; in quo consistit pertinacia, supponet sine dubio aliquam cognitionem auctoritatis, & definitionis Ecclesiæ.

77 Pro confirmatione autem huius doctrinę, & totali reiectione secundę sententię facit valdè Etymologia nominis pertinax, non secundum D. Isidorum lib. 10 lit P pertinax, idē est, atque impudenter tenens, & hoc non dicitur, nisi de illo, qui cognita iam magna auctoritate alterius, illi adhuc audet contradicere; ergo necessarium est, vt quis contra auctoritatem, & definitionem Ecclesiæ sit pertinax, aliquam
78 vtriusque cognitionem habeat. Imò quamprimum incipit eam habere etiam in primo instanti, si contradicat, iam incipit esse pertinax, & hæreticus; cum tunc pertinacia satis completa ad hunc effectum reperiatur; nec requiritur, vt per spatium temporis quis sit durus & irreuocabilis, aut obstinatus, vt exponebat illa glossa in dicta Clem. contra quam sunt omnes Doctores num. pręcedenti citati.

80 Dixi semper pertinaciam non posse esse cum ignorantia, quę est causa errandi seu ex qua error procedit, & vocatur communiter respectu cuiusuis casus, *Antecedens*, quæ antecedit opus, & hoc sine ea non fieret, ac in præsenti casu; homo sine ea non erraret contra
81 fidem. Est alia ignorantia, quę à Theolog. vocatur *Concomitans*, quia comitatur opus, vel actum voluntatis, & quamuis non sit causa eius ita tamen est homo affectus, vt etiamsi
82 sciret, idem vellet, & operaretur. Atque cum hac ignorantia potest sine dubio esse pertinacia contra fidem, & sic ignorans non excusabitur ab hæresi, nam simul cum tali ignorantia habet propositum non mutandi sententiam, tametsi ipsi constet Ecclesiam aliter tenere, cum ab hoc proposito ei proueniat, vt sit contumax, & non excludat pertinaciam; quamuis neque per tale propositum, neque per talem ignorantiam error causetur; concluditur ergo cum quacumque ignorantia concomitante, siue inuincibili, siue culpabili posse, quem esse
83 pertinacem, & hęreticum. Quin potius si cōtingeret hominem non errare; sed casu, & inaduertenter cum Ecclesia sentire, adhuc tamen esse pertinax, & hæreticus, si haberet propositum mutādi sententiam, etiamsi contrariū per eam definiretur, ita citatus Suarez ex communi, & tecepta aliorum doctrina.

84 De sola itaque ignorantia antecedente culpabili (de inculpabili nullus dubitat) traditū, vt certum eam cum pertinacia non posse esse coniunctam, quod etiam de affectata intelligitur, quando quis ipsam affectat tantum ex magna negligentia, & tædio addiscendi; quia tunc non offendit auctoritatem Ecclesię, & paratus est ab ea corrigi, vnde non habet pertinaciam, neque est verus hęreticus. Ita cum alijs docent Vasquez 1.2.q.26. art.3. disp.126. cap.2. & Sanchez lib. 2. in Decalogum cap.7.
85 num.23. Secus verò erit si affectet ignorantiam ex praua intentione liberius errandi circa res fidei: vel affectet eam ex falsa opinione, quod existimet mysteria fidei nostræ esse parui momenti. Ratio est quia sic affectans non parum despicit Ecclesiæ auctoritatem; ergo contra hanc est verè pertinax, atque hæreticus: ita
86 ibidem Sanchez. Qui pari modo idem benè affirmat de errante ex ignorantia contra fidem parato corrigi ab Ecclesia; dummodo argumentis conuincatur; quia non Ecclesiæ attestationi, sed argumentis vult acquiescere; ergo facit contra eius auctoritatem, & consequenter est pertinax, atque verus hereticus.

87 Quare in triplici predicto casu errans contra fidem licet protestetur se paratum esse corrigi, & velle subijci iudicio Ecclesiæ, non propterea excusatur à pertinacia, nec ab hæresi, quia protestatio factis contraria non iuuat, neque liberat protestātem ab hæresi, vt docent Peña part. Direct. Comment.36. vers. hactenus, & Sousa lib. 1. aphoris. cap. 14. quod vt per se
88 patet; habet etiam locum in foro animę. Nō obstante, quod vt doctrina certa, & communiter recepta tradatur ab eisdem Peña, & Sousa, ab Albertino de cognoscen. q.12. nu.9. & Farinac. de hæresi q. 178. §. 7. num. 154. & alijs per eum relatis, quibus adhęreo quamcumque protestationem in eo foro excusare cum vix sit vlla regula, quantumuis generalis, quæ aliquas non habeat exceptiones.

89 Verum quid de protestatione quoad forum externum, absq; controuersia est, quod ipsa adiuuet protestantem circa non definita adhuc per Ecclesiam, & circa per se obscura: Secus verò circa manifesta, & iam definita, maximè si protestatio fiat à viro docto, qui definitionem Ecclesiæ scire præsumitur, ita Penna ibidem, vers. sit prima, Farin. dicto §. 7. num. 158. Simanch. Cathol. instit. tit 55. num. 5. Re-
90 spectu verò hominis rustici, & ignari non esset talis præsumptio, & protestatio ex mente eorumdem Doctorum, eum iuuaret. Excepto vbi ab Episcopo, vel ab Inquisitoribus, aut à viris doctis de suo errore moneretur, & instrueretur, tunc non euaderet liber ob protestationem; sed posset contra hunc procedit tanquàm contra suspectum de hæresi. Tradunt citatis locis Penna, & Farin. patetq; ex cap. ad abolendam de hęreticis,

91 Quid quod in foro etiā cōsciētiæ talis rusticus censeretur pertinax, & hęreticus, nihilque ipsi protestatio inseruiret, super dictam monitionem, & instructionem proponantur ei res fidei, & auctoritas Ecclesię tanquam euidenter credibiles; & nollet nihilominus eis acquiescere. Ratio est quia in hoc casu tenetur iste illis credere, & iudicio Ecclesię se submittere, & non credendo, nec se submittendo, vt temerarius peccauit grauiter, vt docet Sanchez vbi
92 supra. Absque dicta tamen euidenti credibilitate non est obligatio credendi, vt diximus supra de infidelis obligatione amplectendi vel nō amplectendi fidē: cum Suarez, qui ad rem pręsentem hic disp.19. sect.3. benè applicat, reducens in concordiam duas opiniones inter se oppositas. Plura de materia protestationis vide apud citatos Pennam, Farin. & Sousam.

93 Si tandem petas cuius speciei sit peccatum errandi contra fidem ex ignorantia culpabili? Sanchez ibidem num.24. cum alijs ab ipso relatis absolutè respondet, licet hoc peccatum non sit verè, & propriè hęresis, reduci tamen ad eam; quemadmodum reducuntur alia peccata ad illam speciem, cuius, essent, si scienter committerentur, quod responsum proba-
94 bile iudicat Suarez citatus. Sed probabilius iudico cum eodem Suarez, & cum Vasquez 1.2. quæst.76. art.3. disput.126. cap.3. num. 9. distingui omnino specie errorem contra fidem ex ignorantia, & hæresim propriè dictam; quia de huius ratione, seu obiecto formali est, vt scienter opponatur auctoritati Ecclesiæ; quod non est de ratione illius; sed tantum, vt opponatur obligationi sciendi res fidei. Quam-
95 quam benè notant ijdem Vasquez, & Sanchez non requiri ad formalitatem hęresis, neque ad pertinaciam eius, vt pręcisè ex directa intentione opponendi se auctoritati Ecclesię eliciatur, sicut ad peccatum inobedientię requiritur directa intentio contradicendi præcepto Superioris; sed sufficere, si quis contra-

dicat

dicat scienter auctoritati Ecclesię ex quacumque intentione, siue lucrandi, siue acquirendi honorem, siue ex alia auiditate id faciat; nam sic verè pertinax, & hæreticus constituitur.

96 Ex traditis in hac Regula colligitur diuisio hæresis, seu hæreticorum habentium scilicet pertinaciam, contra auctoritatem Dei immediatè, & habentium eam mediate, seu contra auctoritatem Ecclesiæ; Alia item diuisio, *videlicet* errantium *in* rebus fidei scienter, qui sunt propriè hæretici, & errantium in eisdem ex culpabili ignorantia quacumque etiam affectata; qui nec pertinaces, nec hæretici sunt, exceptis duobus casibus prædictis.

97 Dixi quòd hæresis sit error intellectus contra aliquam veritatem fidei, idest contra doctrinam, seu propositionem ad obiectum eius materiale spectantem: atque hinc indicatur, quodnam sit obiectum materiale hæresis. nempè propositio quæcumque damnabilis, illi omnimodè opposita; sed huius vniuersaliter sumptæ cum varij assignentur gradus, videndum nobis Regula sequenti, quinam hi sint, & an de omnibus Inquisitores cognoscant? sicque materia circa quam Consultor Sancti Officij munus qualificandi exercet, tota in communi ipsi innotescet.

Quid propositio damnabilis? quot gradus eius ob diuersitatem censura? & an omnes sub Iurisdictione Inquisitorum?

REGVLA XCIX.

98 PRopositio damnabilis, per quam fides aliquo modo violatur, definiri solet, quod non solum falsa in se, sed peculiari etiam censura, seu ignominiosa qualificatione sit digna.
99 Huius varij distinguuntur gradus, nempe propositionis hæreticæ, erroneę, sapientis hæresim, malè sonantis, temerariæ, schismaticæ, scandalosæ, piarum aurium offensiuæ, iniuriosæ, blasphemæ, & impiæ, ex quibus aliæ in
100 alijs continentur. Contra omnes istas Inquisitores tanquam proprij Iudices procedere possunt.

---

101 AFfert tradiram definitionem propositionis damnabilis in genere sumptæ, vt receptam communiter ab omnibus Suarez dicta disputat. 19. sect. 2. & explicat breuissimè duas eius conditiones, nempè quod primę de falsitate (nulla siquidem propositio vera, vt per se patet, damnabilis esse potest) addi debeat secunda, ob quam damnabilitas ipsi specialiter competit, esse scilicet dignam qualificatione aliqua, vel censura infami: atque hoc genericè, seù in communi de propositione damnabili satis sit dictum.

102 Verum in particulari vndecim distincti gradus, seù quasi species eius assignantur; & desumuntur ferè omnes ex Concil. Constant. sec. 8. (*nullum dubium antiquiorem esse distinctionem eorum*) vbi damnantur articuli Vuiclephi & sect. 15. in sententia damnationis Ioan. Hus atque ex Bulla Pij V. & Gregorij XIII. ferè eisdem verbis damnantium sentētias Michaelis Baij. Hos gradus damnabilium propositionum, tàm Canonistæ, quam Theologi copiosè explicant, præcipuè Turrecrem. in summa de Ecclesia lib. 4. par. 2. cap. 8. Albertinus trac. de dignoscendis assertionibus, quæst. 6. & sequentibus, Simanc. instit. Cathol. tit. 54. Penna in Direct. par. 2. Commen. 26. & 27. Suarez dicta disp. 19. sect. 2. Castrus Palao dicta dispur. 4. punct: 1. & alij plures, quos latè citat Diana part. 4. tractat. 8. resolut. 94. in gratiam, vt ipse ait, D. D. Inquisitorum, & Qualificatorum: atque in eandem gratiam, cum Consultoris, seu qualificatoris Sancti Officij munere fungar, vnumquemque istorum graduum propositionum damnabilium cum prædictis Doctoribus aliquantulum explanabo.

103 Primus gradus est propositionis hæreticæ, & dicitur illa, quæ manifestè opponitur, siue contrariè, siue contradictoriè alicui veritati fidei immediatè per Ecclesiam definitæ; seu quæ omnimodè contrariatur obiecto fidei, quatenus reuelatæ à Deo. Ita Simancas dict. tit.
54. num. 8. Albertin. ibidem num. 1. Suarez, &
104 Castrus citati. Qui benè docent contra Caietanum ęquiuocantem circa hoc 2. 2. q. 11. ar. 1. quòd formaliter, & propriè loquendo non sint idem propositio hæretica, & hæresis; atq; tametsi de ratione huius sit pertinacia, vt vidimus Regula præcedenti; non tamen de ratione illius, nam propositio hæretica sic dicitur absolutè per ordinem ad rem, quam significat, non vero per ordinem ad proferentem, quandoquidem siuè proferatur, siue non; semper est eiusdem qualitatis, seu existit in supremo gradu falsitatis vti opposita primæ veritati reuelanti; at hæresis formalis dicitur talis in ordinem ad proferentem illam, seu ad assentientem ipsi, ac proindè in suo esse includit pertinaciam; ergo propriè, & in rigore propositio hæretica non est formaliter hæresis. Quam-
105 quàm ex mente eiusdem Suarez, sicut fides aliquando sumitur pro doctrina fidei, aliquando verò pro assensu eiusdem fidei, vt vidimus supra, ita hæresis, non incongruè sumi potest, & pro doctrina fidei, aliquando verò pro assensu eiusdem fidei, vt vidimus supra, ita hæresis, non incongruè sumi potest, & pro doctrina contraria fidei, & pro assensu huiusmodi doctrinæ contrario,

106 Ex eo autem quod cuiuis propositioni hæreticæ competat omnimoda contrarietas cum obiecto fidei, seu cum prima veritate reuelante deducitur, vt certum à prædictis Doctoribus omnes propositiones hæreticas esse in se eiusdem, & ęqualis falsitatis. Et
107 quamuis cum D. Thoma 1. part. quæst. 22. artic. 4. & 2. 2. quæst. 11 artic. 2. ab aliquibus, vt ab Eymerico 1. par. Direct. q. 7. & 12. & à Cordub. in quæst. lib. 1. q. 17. Sub hoc primo gradu hæreticarum propositionum varij distinguntur modi, ita vt aliæ contrarientur obiecto

fidei

directè, principaliter, & immediatè; aliæ indirectè, secundariò, & mediatè (om- consulto omitto, quod ad rem nostram pa- faciant) nihilominus quoad falsitatem recipiunt maius, & minus; cum par sit in omnibus oppositio contra obiectum fidei.

Secundus gradus est propositionis erroneæ, qualiter distinguatur à propositione hęretica dubitant Doctores citati. Quamquam nullo quidem modo audiendus Turrecr. vbi supra, qui tantum distinguit inter eas, sicut inter genus, & speciem, atq; inde fortè ęquiuocationem sumit, quod aliquando in iure Canonico nomen, *error*, accipiatur genericè, & propositiones hæreticæ vocentur errores, vt in cap. Excommunicamus, 2. §. vltimo de hęreticis, & in c. accusatus §. 2. de hæreticis in 6. Con- tū manifestè ex Concil. Constant. adducto, ex Bulla Pij V. citata sumi etiam specificè, distingui in specie propositionem hęreticam ab erronea, seu ab errore in fide obiectiuè sum- to Distinctionem inter ipsas ita assignant Canus lib. 12. de locis cap. 10. Simanc. & Cor- adducti, quod propositio hæretica oppo- doctrinæ Catholicæ iam per Ecclesiam definitæ de fide; errnea verò doctrinæ ab omnibus Catholicis receptæ, sed nondum iudicio Ecclesię de fide declaratę. V. G. propositio negans Beatissimam Virginem surrexisse seù in corpore, & anima fuisse assumptam, erronea est, quod nusquam per Ecclesiam definita legatur: similiter illa erat erronea ante Concilium Trident. negans Beatam Virginem nunquam peccasse venialiter, nunc post definitionem Concilij iam est hæretica: qui modus assignandi distinctionem inter eas valdè probabilis est.

1 Probabilior vero ille alius assignatus à Suarez dict. disput. 19. sect. 2. quod sit illa propositio erronea, quę opponitur veritati certæ, Theologica tantum certitudine, quia non est immediatè reuelata, sed deducta per euidentem consequentiam ex vno principio naturali & altero in se reuelato, vt ex hoc naturali, homo est risibilis, & ex isto reuelato, Christus est homo, deducitur Cōclusio euidens Christus est risibilis, atq. huic opposita propositio Christus nō est risibilis erit tantum erronea non hęretica, quia non definitum immediatè ab Ecclesia Christum esse risibilem, esse hominem. Addit tamen idem Suarez respondens ad obiectionem, quamuis in externo, qui profert hanc, Christus non est risibilis, pręsumeretur hęreticus, & vt talis puniretur; interius tamen, seu ipsam in se esse dubio propositionem erroneam.

Sed quid de propositione, quę opponitur conclusioni Theologicæ non euidenter ex principio fidei, sed tantum probabiliter deductæ? respondet benè, & perdoctè, sicut in reliquis Lucius Turrianus de nostra Societate Iesu, in opere select. disp. par. 1. disp. 30. eam adhuc esse censura dignam, minori tamen, debereque dici propositionem errori proximam propter connexionem, & propinquitatem eius cum propositione erronea.

4 Constituitur in tertio gradu propositio sapiens hæresim: quam aliqui, vt Simanch. dict. tit. 54. cum propositione erronea confundunt, eo quod vtrique competat reddere hominem suspectum de hæresi. Verum ex eisdem Concil. Constant. & Bulla Pontificia apparet clarè inter eas esse constituendam distinctionem, ita vt propositio sapiens hęresim minus malitię contineat, quam erronea; sicut hęc minus contineat, quam hæretica. Est ergo propositio hæresim sapiens, quæ ex assumptis alijs principijs sequitur hęresis, quando illa principia non sunt omnino certa, sed in Ecclesia valdè recepta, nec ex eis sequitur illatio euidens. Ita Suarez citatus cum antiquis Theologis, vt cum Gabriel in 4. dist. 13. q. 2. art. 3. Quamquam hæc expositio Suarez videtur coincidere cum resoluto à nobis num. præceden-

115 ti cum Turriano. Ex mente verò Antonij Sousę illa est propositio sapiens hæresim, quæ in sensu proprio hæretica censetur, in metaphorico verò ab hęresi liberatur: Exemplum videtur posse poni in hac propositione, Christus quotidie peccat, sed, vt affert idem Suarez, Concil. Basiliense sect. 2. 2. eam vt erroneam damnat, quia in proprio sensu falsa est contra fidem, & in metaphorico solum ab errore liberatur, intelligendo Christum non in se, sed in suis membris quotidie peccare.

117 Ad quartum gradum spectat propositio malè sonans: & quamuis genericè loquendo præcedentes erronea, & sapiens hęresim malè etiam sonent, ideoque aliqui, quos tacito nomine citat Suarez, ab his illam malè sonantem non distinguant; specificè tamen sumpta, ista inferior est illis in malitia, seù in propinquitate ad hęresim.

118 Definitur itaque sic, quod in aliquo sensu proprio sit hęretica, & in alio etiam proprio sit catholica, dicique potest propositio æquiuoca. Verum, quia frequentius in sensu hæretico sumitur absolutè prolatata, malè sonat: ita Coninch. disputat. 18. dub. 8. & Suarez vbi supra.

119 Qui benè notat, quandoque propositionem esse malè sonantem, non ex se; sed ob aliquam circumstantiam temporis, personæ proferentis, &c. vt hæc, fides iustificat, olim non male sonabat, nunc verò ortis hęresibus malè sonat, maximè si proferatur à persona suspecta de Lutheranismo.

120 Quintus gradus continet propositionem piarum aurium offensiuam: quæ ex mente ferè omnium vix differt à præcedentibus; Suarez tamen ibidem cum Cano citato differentiam aliqualem inter eas ostendit, quod dum dicitur, piarum aurium, per pietatem maximè veræ fidei doctrina connotetur: atque cum pietas ad religionem pertineat, aliquid speciale in hoc gradu propositionis piarum aurium offensiuæ addi videtur per ordinem ad religionem: specialiter enim pias aures offendit, qui aliquid indecens, vel indignum in materia religionis Christianę sentit, aut profert.

121 Sextus gradus est propositionis scandalosæ, quę licet generali ratione de omnibus expressis in gradibus præcedentibus dici possit, cum

omnes illæ propositiones de se scandalum gene
rent: attento tamen eo, quod vox ipsa per se
fert specialiter dicitur propositio scandalosa;
quę in materia fidei occasionem errandi præ-
bet, vt si quis absolutè dicat, imagines non
esse adorandas, &c. Ita Albert. dict. q. 6. num.
10. & Suarez vbi supra.
122 Reponitur in septimo gradu propositio te-
meraria: pro cuius intelligentia notandum se-
cundum D. Thomam 2.2.q.54.art.3. ad 2. quod
vniuersaliter loquendo, temeritas sit præcipi-
tatio quędam faciendi aliquid sine iudicio, vel
regula rationis, quasi per contemptum eius,
& auctoritatis superioris. Vnde quoad præsens
propositio temeraria erit, quæ in doctrina fidei
vel Theologiæ sine rationis regula profertur.
Ita Albertin. dicta q. 6. num. 7. & ibidem Suarez
123 Qui optimè declarat hoc posse euenire dupli
citer, vel positiuè, seù contrariè, vel priuatiuè:
dicitur propositio temeraria positiuè, seu con-
trariè, quę pugnat cōtra receptā sētētiā Patrū,
aut Scholasticorū, itaut oēs, aut ferè oēs cō-
ueniant, siue asserendo rem esse certam, siue
124 probabilem. Priuatiuè autem propositio teme
raria est illa, quæ solo proprio iudicio, sine suf-
ficienti auctoritate, vel cogente ratione tradi-
tur, maximè si sit contra generales regulas, in
125 fide, vel theologia receptas. Exemplificat
ipse Suarez his propositionibus, vt si quis dicat
quod dies Iudicij erat intra certum annorum
numerum; item quod aliquis vltra Beatam Vir
ginem Mariam fuerit conceptus sine peccato
originali; quamquam huic Turrianus vbi supra
maiorem censuram addit, nempe quòd propo-
sitio hæc sit erronea.
126 Gradum octauum constituit propositio schis
matica, seu seditiosa, nimirum, quæ vnionem
membrorum Ecclesiæ, siue vniuersaliter, siue
particulariter aufert, vel oppositam inducit, vt
si quis dicat, quod, malo Prælato, vel Regi
non sit obediendum contra illud 1. Petri 2. Ser-
ui subditi estote in omni tempore dominis ve-
stris, non tantum bonis, & modestis, sed etiam
discolis, Ita Simanc. dict. tit. 54. num. 18. & Al-
bertin. dict. q. 6. num. 11.
127 Nonus gradus est propositionis iniuriosę,
seù contumeliosę, videlicet quæ detrahit ali-
cui statui, aut illustri personę, siue Ecclesiasti-
cæ, siue seculari, aut iniuriam, seu contumeliā
ei infert: hinc illud iniuriam facit martyri, qui
erat pro martyre, cap. cum Matth. de celebrat.
Miss. Ita Antonius Sousa lib. 1. Aphoris. capit. 7.
num. 21. cum Albertin. dict. q. 6. num. 9. qui po-
nit aliud exemplum, vt si quis dicat, quod lex
Moysi suis vmbris, victimis, & terroribus fece-
rit hypocritas; hæc enim propositio est iniurio-
sa, siue contumeliosa legi Moysi, & ipsi Deo.
128 In decimo gradu est propositio impia, ni-
mirum quæ opponitur pietati, quatenus pietas
filiali affectu colit Deum, & consequenter San-
ctos, & Sacram Scripturam. Dicitur etiam im-
pia illa propositio, quæ contrariatur pietati
quatenus impedit; vel tollit pietatem erga
proximos, & obedientiam Deo debitam in ob-
seruatione præceptorum. Tradit idem Sousa
129 ex Albertino ibidem num. 12. Qui exemplum
prioris ponit in eo, qui diceret non esse orandi
pro animabus purgatorij, & indulgentias Papę
pro illis concessas non prodesse: quæ proposi-
tiones ex mente eiusdem Albertini, Oldradi, &
aliorum, quos ille citat; sunt etiam hęreticę;
nam sine dubio ex propositionibus in præce-
dentibus gradibus explicatis alię in alijs con-
tinentur.
130 Vndecimus gradus est propositionis bla
phèmę, seu maledicę: sed de hac nos pluribus
intra peculiari capite. Prædictis autem vnde-
131 cim gradibus addit Albert. dicto c. 6. imo re
ponit 3. loco gradum propositionis impertinen-
tis, exemplum ponit in eo, quod Sanctus Io-
seph Sponsus Virginis Sanctissimæ Mariæ fuerit
vel non fuerit mortuus tempore passionis Chri-
sti Domini: quia siue fuerit superstes, siue de-
functus, nihil pertinet ad fidem, maximè quia
inter Catholicos tractatores est discrepantia, vel
saltem esse videtur: hæc ille, & statim affirmat
quod hęc assertio, vel similes impertinentes
non sint damnabiles: ergò non est præsentis in-
stituti de huiusmodi propositionibus imperti-
nentibus agere, quidquid Albertinus ege-
rit.
132 Notandum primò id, quòd ad rem m
mè conducit, cum Sousa vbi supra num. 25
omnium sententia propositos gradus con
fidem per propositiones explicatos, simili
reperiri in factis, imo ab his propositiones op
133 positionem contra fidem sibi assumere. Vn-
de in communi factum damnabile est, quod
non solum falsum in se, sed peculiari etiam cen
sura, seù ignominiosa qualificatione dignum
iudicatur. Atque in particulari diuiditur in fa-
ctum hęreticum, erroneum, sapiens hęresim
malesonans, &c.
134 Secundò notandum cum Suarez, & Pal
adductis, quòd errare possit homo non so
circa propositionem, vel factum, sed etiam
ca eius censuram, aut qualificationem. V
qui propositionem de fide, vel Theologica
aut à Doctoribus communiter receptam d
esse erroneam, vel scandalosam, aut tem
riam, &c. sine dubio errorem committit; q
virtualiter eam negat; ac pręterea contra
tionem, & iustitiam infami censura ipsam
135 cit. Atq; hoc locum habet etiam in non
finitis adhuc ab Ecclesia, certis tamen in T
logia. Imo si quis sententiam in scholis pr
bilem communiter absque fundamento im
babilem iudicaret, temerarius existeret;
contradicens omnibus, vt ait Turriani cit
qui hinc benè addit ex mente omnium d
decimum gradum qualificationis, seù ce
ræ.
136 Notat item idem Turrian. ad qualifi
dum aliorum opiniones esse euitandam ni
procliuitatem censurandi, & vtendum maxi
prudentia; qua ipse equidem vtitur in quali
candis 352. propositionibus ex triplici Theo
gia, Scholastica, Positiua, & Morali, quas cen
turijs quatuor per dubia breuissima comprehen
dit. Recurret forte alibi nobis occasio de his
copiosius tractandi, earumq. magis præcipuas
tibi colligendi.

Tandem

137 Tandem certum, quod tàm de factis, quam de propositionibus damnabilibus prædictis possint Inquisitores, vt Iudices competentes cognoscere; quia respectu cuiuscunque est aliqua oppositio contra fidem, & præsumptio hæresis; sicque vsu receptum est in quibuscumque Tribunalibus Sanctæ Inquisitionis, & introductum exemplo precipuè citati Concilij Constantien. vt cum Lorca 2.2. q.11.art.2.disp.4.num.1.tradit Diana dict. resol. 94.tract. 8.

138 Dixi in definitione hæresis, quod sit error contra veritatem fidei in homine, qui hanc iam receperat; in qua vltima particula denotatur subiectum hæresis, per quo completè manifestando, & capacitate in eo requisita ostendenda inseruiet sequens Regula.

Viator ne quiuis capax hæresis? quæ conditiones ad id in eo requisitæ?

REGVLA C.

QVicunque homo viator est subiectum capax hæresis, ac verus hæreticus constitui potest, si triplex in eo conditio concurrat: prima, vt errans contra fidem iam prius crediderit, & à fide recepta deficiat. Secunda vt talis error sit in homine Christiano baptizato saltem præsumptiuè, idque prorsus quoad forum Ecclesiæ, cum respectu Dei etiã non baptizatus possit esse hæreticus. Tertia vt non circa totam, sed circa aliquam saltem materiæ fidei partem male sentiat.

---

140 ALiquantulum dissident Auctores circa has conditiones in subiecto hæresis requisitas: prima videtur expressè de mente D.Thomæ 2.2.q.10.art.5. cum per eam ibi distinguat hæresim ab alijs speciebus infidelitatis, & assignatur clarè à Tertulliano lib.1.cõtra Marcion. cap.1. dicente, hæreticum esse, qui deserto, quod prius erat, postea sibi elegit,
141 quod retrò non erat. Insurgit tamen dubium circa eam, de qua fide intelligatur, per quam hæreticus prius credidit, & à qua postea defecit. An de Catholica? qua quis profitetur Religionem Christianam? seu potius de quacunque alia diuina, habituali, aut humana? Caietanus in dict. art.5. cum alijs Thomistis de catholica fide vult intelligi ex eo principio, quod ipse tenet, nullum dari verum hæreticum, qui non simul sit etiam apostata: sed hoc vt improbabile reijciemus cap. sequenti.

142 Meritò itaque vt verum docent alij præcipuè Suarez dict.disp.19.sect.5.posse aliquem esse verum hæreticum, non solum respectu Dei sed etiam quoad forum Ecclesiæ, tametsi nunquam Catholicus fuerit, ostenditur manifestè exemplo hominis in infantia baptizati, & inter hæreticos solos enutriti, atq; ipsorum erroribus imbuti: qui nunquam fuit propriè fidelis, nec aliquid per fidem infusam credidit, vel credere potuit; cum caruerit omnino instructione, atque ideo interim ab hæresi excusabatur, postea verò iam adultus, si de mysterijs fidei instruatur, & credat incarnationem Verbi, & alia mysteria fidei, neget tamen vnũ v.g. Eucharistiæ, fiet sine dubio verus hæreticus, & vt talis puniri poterit.

143 Imò addit benè ipse Suarez, quod similiter sit affirmandum etiam casu, quo receptus baptismus in infantia fuisset inualidus ex defectu intentionis in Ministro, aut ex defectu essentiali in forma, aut materia, & consequenter sic inualidè baptizatus non recepisset fidem infusam habitualem, vbi probatur receptio baptismi, & de inualiditate eius non constat. Patet, quia taliter negans Eucharistiam, & credens fide humana Incarnationem & alia mysteria est infidelis contrariè, & non paganus, vt quiuis concedit, neque Iudęus, cum credat Messiam iam venisse, ergo erit hæreticus propriè dictus; concluditur itaque satis esse, quod præcedat in homine quæcunque fides, etiam humana, vt sit subiectum capax hæresis.

144 Notandum hic cum eodem Suarez, & alijs non requiri, vt quis hæresim contrahat, & sit verus hæreticus, quod præcedat in eo fides illius mysterijs circa quod postea errat, sed satis esse, vt in Christum crediderit, & credat: Ratio est, quia supposita hac fide in Christum, si instruatur homo sufficienter de aliqua veritate, vt per Ecclesiam definita, cuius nullam prius notitiam habebat, & pertinaciter contrarium credat, erit verus hæreticus, vt patet ex eadem inductione; quia est infidelis; sed non paganus, neque Iudæus; ergò hæreticus: item quia non apparet ratio, cur debeat præcedere in homine hæretico fides illius articuli, contra quem postea habet hæresim, vt hæc sit completa in sua specie.

145 Sed quid de secunda conditione ad capacitatem subiecti hæresis requisita? doctrina est D. Augustini lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 51: & D.Thomæ 2.2.q.11.art. 2. ac aliorum communiter, errorem debere esse in Christiano, vt hic sit propriè hæreticus. Dubitatur tamen,
146 an debeat esse baptizatus. duplex est sententia circa hoc, altera negans, quia Catechumenus potest verè hæreticus esse, antequam recipiat baptismum, ergo absque hoc hæresis in aliquo reperiri valet. Ita Azor tom.1.lib.8.cap. 9.q.3. & Farin. de heresi q.178.num 131.& 135

147 Altera sententia est affirmans debere personam esse baptizatam, vt sit capax hæresis quia per baptismum fit homo Christianus, & membrum Ecclesiæ Catholicæ. Ita Caietanus dict.art.2. Vgolin.de Censuris reseruatis Papæ 2.part. capit. 1. §. 1. Sanchez lib. 2. in Decal. capit. 7. numer. 37. & Toletus in Summa lib. 4.cap.3.

148 Reducunrur facilè, & optimè in concordiam à Suarez, vbi supra hæ duæ sententiæ sub hac distinctione, vt prima intelligatur de hæretico interno quoad Deum, qualis est Catechumenus, quia hic postquam credidit Christo, & recepit totam fidem, iam est aliquo modo

Christianus, cum per eam sit Christo Domino vnitus, & saluari per Baptismum flaminis possit: vnde si ab ipsa circa aliquem articulum recedat, fiet verus hæreticus, quoad forum animæ, seu respectu Dei tantum, neque hoc auctores contrarij vllo modo reprobare
149 possunt. Secunda vero sententia intelligatur, quod debeat præcedere baptismus aquæ in homine, vt sit capax hæresis quoad forum externum Ecclesiæ, ad contrahendas pœnas, & vt Inquisitores contra eum procedere possint. Ratio est, quia per receptionem baptismi aquæ fit membrum Ecclesiæ, & incipit esse sub eius iurisdictione, neq; ab ipsa ob hæresim potest puniri, nisi in eo baptismus supponatur; cum hic sit ianua, per quam intratur in Ecclesiam. Ita Simanchas Cathol. institut. tit. 31. num. 6. cum Doctoribus citatis pro vtraque sententia,
150 & cum reliquis; vno præcepto Alphonso de Castro lib. 1 de iusta hæretic. punitione cap. 8. absque fundamento improbabiliter asserente posse Catechumenum hæreticum ab Ecclesia puniri; sed merito omnes eius assertionem reijciunt; cum constet ex testimonio Apostoli 1. Corinth. 5. Ecclesiam non habere iurisdictionem in rebus fidei circa eos, qui foris sunt, nisi post susceptum baptismum, similiter ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 2.

151 Adhuc autem est dubium, vbi iam quis baptismum suscepit, sed inualidè ex defectu essentiali in forma, materia, &c. an censeatur hæreticus, subsitque iurisdictioni Ecclesiæ, & possit ab Inquisitoribus puniri, si à fide recedat? Affirmanter respondent Gabriel in 4. dist. 13 q. 2. art. 1. notabili 3. & Simanchas dicto tit. 31. num 5. atque hęc responsio locum certè habet casu, quo constat de receptione baptismi, & non de inualiditate eius, nec potest constare; quia tunc præsumptio stat pro baptismo. Si ve-
152 ro inualiditas eius sit Ecclesiæ, vt veram partem negantem benè docent Vgolinus, Sanchez, Suarez locis citatis, & alij, ob rationem
153 dictam numer. præcedenti. Quamquam Sayrus tom 1. lib. 3. cap. 4 num. 11. vt probabile addit, posset talem sic inualidè baptizatum cogi ab Ecclesia ad reualidandum baptismum: imo hoc verissimum iudicat idem Sanchez, defenduntque benè Enriquez lib. 2. de baptismo cap. 25. num. 6. & alij.

154 Tertiæ conditionis ad capacitatem subiecti hæresis duæ sunt partes, prima ne sit error contra omnes fidei veritates; alioquin sic errans apostata esset, & non hæreticus, sed de hoc capite sequenti. Secunda vt saltem ab vna totius Christianæ fidei veritate dissentiat. Cir-
155 ca quod videtur esse difficultas, quia accipiens fidem per reuelationem immediatam à Deo alicuius veritatis particularis, si ab ea recedat, est verus hæreticus, vt paulo ante ostendimus, ergo non requiritur, quod discedat à fide Catholica circa aliquod mysterium ab Ecclesia propositum, vt quis sit capax hæresis. Cui difficultati satisfit facile ex mente Azor, & Suarez locis citatis, atque aliorum concedendo consequentiam; nam hęc secunda pars tertiæ conditionis ad capacitatem hæresis, intelligitur quoad forum Ecclesiæ externum, & vt ab hac, seu ab Inquisitoribus hæreticus sit punibilis, recedens à fidei veritate, quam ipsa om-
156 nibus credendam proponit. At recedens à fide rei particularis, per priuatam reuelationem à Deo immediatè acceptam, licet sit verus hæreticus, nequit tamen ab hanc hæresim ab Ecclesia puniri, quidquid in contrarium dicant alij, vt Sanchez, vbi supra num. 32. Qui interpretari possunt, vt interpretatur Suarez de casu, quo recipiens huiusmodi reuelationē priuatā, seu rē à Deo reuelatā manifestat eam si Ecclesiæ, & hæc approbat, vel reprobat, vti conuenienter iudicat, & ille nō vult tali iudicio approbationis, vel reprobationis stare; quia tūc iam est pertinax contra auctoritatem Ecclesiæ
157 & consequenter ab hac punibilis. Atque hactenus tradita pro declaranda natura, & definitione hæresis, ac multiplici hæreticorum diuisione sufficiant; sequitur expendendum, quinam sint suspecti de hæresi, & qualiter, quod fiet Regula sequenti.

Suspecti de hæresi, qui dicuntur? quot, & quales gradus huiusmodi suspectorum.

REGVLA CI.

158 SVspecti de hęresi dicuntur omnes illi contra quos insurgit aliqua suspicio, seu præsumptio ex solis indicijs; quod ab aliqua saltem veritate fidei Catholicæ defecerint. Sunt autē magis, vel minus de hæresi suspecti iuxta qualitatem, & diuersitatem indiciorum; atq; hinc tres gradus huiusmodi suspicionis assignantur; nempe leuis, vehementis, & violentæ, atque in vnaquaque istarum est etiam latitudo maioris, & minoris.

---

159 DE materia huius Regulæ agitur sæpe in iure Canonico, præcipuè in cap. excommunicamus, de hæreticis, cap. commisti, & cap. accusatus, eodem titulo in 6. ac à Doctoribus, ab Eymerico in Direct. part. q. 55. & ibidem à Penna comment. 18. à Simancha Cathol. institut. tit. 5. à Sousa compendiosè valdè lib. 1. Aphoris. cap. 10. è contra copio-
160 sissimè à Farin. q. 187. Qui ex omnium mente hoc principium vti certum præmittit quod nemo præsumatur hereticus, nisi adsint saltem indicia; ex quibus solis absque sufficienti, expresso testimonio suspicio, vel pręsumptio (pro eodem enim hæc duo sumuntur teste eodem Sousa num. 4.) probabilis concipitur secundum D Thomam 2. 2. quæst. 60. articul. 4. Si verò absque illis concipiatur, erit suspicio temeraria, qua reiecta de probabili tantum
161 hic dicendo intelliguntur. Suspectus itaq; de hæresi ille censetur, qui, vt ait Suarez disp. 25. de fide sec. 2. in suspicionem suæ fidei per sola indicia venit, atq; eo magis, vel minus suspectus, quo indicia fuerint vrgentiora, vel non ita vrgen-
162 tia. Hinc attento ipso iure ex communi aucto-

auctorum sententia triplex proposita quasi species suspicionis, seù præsumptionis de hæresi, leuis scilicet, vehementis, & violentæ:quarum vnaqueq; sigillatim declaranda, adductis exemplis aliquibus maximè in iure expressis.
163 Ex dicto capite, accusatus, initio manifestè apparet, quid sit suspitio leuis, seu modica, sic etiam communiter vocata, nempè, quæ sicut ex modicis coniecturis, aut ex leuibus inditijs insurgit; ita leui, seu modica defensione tollitur: talis suspicio, seu præsumptio est de hæresi in illis, qui conuenticula occulta in materia Religionis celebrantes reperiũtur, eis vel intersunt, sic exemplificant Eymericus citatus, & noster eruditissimus Martinus del Rio disqu. magicar. lib. 5. sect. 12. similiter sunt leuiter suspecti de hæresi, qui habent vitam, & mores dissimiles à communiter viuentibus Christianè, vt deducitur ex prædicto capit. excommunicamus, & asserit Menoch. lib. 1. de præsumpt. q.
164 100. num. 1. Verum aliqualiter limitans Simancas adductus cum Gersone tract. de præsumpt. sic declarat per sequentia verba, suspicio leuis prouenit ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur coniectura; qua concludi potest; non quidem frequenter, sed raro, seu casu, quod talia dicens, vel faciens hæreticus sit, idque dèducitur leui cõsequentia, vt puta, si argumentemur, Petrus deierat frequenter, ergo non benè in Deum credit; hęc ille. ex qua Simanchæ limitatione, & ex propositis exẽplis clare deducitur, quod reperiatur latitudo inter presumptiones de leui, & vna sit maior altera, idque vt certum omnes concedunt.
165 Vehemens autem hæresis suspicio vocatur etiam in iure magna, eodem cap. Accusatus, ibi contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio orta est: nam particula, & vt aduertit explicans hũc textum Ioan. Andreas, non copulatiuè, sed expositiuè sumitur. Atque vehemens idem est, quod fortis, vt cum Archidiacono ibidem, docet Eymericus loc. citato, & ostendit ex illo Iob. 1. Ventus vehemẽs irruit à regionè deserti, idest, fortis iuxtà expositionem D. Gregorij lib. 1. morali. Descri-
166 bit eam Simanchas his verbis: suspicio vehemens sumitur ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentũ concludens frequenter, & vt in pluribus; quod talia dicens, vel faciens est hæreticus v. g. si quis neget explicitè aliquas propositiones fidei, quas tenetur ex officio scire, is vehementer suspectus est: quamuis fieri possit, vt talis negatio ex ignorantia, vel animi leuitate sit orta, hactenus Simanchas, & quidem benè.
167 Sed melius, & expressius describitur ab Eymerico ibidem ita, suspicio magna vehemens seu fortis est illa, quę non nisi magnis vehementibus, & fortibus defensionibus repellitur, sicut ex magnis, vehementibus, ac fortibus oritur
168 coniecturis, atque indicijs. Atque contra hanc vehementem suspicionem ex omnium Doctorum sententia, quam refert, & sequitur Ioann. Royas singul. 165. admittitur probatio in contrarium, quia ex illa oritur sola iuris presumptio, vt ait Farin. citatus ex Penna in Directoria part. 2. Comment. 80.
169 Qui cum Eymerico ibidem quæst. 56. Comment. 81. benè expendit decem casus suspicionis de hæresi vehementis, in Iure Canonico expressos, nempe quando aliquis vocatur ab Inquisitoribus, vt de fide respondeat, & ipse parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, ex cap. cum contumacia, de hereticis in
170 6. talis est de hæresi vehementer suspectus. Similiter vbi quis hunc ab Inquisitoribus vocatum instruit, aut inducit ad subticendam eis veritatem, vel ad dicendam falsitatem, ex c. Accusatus prædicto §. fin. sic instruens, vel inducens in eandem suspicionem hæresis vehe-
171 mentem incidit. Item quando quis cum hæreticis manifestis, & cognitis habet peculiarem familiaritatem, &c. ex cap. inter sollicitudines depurgat. Canon. Atque omissis nunc reliquis casibus ex illis decem, & alijs, de quibus à nobis ex professo Regulis, & Capitibus sequen
172 tibus agendum. In Concil. Tarrac. cui, vt ait Eymericus, interfuit ille valdè insignis fidei Inquisitor, S. Raymundus de Penna forte, hic casus fuit decisus, vt qui dicit, vel facit aliquid contra fidem, & hoc semel, suspectus sit leuiter de hęresi; qui autem bis, vel ter suspectus sit de hęresi vehementer, qui autem pluries, & frequenter, suspectus sit de hæresi vehementissimè: ita totidem verbis ibidem Eymericus. Vndè manifestè apparet dari latitudinem inter suspiciones de hęresi vehementes ita vt vna sit vehementior, quam alia, imo aliqua vehementissima.
173 Tandem suspicio hæresis violenta, seu maxima habetur expresè in dicto cap. cum contumacia, & cap. accusatus: à Doctoribus verò communiter vocatur suspicio, seu pręsumptio iuris, & de iure; & est illa, quæ adeò hominẽ de hęresi suspectum ostendit, vt æquiualeat sufficienti, & completæ probationi, maximè si fundetur in iure. Vnde sic suspectus de hoc crimine, vti hęreticus formalis habendus, & tractandus est, quia contra suspicionem violentam rarò, aut nunquam probatio admittitur. Ita citati Doctores Eymericus, Peña, Suarez, Farin. & alij communiter contra Ioannem Rojam dict. singulari 165. absolutè affirmantem admitti probationem contra præsumptionem iuris, & de iure.
174 Exempla sint in adorantibus hęreticos, vel consolationem, communionemuè ab eis recipientibus post abiuratam hęresim, ob suspicionem eius vehementem: similiter in redeuntibus ad ritus Iudęorum; hi contra hunt suspicionem hæresis violentam, imo aliquando violentissimam, vt cum Carrerio, & Boss. ab ipso citatis affirmat Farin. vbi supra §. 4. num. 46. Atque hinc assignantur etiam gradus maioris, & minoris inter suspiciones violentas.
175 Quamquam optimè notat idem Farin. num. 51. hodie in supremo Romanę Inquisitionis Tribunali non esse in vsu condennationem alicuius ob violentam hęresis præsumptionem; sed hanc reduci ad vehementem, aut vehementissimã: sicq; est stylus reducendi in hoc nostro

Tribunali Melitensi, me teste munus Consultoris in eo per 36. annos assiduè exercente. Atque hæc pro hoc loco circa suspectos de hęresi; sed quid iam circa diffamatos de ea?

Quinam diffamati de hæresi censentur? & quibos modis diffamatio eorum contingit?

REGVLA CII.

176 DIffamati de hæresi dicuntur illi, de quibus extat publica vox, & fama communiter apud omnes, vel maiorem partem populi, aut viciniæ, quod talem hæresim prędicauerint, defenderint, vel illi adhæserint. Triplici autem præcipuè modo quis grauiter de hæresi diffamatur. Primo si apud viros bonos sæpè notetur infamia. Secundò, si eum viri probi euitent, adsintq; indicia infamiam augentia. Tertiò, si post delictum graue, vt violationem imaginum statim contra eum oriatur infamia, attentis circumstantijs personarum, locorum, temporum, &c.

177 PRoposita definitio, seu descriptio diffamatorum de hæresi communis est apud omnes Doctores, colligiturq; ex diuersis capitibus iuris, maximè ex cap. accusatus, cap. excommunicamus præalleg. de hæreticis in 6. & cap. vt officium, cap Inquisitores, ac reliquis
178 ferè, eodem titulo, & lib. Verum, vt contra sic de hęresi diffamatos possit Inquisitioni initium dari sufficit quæcumque infamia, etiamsi à personis vilibus, aut ab æmulis, vel inimicis ortum habuerit, vt docent Penna 2. p. direct. Commen. 82. vers. Nec refert, Sousa lib. 1. Aphorism. cap 26. & cum alijs multis ab ipso adductis. Farin. de hæresi, q. 187. §. 5. atq; hoc saltem deducitur ex dictis cap. Inquisitoes, cap. vt officium, & cap excommunicamus; eo quod in his indistinctè, & absolutè sit sermo de diffamatione absq; mentione vlla, an apud bonos, & graues, vel apud malos, & viles fuerit quis infamatus.
179 Vtrum vero ad indicendam alicui purgationem canonicam sufficiat quæuis infamatio, etiam quæ ortum ducat ab æmulis, & vilibus, & quæ probetur per duos tantum testes non idoneos, controuersum est aliqualiter inter Do
180 ctores. Affirmant, & quidem non improbabiliter aliqui, præcipuè Eymericus citatus, ob eandem rationem indefinitæ locutionis in præallegatis capitibus, maximè in cap. in solicitudines, de purgatione canonica, in illis, ipsum igitur ad te remittentes, vt ibi purgetur, vbi noscitur infamatus.
181 Probabilius tamen iudico id, quod alij multi simpliciter tradunt, nimirum requiri infamiam grauem, & publicam, probatamque per duos testes habiles, vel per plures inhabiles. Ratio est, quia per hanc infamiam grauem, sicque probatam redditur quis diffamatus de hæresi vehementer: at si infamia non sit grauis, reddetur diffamatus, vt in plurimum leuiter tantum; ac proinde esset nimis onerosum ipsi iniungere purgationem canonicam. Ita citati Sousa num. 4. Farin. cum diuersis ab ipso relatis dic. §. 5. num. 72. & Penna 2. par. Direct.
182 Comment. 14. vers. est autem. Vbi in genere paucis declarat quid sit purgatio canonica, est autem, inquit, purgatio canonica, ostensio innocentiæ de crimine obiecto; sic ille.
183 Ostendit item benè ipse Penna 3. par. Direct. Comment. 38. vers sed quæret quispiam, qualiter triplici modo præcipuè in Regula expresso grauis infamia hæresis ab aliquo contrahatur, scilicet vbi passim, seu multoties quis apud homines probos infamia laborat, hæc grauis, & vehemens censetur. Item similem contrahit ille, grauiterque de hæresi diffamatus erit, qui à bonorum consortio repellitur, & concurrunt indicia, ac suspiciones, quibus infamia augetur. Tertio, est etiam reputanda grauis infamia illa; quæ oritur contra aliquem statim atque aliquod magnum, & enorme delictum commisit contra fidem. v.g. S.S. Imagines delesit, templa combusit, sacramenta vio-
184 lauit, & similia. Conuenienter autem addit idem Penna, attendendas esse semper à prudente Iudice circumstantias personarum, locor & temporum, ex quibus alij etiam modi g uis infamiæ desumi possunt.
185 De modo exequendi purgationem canonicam nihil in præsenti; alibi fortè aliquid opportunius dicetur: nam vt affirmat Penna eodem Commen. 38. vers. & cum, vsus purgationis canonicæ in reliquis ferè criminibus iam abolitus, & extinctus, in hoc hæreticæ prauitatis apud Sanctum Inquisitionis Tribunal a huc retinetur, & frequentatur: quamqua apud nostrum Melitense non video illum; c tot annorum spatio, me semper præsente, vnius saltem inquisiti causa per purgation canonicam expedita fuerit; sed iam ad credetes hæreticorum, vel hæresiarcharum; aut dogmatistarum, & ad ostendendam differentia inter hos omnes gradum faciamus.

Credentes hæreticorum quinam? & qualiter isti se habere possint?

REGVLA CIII.

186 HÆreticorum credentes sunt illi, qu damnatos per Ecclesiam errores scie ter tenent, eo quod aliquis, cui credunt, si dixit, siue iste sit inuentor, & seminator tali errorum, qui hinc dicitur hæresiarcha, siuè iam inuentos ab alio prædicet tantum, ac doceat, & hinc appellatur dogmatista, siue nec inuenerit, nec prædicauerit; sed sit solum merus hæ
187 reticus. Ipsi autem hæreticorum credentes diuersimodè se habere possunt, nempè si manifestè, & explicitè alicuius erroribus credant; vel si implicitè, & non ita manifestè; idque verbis, vel factis, atque vtroque modo sunt simul & hęreticorum credentes, & verè hæretici.

Ali.

188 Aliquando tamen insurgit sola suspicio dictæ
credulitatis, & hæresis contra ipsos credentes.

VArias expositiones circa istos hęretico-
189 rum credentes, & circa differentiam
inter vtrosque refert Farin. de hæresi quęst. 187
§. 8. num. 104. more suo proposita sigillatim
sententia vniuscuiusque auctoris, præcipuè
Mendosij in Repert. Inquisit. verb. credentes,
vers. secundo, & Zanchini in tract. de hęreticis
cap. 7. num. 5. restrictissimè asserentium in hoc
tantum differre credentes ab hæreticis, quod
isti denuò errores gignant; illi verò eos iam na-
190 tos sequantur. Quorum assertum nullo niti-
tur fundamento: vnde benè ipse Farin. cum
Cardinali Toleto lib. 1. Summ. cap. 19. num. 5.
resoluit doctrinam a nobis in Regula traditam,
quam etiam tradunt communiter alij, in pri-
mis Antonius Sanctarellus tract. de hæresi cap.
11. dub. 4. & Suosa lib. 1. Aphoris. cap. 22. Non
enim apparet ratio, cur eo modo debeat hoc
restringi, quo volunt Zanchinus, & Mendosius,
vt solum sint hæreticorum credentes, qui ali-
cui Hæresiarchæ, aut Dogmatistæ, & non qui
alicui mero Hæretico credunt.

191 Dari credentes hæreticorum, qui explici-
tè, & in particulari eorum erroribus credant
non indiget probatione, cum per se pateat, vt si
quis credat confessionem auricularem prorsus
non esse necessariam ad salutem, aut imagines
Sanctorum neutiquam debere adorari, quia
Lutherus, vel aliquis Lutheranus dixit. Quod
192 vero dentur credentes hęreticorum implici-
tè; seù non ita manifestè, qui id verbis; vel fa-
ctis indicent, sic ostenditur. Primò verbis, vt
si quis dicat se cum Caluinistis sentire in mate-
ria fidei, aut Caluinum fuisse virum bonum, &
se in eius fide velle mori, aut si dicat, hæreti-
cos habere veram fidem ad acquirendam salu
tem æternam, esseq; viros bonos in conuersa-
tione, & vita, aut si dicat peccare eos, qui ip-
sos hæreticos persequuntur. Ita Simanchas Ca
thol. instit. tit. 15, nu. 2. Penna in Direct. par. 2.
Comment. 75. & alij citandi.

193 Factis item quis implicitè indicabit, quod
sit credens hæreticorum, si ea exerceat, in
quibus hæreticorum ritus continentur, si eos-
dem ritus officiosè colat, ac veneretur, indi-
cabit etiam, si dum in lecto ægrotus decumbit
petat hęreticos consolatores, vt per ma-
nus impositionem recipiat consolationem, vt
patet ex cap. Filij; de hæreticis in 6. Similiter
si istorum concionibus, ac sermonibus frequen
ter intersit; docent idem Penna ibidem, Sylue
ster, heresis 1. num. 10. Azor tom. 1. lib. 8. cap.
15. q. 1. & cum alijs ab ipso relatis Sanctarellus
194 vbi supra. Qui cum Archidiacono in capit.
quicumque de hęreticis in 6. & cum Ioan. Andr.
ibi num. 2. benè limitat, si semel tantum quis
interesset concionibus illis, non censeretur cre-
dens hęreticorum: esset tamen de hęresi suspe-
ctus, magis, vel minus, attenta qualitate per-
sonæ, & alijs circumstantijs.

195 Predictos autem hęreticorum credentes
esse etiam hęreticos formaliter, constat ex c.
excommunicamus, il secondo. §. si qui autem
de hęreticis, & vt tales excommunicantur ibi
§. finali, & cap. vt officium, de hęreticis in 6.
& in bullis Martini V. inter cunctos, & Pauli IV.
Cum ex Apostolatus, per Pennam in fine Di-
rect. adductis, ac tandem in Bulla Cœnæ Do-
196 mini. Nec obstat si obijcias, frustra in pri-
ma clausula Bullæ cœnę, Addi hanc particu-
lam, credentes hęreticorum; cum iam prius
sub hęreticis viderentur comprehensi, & ex-
communicati; quia respondetur, quamuis à
Pio V. fuerit omissa, vt notat Nauarrus in
Summ. cap. 27. num. 55. meritò ab alijs Ponti-
ficibus additam fuisse ad maiorem claritatem;
quia hæretici meri ferè semper erroribus con-
tra fidem explicitè credunt, & sic sentiunt im-
mediatè contra Ecclesiæ auctoritatem; at cre-
dentes hęreticorum eisdem erroribus sępissimè
adhærent implicitè, & mediatè, eò quod di-
xerit, aut docuerit aliquid hæreticus, vel hæ-
resiarcha, aut dogmatista, vt expositum in Re-
gula, & tradit ex mente omnium Sanctarellus
citatus.

197 Nota hic tandem non requiri, vt aliquis di-
catur dogmatizans, & hæresiarcha, quod re
ipsa audientes, aut videntes persuadeat, vel
confirmet in erroribus; sed sufficere, quod de
facto nitatur persuadere, vel confirmare, idq;
præstat quasi ex officio, & consuetudine publi-
cè, vel occultè, siue verbis, siue scriptis, aut
libris editis, in quibus hæreses contra fidem
defendantur: habetur in cap. Qui aliorum 24.
q; 3. & tradit Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 9. cum
Suarez de fide disp. 23. sect. 2. & cum alijs.

Qui sint hæreticorum fautores? & qualiter eis fauere contingat?

REGVLA CIV.

198 FAutores hæreticorum dicuntur illi, qui
eis in causis contra fidem, & intuitu hę
resis, quouis modo fauorem præstant. Hoc au-
tem dupliciter euenire potest, vel per omissio-
nem, vel per commissionem, idque aut verbis
199 aut factis, vel vtroque simul. Neutiquam
tamen erunt hæreticorum fautores, qui non
in causis hæresis, sed aliorum criminum, vel
ex affectu cognationis amicitiæ, &c. hæreti-
cis auxilium præbent, neque hoc cedit in fa-
uorem hæresis.

---

200 TAm proposita definitio fautoris hæreti-
corum, quam diuisio duplicis fautoriæ
per omissionem, & commissionem traditur
communiter à Doctoribus, præcipuè ab Eyme
rico 2. par. Direct. q. 53. & ibi Penna Commen.
78. à Sanchez lib. 2. in Decalog. capit. 10. num.
11. à Sanctarello de hæresi cap. 11. dub. 1. & à
Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 25. Ostenditur varijs
exemplis ex iure canonico, & ex classicorum

Docto

Doctorum auctoritate desumptis, quibus multi fautores hęreticorum, & consequenter de hęresi, vt in plurimum vehementer suspecti innotescent.

201 Primo per omissionem fautores dicuntur hęreticorum Episcopi; & Inquisitores, ac eorum ministri, qui cum ex officio, aut iuramento, vel ratione stipendij accepti contra hęreticos procedere, eos denunciare. accusare, & punire, atque ab hęresi auocare teneantur, id prestare omittunt. Colligitur quoad Episcopos, & Inquisitores ex Clement. 1. de pœnis, & ex Clement. §. verum, de hęreticis. Probatur quoad omnes argumento sumpto ex capit. Vbi potest 23. quęst. 3 ibi enim dicitur, eos, qui possunt impedire improbos, ne quid mali faciant, & non impediunt, illorum malitiæ fauere: & magis ex cap. 2 de hęret icis expresse enim ibi habetur, qui alios cum potest, ab errore non reuocat, se ipsum errare demonstrat.

202 Quod cum glos. ibi verb. non reuocat, applicant Hostriensis, Panhormitanus, & alij, quibuscumque non reuocantibus; sed certum est secundum Peñam 2. part. Direct. Commen. 2. vers. si de Episcopis Sanctarellum vbi supra, & secundum reliquos cōmuniter, quod debeat intelligi de solis Episcopis, Inquisitoribus, & alijs, qui ex officio obligantur reuocare, etsi non reuo cent, censentur errorum fautores. Atque ita docent Syluester hęresis 1. num. 10 Graffius 1. par. lib. 4. cap. 18. num. 24. & cum alijs ab eo adductis Sanctarellus loco citato.

203 Sunt item per omissionem fautores hæreticorum illi, qui legitimè requisiti ab Inquisitoribus de hæreticis, eos celant, & veritatem negant, dissimulant, testimonium contra ipsos ferre nolunt, aut diminute ferunt: ita Peña

204 & Sanchez citati. Prorsus idem affirmandū est de Magistratibus, & Dominis secularibus, de officialibus eorum publicis, de Rectoribus, & Gubernatoribus Prouinciarum, populorum, &c. qui etiam non requisiti ab Inquisitoribus de persecutione, aut captura hæreticorum, hos omittunt inuestigare, capere, è terris suis eijcere, &c. Docent Ananias in cap. excommunicamus, §. credentes de hæreticis, num. 14. Caietan. verb. excommunicatio cap. 2. Simanchas Cathol. institut. tit. 15. nu. 13. & cum multis alijs ibidem Sanctarell.

205 Huc etiam spectat, quod idem Sanctarellus rectè notat, nimirum iuxtà dispositionem cap. vt officium §. statuimus, de hęreticis in 6. esse habendos, & tractandos vti hæreticorum fautores, & de hæresi suspectos Gubernatores ciuitatum, nolentes iurare de procuranda à se, & à suis subditis obseruatione Constitutionum, quæ per Sedem Apostolicam contra hæreticos promulgantur, pœnæ dictis Gubernatoribus infligendæ, ibi exprimuntur; sed de his nos opportunius alibi.

206 Est tamen dubium, an si homines priuati, qui non tenentur ex officio præbere auxilium ad capiendos hæreticos, omittant præbere; vel negligant eos capere, saltem vbi ad id sunt requisiti, & possunt, dicantur ipsorum fautores? Diuisi sunt Doctores circa hoc, affirmant aliqui, vt Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 25. num. 6. ac Diana par. 4. tract. 7. resolut. 21. & quidem non improbabiliter. Alij verò negant, vt Peña cum Eymerico 2. par. Direct. quæst. 53. Comm. 78. vers. sed nec illi Farin. de hæresi q. 182. §. 2 num. 36. & Sanctarellus vbi

207 supra. Quorum Sententia, saltem ob eorum auctoritatem est etiam probabilis, & non reijcienda, sicuti immerito reijcit Diana (pace tanti viri sit dictum) absque fundamento, & ratione, sola adducta auctoritate Sousæ: quem secutus coniungit hos omittentes auxilium præbere ad capiendum hæreticum cum nolentibus ferre testimoniū contra ipsum, vel celantibus vritatem, vbi ad illud ferendum, & ad hanc manifestandam ab Inquisitoribus iuridicè adstringuntur, quasi vtrorumq; eadem sit ratio; quæ re vera videtur esse valde diuersa.

208 Contra istos enim facile insurgit presumptio fautorię pro liberando hęretico, cum constituti in Tribunali, & iam adstricti iuridicè ab Inquisitoribus sub iuramento solemni de veritate dicenda, nolint eam dicere, nec testimonium ferre: secus verò est de omittentibus prębere auxilium ad capiendum hæreticum; cum id possint omittere ex negligentia vel quod attendant ad negotia propria, vel quod nolint, cum ex officio non teneantur se immiscere negotio ex se difficili, inducente quandoque periculum vitæ, aut saltem læsionis.

209 Dubium etiam extat, sint nè fautores hęreticorum omittentes denunciare hęreticos post publicationem Edicti Sanctæ Inquisitionis? Affirmanter respondent Decianus lib. 5. c. 51. num. 25. Peña 2. part. Direct. Comment. 7 & Alphonsus de Castro lib. 2. de iusta hęreticorum punit. cap. 23 qui eos ob hanc omissionem et de hęresi vehementer suspectos docet: quos limitat Michael Zanardus in personis nobilibus (non video fundamentum limitationis pro ipsis) vt istæ tantum sint leuiter suspectę de

210 hęresi, si non denuntient. Verum si loquimur de priuatis hominibus, & non de his, qui ex officio denunciare tenentur, partem negantem absolutè sequor, quam vt veram defendunt Rojas singul. 3. num. 18. Suarez disp. 20. de fide sect. 4. Simanchas Cathol. instit. tit. 19. Sanctarellus de hæresi cap. 9. dub. vnic. num. 19. & Diana resol. citat. nempè tantum esse reputandos, & puniendos arbitrio, vt inobedien-

211 tes, & non vt fautores hæreticorum. Excepto quando non denuncians cum hęreticis cognitis conuersaretur, essetque eis nimis familiaris, & amicus. Tunc enim secundum Rojam citatum insurgeret contra eum pręsumptio hæresis violenta, aut saltem vehemens, ac censeretur sine dubio fautor hęreticorum.

212 Per commissionem pręterea constituuntur hæreticorum fautores; primò verbis, quicunque illis in causis hæresis consilium præbent, viam fugiendi è carceribus, vel ne capiantur, docent; pro eis intercedunt, supplicant, ipsos à delicto hæresis excusant, imo laudant, ad celandam veritatem, vbi fuerint inter rogati, instruunt

instruunt, &c. Ita Ioan. Rojas singul. 174. Sanchez dicto cap. 10. num. 19. Farin. quęst. 182. de hæresi §. 1. à num. 3. & Sousa vbi supra num. 9.

213 Factis item sunt hæreticorum fautores, qui in causis hæresis eos comitantur, visitant, auxilium illis pręstant, alimenta, vel pecunias tribuunt; qui processum contra ipsos formatum rumpunt, abscondunt, vel falsificant. Ita Sanchez ibidem num. 16. & Farin. q. citata & §. di-

214 cto num. 6. Sunt etiam facto hęreticorum fautores, qui eos in loco sacro sepeliunt: secus si alibi ob amicitiam, consanguinitatem, &c. Ita cum Nauarro Consil. 12. de hæreticis Sanctarellus loco citato num. 12.

215 Vtroque modo simul censentur hæreticorum fautores, qui verbis, vel factis se fingunt esse hæreticos illos, quos Inquisitores capere intendunt, vt hac via veros hæreticos liberent submittentes se pro veris hęreticis. Patet ex Constit. Clementis IV. incip. ad extirpanda, quam refert Peña in fine Directorij. Denique

216 sunt hęreticorum fautores, qui quoquomodo impediunt Inquisitores, & ipsorum Ministros in punitione cuiusque hæretici; vt constat ex cap. accusatus, §, sacerdotes, de hęreticis in 6. & ex Constitut. Innocentij IV, incip. Malitia huius temporis, & Calixti III. incip. Iniunctum nobis, quibus adductis id probat idem Peña,

217 cum Eymerico par. 1. Direct. q. 54. nu. 5. Atq; multo magis censentur fautores hæreticorum illi, qui aliqualiter offendunt Ministros, & officiales Sanctæ Inquisitionis exequentes munus suum in causis fidei. Constat præcipuè ex Bulla Pij V. incip. Si de protegendis: alias Bullas Pontificias pro hac doctrina citat. idem Peña 2. part. Direct. Commen. 79. vers. Docuit autem vide apud ipsum.

218 E contra verò non censentur fautores hæreticorum, etiam ipsi Episcopi, Inquisitores, & alij Ministri Sanctæ Inquisitionis, qui omittunt persequi hæreticos non ob odium, amorem, vel lucrum, sed solum ob rationabilem timorem, vel ob vitanda scandala. Docent cum Gloss. in Clement. 1. de hæreticis, verb. obtentu, Ancharranus, § sanè num. 11. & alij; quos citat, & sequitur Sanctarellus ibidem num. 17.

219 Nec item, qui hæretico extrema, vel graui necessitate oppresso, ob charitatem, vel misericordiam tribuunt eleemosynam. Ita cum Gloss. in cap. accusatus, §. ille quoque de hęreticis in 6. Suarez tom. 5. de censuris sect. 2. & Nauarrus in summa cap. 27. nu. 55. Nequè illi tandem, qui fauent hæretico, nè occidatur, aut si ei faueant in patrando homicidio, furto, &c. Nam isti censendi sunt potius fautores homicidæ, furis, &c. quam hominis hæretici: vndè vt quis in hæreticalem fautoriam incidat, fauor eius ad heresim aliqualiter dirigi debet. Tradũt Syluest. heret. 1. num. 10. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 6. Sanchez dicto cap. 10. num 4. & Toletus lib. 1. sum. cap. 19.

Quinam receptatores, & defensores hæreticorum? & qualiter hæc receptio, & defensio fiat?

REGVLA CV.

221 HÆreticorum Receptatores dicuntur illi, qui saltem semel scienter hæreticos recipiunt, & occultant, nè ab Inquisitoribus capiantur: defensores vero hęreticorum latius sumpti, sunt illi, qui quoquomodo impediunt in causis fidei eorum capturam, & punitionem, atque vt in tuto viuant, efficiunt.

222 Ad tales autem receptationes, aut defensiones formales non requiritur, vt motiuum receptandi, vel defendendi sit ipsa hæresis, sed

223 sufficit, si fiant in casu heresis. Excusabitur tamen etiam in foro externo saltem ex parte, si quis receptet, aut defendat hęreticum ex motiuo consanguinitatis, amicitiæ, &c.

---

224 COniungimus simul in eadem Regula receptatores, & defensores, quia vt benè ait Sousa lib. 1. Aphorism. cap. 24. num. 10. Omnia quę de illis dicuntur, istis omnino quadrant; sed non è contra: sicque nos à residuo huius capitis citius expediemus; cum hęc etiã coincidant cum his, quę de fautoria hęreticorum pręcedenti Regula diximus. Quamuis au-

225 tem verbum receptare, & nomen receptator ex se vti sonant, frequentatiua sint, multiplicitatemque actuum denotare videantur; sufficiens tamen vnus solus actus receptationis hęretici liberando ipsum è manibus Inquisitorũ est, vt quis verè, & propriè receptator hęretici dicatur, & incurrat pœnas contra tales receptatores latas, de quibus nos suo loco. Ita Eymericus 2. par. Direct. q. 51. & ibi Peña Cõment. 76. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 2. & Fariu. de hæresi q. 182. num. 132. Qui omnes descriptionem propositam receptatoris hęreticorum, vt communiter receptam ibidem tradũt & vix indiget declaratione.

226 Quoad qualitatem verò receptationis, & defensionis hæreticorum, quod in vtraque sit formaliter talis, debeat fieri intuitu hæresis, seu ex motiuo liberandi hæreticum, volunt aliqui Doctores præcipuè Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 10. à num. 5. & Sousa vbi supra cap.

227 23. num. 5. dicit esse probabile. Sed num. 6. idem tenet, vt probabilius, ac tutius oppositum, nempe satis esse, vt quis censeatur receptator, aut defensor hęretici, si fiat receptatio, vel defensio in causa heresis, & resultet contra fidem, quamuis primaria intentio receptandi, & defendendi eum non sit ipsa hæresis; quod nos consequenter loquendo ad ea, quæ paulo ante de fautoria hæretici docuimus absolutè defendimus cum Cardinali Toleto ibi citato, cum Vgolino in Bulla Cœnę, verb. Receptatores, & cum alijs.

228 Hinc infertur si quis receptet hæreticum fratrem, vel coniugem, vel alium quauis consanguinitate, aut affinitate, vel amicitię vin-

culo

culo coniunctum, etiam vbi motiuum receptandi, & defendendi non est ipsa hęresis, censebitur aliquo modo hæreticorum receptator, &
229 defensor. Excusandus nihilominus etiam pro foro externo, non in totum, sed solum ex parte: ita docent prædicti Toletus, & Vgolinus, Suarez de fide disp. 24. sect. 1. Penna 2. part. Direct. Commen. 81. Sanctarellus de hæresi cap. 12. num. 7. Diana 4. part. tract. 7. resol. 21. & alij apud ipsos. Ostenditur argumento sumpto ex l. 2. ff. de receptatoribus, vbi Iurisconsultus circa latronũ receptatores sic ait, eos apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos, neque seuerè admodum puniendos; non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nihil ad se pertinentes latrones
230 recipiunt. Quæ doctrina etiam locum habet in receptantibus, & defendentibus hæreticos secundum prædictos Doctores, & alios quosuis quidquid in contrarium absque fundamento Mendocius, & Duardus à Diana citati dicant.
231 Sed quid si sit dubium, an quis receptauerit hæreticum, vti hæreticum, an verò vti cõsanguineum solum? Ex recepta doctrina Farinac. de hæresi q. 182. § 182. §. 9. num. 143. Sousæ citati, num. 9. & aliorum præsumendum est
232 receptasse vti consanguineum. Rursus quid si receptet aliquis hæreticum ignorans esse hæreticum? excusabitur equidem omnino, si ignorantia sit inuincibilis. Ita cum Glos. in capit. Accusatus §. illi quoque verb. non possit de hæreticis in 6. Simanchas Cathol. instit. tit. 15. nu. 18. Penna in Direct. part. 2. Comment. 76. & cum alijs ab eo relatis, Sanctarellus vbi supra, num. 5. & 6. Qui omnes benè addunt dictam ignorantiam posse probari per iuramentum receptatoris, huicq; vt in plurimum esse credendum: atq; hoc præcipuè verum habere in nautis, & Stabularijs, qui communiter quosuis recipiunt; nec tenentur mores, & vitam talium ad eorum nauigia, vel hospitia aduenientium perscrutari, vt patet manifestè ex l. 1. ff. de furtis aduersus nautas. Circa prædictos hæreticorum receptatores, & defensores, vide plura
233 apud eundem Sanctarellum. Qui peculiariter tractat illud dubium, an aduocatus possit defendere, & patrocinari hæreticum in causa hæresis? Et egregiè resoluit sub distinctione, inquisitum in Sancto Officio, dum est dubium, an sit hæreticus, posse per aduocatum defendi, & allegari pro ipsius innocentia; secus quando est certum, quod sit hæreticus. Sed de hoc iam nos alibi egimus. Atq; hæc, & reliqua tradita pro contentis in titulo capitis duodecimi.

CAPVT XIII.

De Apostatis, & Schismaticis, ac de differentià eorum ab hæreticis deque Apostatantium trimembri diuisione, nempe à fide, à Religione, & ab obedientia: & qualiter isti omnes Iurisdictioni Inquisitorum subsint.

PROOEMIOLVM.

1 Agendum nunc de Apostasia, & de Apostatis, iuxta clausulam, quæ immediatè in Edicto Sanctæ Inquisitionis sequitur, videlicet, *ò habbiano adherito, ò adheriscono à i riti de' Giudei, Mahomettani, ò de' Saraceni, ò di Gentili, ò habbiano apostatato dalla Santa Fede Christiana.* Ità Latinè ad verbum: vel adhæserint, aut adhæreant ritibus Iudæorum, aut Mahometanorum,
2 vel Saracenorum, aut Gentilium, vel à Sancta Fide Catholica apostatauerint. De duplici alia specie apostasiæ ab obedientia, & à Religione nihil specialiter in Sancti Officij Edicto; attingenda tamen a nobis cum Doctoribus vtriusque breuis explicatio; vt sic præsenti instituto completè satisfiat.
3 Neque mentio item vlla in ipso edicto de schismaticis in particulari, cuius omissionem valde miror; sed ob id fortè omissum, quod secundum aliquos, vt videbimus, sub apostatis sint comprehensi; non erit tamen abs re, verbum aliquod separatim proferre de eis in fine huius capitis: quod totum breui expedietur, cum multa, quæ in precedenti tradita explicandis in præsenti, vt ex decursu patebit, sint omnino communia.

Quid

Quid, & quotuplex apostasia in communi? & qui dicantur aliquo modo apostatæ?

REGVLA CVI.

SVmpta Apostasia in tota sui significati latitudine describi solet, quod sit retrocessio, seu desertio instituti semel suscepti cum animo, vel obligatione permanendi in illo. Hinc quicumque professionem suam etiam in tēporalibus, & ciuilibus deserunt, apostatæ vocantur. Sumpto autem strictius significato apostasiæ, hæc tantum respectu Dei, & rerum Diuinarum dicitur, & definitur, comprehensa etiam eius diuisione; quod sit temerarius recessus à fide Diuina, vel ab obedientia, vel à Religione, quam quis professus est se tenere: atque hinc, quicumque sit, propriè appellatur apostata.

EXtant circa hanc materiam apostasię, & apostatarum in vtroque iure varię dispositiones, & multiplices, in ciuili est peculiaris, C. & in Pontificio diuersi tituli, extra, de apostatis innumerabilium Legum, & Canonū: vbi Expositores copiosè de his tractant, maximè Innocen. & Hostien. ex Theologis noster Antesignanus D. Thomas 2.2. q.12. ac ibi eius interpretes, præsertim Greg. de Valentia, præ cæteris copiosius Farin de hæresi tota q. 183. Qui sic explicat etymologiam nominis, vt apostata idem sit, quod retro stans, seu deficiēs, ex cap. non obseruetis, 26. q. vlt. & apostatare idem, quod deficere, seu retroducere, semperque apostasia sumitur in malam partem pro retrocessione iniqua, vel inconstanti, & habet locum in quibuscumque rebus etiam humanis & ciuilibus. Vnde dicitur miles apostatare à suo Duce, subditus à suo Rege, Imperatore &c. quod cum Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 7. num. 1. adducit Suarez disp. 16. de fide sect. 5. Cuius est ex mente omnium descriptio proposita in Regula apostasiæ sic latè sumptæ; quæ iam ex se, & ex dictis satis innotescit.

Verum idem Suarez benè addit iam ex vsu Ecclesiastico apostasiam, & apostatare propriè loquendo tantum dici in ordine ad Deum, & ad res diuinas, iuxta illud Ecclesiastici 1. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo. Sed quænam, & quales in communi huius à Deo apostasiæ species? de hac re est aliquale dubiū, & ipsum reddit magis obscurum Farinac. d. q. 183. §. 1. num. 9. dum D. Thomæ, quod admittat, quatuor eius species, immeritò tribuit per sequentia verba. Vnde, inquit, benè declarantem D. Thomam 2.2. q. 12. art. 1. vbi in substantia dixit, quod cum apostasia aliud non sit, nisi recessus à Deo, ideo sicut quodrupliciter homo cum Deo coniungitur, videlicet per fidem, per obedientiam, per religionem, vel per clericatum; ita pariter ijsdem modis ab eo recedit, apostasiamque committit, & propterea apostasiæ species sunt quatuor, prima à fide, secunda ab obedientia tertia à religione, quarta ab ordine, seu clericatu: hactenus Fa-

11 rin. Qui ibidem paulò ante num. 7. affirmat, qualiter Vmbert. locat. ex prædictis quatuor apostasiæ speciebus non adducat eam, quæ est ab obedientia; sed alias tres solas.

12 Cæterum quidquid dicat quoad hoc secundum de Vmberto, (& quidem fides sit apud ipsum Farinac. cum illum auctorem non habeam ad manum) quoad primum de D. Thoma, quis non miretur, ex eodem textu quatuor illæ species apostasiæ colligat, vnde reliqui Doctores, pręcipue Suarez dicta sect. 5. tres tantum deducunt? atque ad eius dictum redarguendum nihil fortius, & opportunius adduci posse videtur, quam ipsemet textus D. Thomę ex corpore dicti art. vnde eum integrum, licet longiusculum non grauabor ad verbum huc transferre, tu ne graueris attentè legere; & inuenies rem luce meridiana clariorem.

13 Respondeo, inquit, dicendum quod apostasia importat retrocessionem quandam à Deo, quæ quidem diuersimodè fit secundum diuersos modos, quibus homo Deo coniungitur. Primò namque coniungitur homo Deo per fidem; Secundò per debitum, & subiectam voluntatem ad obediendum præceptis eius. Tertio per aliqua specialia ad supererogationem pertinentia: sicut per religionem, & clericaturam, vel sacrum Ordinem. Remoto autem posteriori, remanet prius; sed non conuertitur. Contingit ergo aliquem apostatare à Deo, retrocedendo à religione, quam professus est, vel ab Ordine, quem suscepit: & hæc dicitur apostasia Religionis, seu Ordinis; Contingit etiam aliquem apostatare à Deo per mentem repugnantem Diuinis mandatis. Quibus duabus apostasijs existentibus, adhuc potest remanere homo Deo coniunctus per fidem. Sed si à fide discedat, tunc omninò à Deo retrocedere videtur. Et ideo simpliciter, & absolutè erit apostasia, per quam aliquis discedit à fide, quę vocatur apostasia perfidiæ. Et secundum hunc modum apostasia simpliciter dicta ad infidelitatem pertinet.

14 En totum corpus art. D. Thomæ, vbi explicatis tribus tantum modis, quibus homo Deo coniungitur (nihil de quarto, quem Farin de suo addit) esse tres solas apostasię species manifestè docet, ibi pręcipue: Quibus duabus apostasijs existentibus, nempè à Religione, & ab obedientia; postea declarat tertiam à Fide: quam egregie affirmat esse simpliciter apostasiam. Concludendum igitur in doctrina Diui Thomę esse tantum tres prędictas apostasię species, & habetur expresse in cap. 1. extra de apostatis; & ibi post glossam in verbo apostasia tradunt Innoc. & Hostiensis num. 1. Antonius de Butrio num. 4. Cardinalis Zabarella num. 2 Syluest. verbo apostasia num 1. Rojas de hęreticis part. 1. num. 188. Valentia citatus, & alij

15 multi, quos relatos sequitur idē Farin. Quamquam negandū non est tertiam speciē apostasiæ, nēpè à Religione posse subdiuidi vti subdiuidit Suar. vbi supra à statu Religionis, & à statu Ordinis, seu Clericatus. Atque hęc in cōmuni de apostasia, & tribus eius speciebus; iam de singulis totidem Regulis.

Essentia

Essentia Apostasiæ à Fide, & differentia eius ab speciebus Infidelitatis quanam? & quid si ignoranter, aut coactè fiat?

REGVLA CVII.

16 APostasia à fide definitur, retrocessio, seu desertio fidei Christianæ iam susceptæ; quod etiam hæresi aliquando conuenit, erit tamen quis proprijssimè apostata, & non hæreticus, si in totum à fide Christi retrocedat.
17 Quod vero hic adhęreat alicui sectæ, vt Iudaismo &c. est prorsus accidentale ipsi apostasiæ. Quæ non circumstantia mutans, sed tantùm valdè aggrauans quamcumque speciem infidelitatis, cui coniungitur, & necessario ma-
18 nifestanda in confessione censetur. Ob ignorantiam autem, vel coactionem aliquis à delicto apostasiæ, quandoque in toto, quandoque in parte excusabitur.

---

19 COnueniunt cum D. Thoma citato omnes ferè Doctores, etiam Canonistę, de hac re agentes, iuxta definitionem apostasiæ in Regula traditam, inter ipsos communem, quod sit de ratione apostasię, vt fides Christi iam suscepta deseratur; sicque differat ab hæresi, quę id ad sui constitutionem non requirit: ostendit hoc Suarez d. *disp. 16. sect.* 4 exemplo filij hęreticorum baptizati, & ab infantia in eorum erroribus enutriti, si iam adultus; post susceptam sufficientem de Christi fide instructionem in eisdem erroribus permaneat, erit quidem verus hæreticus, cum tamen nihil prius fide diuina crediderit, imò nec habitum eius infusum acceperit; casu, quo baptizans commisit
20 errorem circa substantiam Baptismi. At apostasia, vt nomen ipsum sonat, desertionem susceptæ iam fidei diuinæ necessario includit, & vt quis propriè dicatur apostata, debuit in eo fides Christiana præcedere: quia apostasia in recessu consistit, & nullus recedit, nisi à termino, in quo prius existebat, ergo &c.
21 Dixi omnes ferè, vt Antonius Sousa excipiatur, qui lib. 1. aphorism. cap. 8. num. 14. sic asserit, *Baptizatus, inquit, inter Paganos, aut Iudæos, in suis erroribus educatus, sine sufficiente notitia legis Christianæ, solummodo dicendus est apostata materialiter; si tamen nutritus sit inter hęreticos cum sufficiente notitia Christi Seruatoris, quamuis inuincibiliter ignoret veram, & Catholicam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, indeque transeat ad Iusdaismum, vel Paganismum, erit verè; & formaliter apostata. Quoniam hic recedit à Christo, quem formaliter cognoscit, non vero ille*: hactenus Sousa, qui nullum auctorem pro sua assertione citat.
22 Quoad neutrum autem casum assertio Sousæ admittēda videtur; quia nullus ex illis duobus educatis inter Paganos, & inter Hæreticos retrocessit à fide Christiana, quam prius receperit, seu per quam prius crediderit; sicuti ratio formalis apostasiæ postulat. Nec satisfacit ille si dicat, quod retrocesserit ab habitu fidei Diuinæ infuso per Baptismum, quia hoc non sufficit, sed requiritur ad apostasiã ex mente alio-
23 rum Doctorum retrocessio à fide actuali. Quid quod vrget exemplum propositum à Suarez de baptizato cum defectu commisso à baptizante circa substantiam Baptismi; cum tunc nullo modo habitum fidei recipiat, & licet educetur inter hæreticos cum sufficiente notitia Christi, si ad Paganismum transeat, non est in re ipsa propriè, & formaliter apostata. Neque video differentiam fundatam inter illos duos, dato, quod in vtroque sit habitus fidei Diuinæ infusus in Baptismo, cur primus educatus inter Paganos apostata tantum materialiter; secundus verò nutritus inter hæreticos cum aliqua notitia Christi humana, seu naturali, apostata formaliter à Sousa iudicetur; cum non inducat rationem formalem apostasiæ retrocessio ab ea notitia naturali, sed à vera fide, & cognitione Christi supernaturali.
25 Hæc, elucidandæ veritatis gratia cum doctissimo viro à me aliquantulum disputata: & vt sensum meum aperiam, videtur posse reduci ad quæstionem de nomine, an, & qualiter sint vocandi apostatæ, qui aliqualem contin[...] apostasiæ apparentiam, & non veram ratio[nem] eius formalem, quales sunt descripti ab illo.
26 Quamquam pro foro externo, cui nos in nostris Regulis attendimus, assertio Sousæ aliqualiter admittenda; quia in eo illi baptizati inter Paganos, & inter hæreticos enutriti, veri apostatę præsumuntur, & vt tales tractandi, si sufficienter in rebus fidei fuerint instituti.
27 Sed quænam retrocessio à fide diuina requiritur ad apostasiam, & vt retrocedens propriè, & formaliter dicatur apostata? Circa hunc punctum, nonnihil apud DD. controuersum, duplex est sententia, altera valdè commun[is] sustinentium ad apostasiam formalem esse necessarium recessum à tota fide Catholica, et cum abnegatione ipsiusmet Christi. Ita Guido Carmelit. lib. de hæresibus, Turrecrem. in sum. de Eccles. lib 4 part 2. cap. 13. Valentia 2. 2. q. 12. punct. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 17. [...] Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 15. & [alij] multi apud ipsos. Ratione ostenditur, quia illa sola censetur perfecta rebellio, & separatio à Christo, quæ nomine apostasiæ simpliciter dictæ denotatur, ergo qui hanc contrahit, erit formaliter apostata; si in totum à fide retrocedat, & transeat ad Iudaismum, vel Paganismum, vel ad cultũ Dęmonum per artem Necromantiæ, vel Incantationis, non vero, qui sub nomine Christiano aliqua, vel aliquibus veritatibus
28 Catholicis relictis fit hæresibus. Hinc Sancti Patres, vt Ambrosius, & Hieronymus, vti refertur in cap. Iulianus, & in cap. Imperatores 3. q. 7. Iulianum Imperatorem non hęreticum sed apostatam nominarunt; qui in totum à fide Christi retrocessit: è contra vero alij Imperatores, vt Constan. qui retrocesserunt ex parte à fide Christi, hæretici, & non apostatæ nominati sunt.
29 Altera sententia est affirmātium sufficere ad

ad formalem, & propriam apostasiam, si quis ex parte à fide diuina recedat, fiatque hæreticus, atque manifestè apparet, quod hęc sit D. Thomæ in textu articuli propositi dict. q. 12. cum ibi ad apostasiam formalem tantum requirat, eum, qui erat per fidem Deo coniunctus, ita ab ipso separari. vt non maneat amplius per fidem eidem coniunctus, quod fit per hæresim; ergò in hac reperitur formalis ratio apostasiæ: atque inde magis innotescit, quod sit hæc sententia D. Thomæ, quia in solutione ad secundum sic explicat illud prouerbiorum 6. Homo apostata vir inutilis, eo quod, inquit, nihil facere valet, quod Deo placeat, cum sine fide impossibile sit placere Deo, ergo in sententia D. Thomæ, imo & Salomonis, qui recedit à fide, & fit hæreticus, verè est apostata. Idem sentit D. Cyprianus lib. 1. epist. 2. inter apostatas enumerans quoscumque transeuntes ad hæreticos, sicut eos, qui transeunt ad Gentilismum.

Hanc sententiam præcipuè defendit Suarez dict. sect. 5. quod in hęretico deficiente ex parte à fide inueniatur propria malitia apostasiæ eiusdem speciei, & essentię, cum apostasia, quam quis deficiens in totum à fide, & transiens ad Iudaismum, vel Paganismum committit. Probat efficaciter hac ratione, quia apostasia transeuntis ad Paganos, vel Iudęos, non consistit formaliter in illa specie infidelitatis eorum, sed in iniuria, quam apostata facit fidei receptæ, seu professioni eius, & consequenter Ecclesię Catholicæ, ac Christo Domino; sed hanc eandem iniuriam facit hæreticus professioni fidei, & ipsi Ecclesię, ac Christo; ergo quoad malitiam habet apostasiam eiusdem rationis, cum formaliter ęquè recedat à tota fide & ideo totam amittit; & consequenter à Deo apostatat. ita ex Suarez ferè ad verbum talis probatio.

Tenenda itaque absolutè à nobis ex secunda sententia, vti magis iuri, rationi, & veritati consona, iuri, inquam, quia in titulo de Apostatis, ponuntur etiam hæretici, vt in l. vltima cap. de apostatis, & cap. quodam de apostatis, vbi censentur illi apostatę, qui cum professione Christian a legalia couiungunt, & isti sine dubio Hęretici sunt. Nihilominus ob auctoritatem Doctorum primæ sententiæ, cum eodem Suarez, quoad quid nominis modificatio adhibenda, vt soli illi proprijssimè, & per antonomasiam vocentur apostatę, qui in totum à fide Christi, etiam cum eius abnegatione recedunt, & ad Iudaismum, vel Paganismum, &c. transeunt. Quamquam iste transitus etiam ex mente eorumdem Doctorum Valent. & Sanch. locis citatis, Suarez, ibidem, Banes 2.2. q. 12. art. 1. dub. 1. Sanctarell. de hæresi capit. 2. dub. vnico, & aliorum communiter fit prorsus accidentalis ipsi apostasiæ, quia eius esse essentiale completur per solum recessum à fide Christi Domini.

Notandum hic valdè, cum tota formalis ratio apostasię reperiatur sæpè in hæresi, omnisque apostata, vt ostendimus sit hæreticus, non tamen è contra ferè omnia, quæ præcedenti capite multis Regulis à nobis dicta sunt de hæresi de hereticis, aut suspectis de ea, de credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus hæreticorum, eodem modo esse intelligenda de apostasia, de apostatis, aut suspectis circa eam, de credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defensoribus apostatarum: quia contra istos proceditur ab Inquisitoribus, sicut contra illos, & eisdem pœnis, vt alibi videbimus, vtrique subijciuntur, ita Eymeric. 2. par. Direct. q. 44. & ibi Peña Commen. 69. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 22. quæst. vlt. & Farinac. dicto §. 2. num. 19.

36 Sequitur discutiendum breuissimè illud aliud dubium, circa hanc à fide apostasiam discuti solitum, an ipsa sit species distincta ab alijs speciebus infidelitatis? Non pauci tenent, & quidem probabiliter apostasiam per antonomasiam sic proprijssimè dictam; quod per eam in totum à fide Christi cum abnegatione huius retrocedatur, distingui specie à Iudaismo, & Paganismo, non vero ab hęresi, idque nè multiplicent species infidelitatum, cum tres tantum communiter admitti soleant. Ita Syluest. verb. apostasia, initio, Alphonsus de Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 7. & lib. 1. de hęresibus, cap. 4. Caiet. 2.2. q. 10. art. 5. Bannes, & Valentia q. 12 ac alij. Ad sic tenendum videntur induci, quia vt paulo ante dictum, ratio formalis apostasię reperitur in hæresi; ergo ab hac non distinguitur specie, benè tamen à Iudaismo, & Paganismo, sicque tres tantum erunt species infidelitatis, quod est commune apud omnes Doctores.

37 Verum, vt vno verbo rem expediam, omnino placet vti probabilior resolutio illorum, qui dicunt apostasiam esse tantum circumstantiam aggrauantem respectu cuiusuis speciei infidelitatum, cui coniungitur. Ita expresè D. Thomas 2.2. q. 12. art. 1. ad 3. cuius hæc sunt verba, Apostasia non importat determinatam speciem infidelitatis, sed quandam circumstantiã aggrauantem, ita etiam Turrecrem. vbi supra, Paludan. in 4. dist. 13. q. 3. Angelus verbo Apostasia, Can. lib. 12. de locis cap. 9. & præter alios ab eo relatos Suarez dict. sect. 5. qui vix adducunt rationem vllam, quæ conuincat.

38 Vnde quidquid dixeris circa hoc, quod non tanti momenti est, vt certum, & magis tutum defenditur ab omnibus, quod circumstantia apostasiæ siue vt solum aggrauans, siue mutans speciem infidelitatis, debeat semper manife-

39 stari in confessione. Imo & secta Iudaismi, vel Paganismi, &c. ad quam sit transitus, aperienda ex obligatione confessario; quia hic ex istis capitibus admodum variat iudicium circa statum pœnitentis. Docent idem Valentia tom. 3. disp. 1. q. 10. pun. 3. Sanchez lib. 2. in Decal. ca. 8. num. 17. Sanctarellus de heresi cap. 2. dub. vnico, & alij.

40 Restat videndum de aliquali excusatione committẽdi apostasiam ex duplici capite, ignorantię scilicet, vel coactionis: quoad primum non est cur in eo explicando quidquam immoremur; cum iam constet ex dictis capite pręcedenti, tota Regula centesima, vbi vidimus, quod per-

pertinacia requiratur essentialiter ad hæresim & pari modo erit requisita ad apostasiam; cum hęc in ratione formali ab illa non differat; atqui ibi resoluimus nullam ignorantiam, etiam affectatam (excepto aliquo casu, vti ibidem dictum) posse esse coniunctam cum pertinacia.

41 Tametsi vbi quis ex simplicitate, vel ex ignorantia, dummodo hęc inuincibilis non sit, à fide diuina recederet, aliqua insurgeret præsumptio apostasiæ, vel hæresis, & possent Inquisitores contra eum procedere docent Simãchas Cathol. institut. tit. 26. num. 8. Farinac. de hæresi quæst. 179. §. 2. & §. 8. ac alij per eum citati.

42 Quoad secundum distinguendum statim cum Glos. communiter recepta in cap. ad eius, dist. 5. de coactione absoluta, & conditionata: tunc dicitur coactio absoluta, seù insuperabilis, quando quis remittens, *v. g.* inuitus, & reclamans ad fontem fertur, & cum verborum prolatione immergitur, ita declarat eam in collatione Baptismi Arnald. Albertin. in tract. de agnoscendis assertion. Cathol. & hæret. quæst. 30. num. 7. sed clarius ad nostrum institutum Penna part. 1. Direct. q. 9. Commen. 24 vbi sic ponit exemplum, vt sit coactio insuperabilis, & absoluta casu, quo aliquis ligatus, & penitus renitens cogitur non per se, sed per alios genua Mahometo, aut Idolo flectere, vel circumcidi, aut aliquid huiusmodi horrendum patrare. At-
43 que in his, & similibus euentibus coactionis absolutę ex mente prædictorum Albertini, & Peñæ, ac cæterorum omnium, nullum interuenit peccatum, cum desit voluntarium: nam actus malus eatenus est peccatum, quatenus voluntarius; imo tunc nulla etiam quoad forum externum insurgit pręsumptio apostasiæ, vel hæresis. Confirmatur ex cap. maiores, extra de Baptismo, ibi, *sicut nec ille, inquit, notam alicuius reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans, thurificare Idolis cogitur violenter*, atque de simili coactione videtur intelligendum illud 2. Machab. cap. 6. *Ducebantur autem cum amara necessitate in die Natalis Regis ad sacrificia, & cum Liberi sacra celebrabantur, cogebantur hedera coronati Libero circuire*: & hoc satis pro re adeo certa; vide plura apud Peñam.

44 Ex mente item eiusdem Pennę, & aliorum coactio, seu vis conditionata circa præsentem materiam tunc reperitur, quando iniecto metu, seu sub comminatione alicuius damni temporalis constringitur quis aliquid facere, vel dicere contra fidem, aut ab ea retrocedere. Cum autem metus, sicut & tale damnum possit esse multiplex, nimirum cadens in constantem virum, seù valdè grauis, vt mortis corporalis, mutilationis membri, &c. aut non ita grauis, vel leuis, vt carceris, exilij, famis, moderatę flagellationis, &c. ita multiplex inde resolutio doctrinalis pro qualitate cuiusque personæ coa-
45 ctæ. Vnde primo cum Antonio Sousa li. 1. Aphoris. cap 17. num. 2. vt certum omnino tenendũ, quod quiuis, cuiuscunque status, & conditionis si ex vi cuiusuis coactionis non solum externè, sed etiam internè à fide retrocedat, fit formalis apostata, seu hæreticus, & vt talis iudicandus; vbi de errore mentis per confessionem eius constiterit. Ratio est, quia actus internus non cogitur; sed prorsus liberè elicitur, ergo ob externam coactionem non excusabitur ab errore interno mentis.

46 Quicunque verò ob metum valdè grauem, vt mortis, mutilationis membri, aut similium coactus exterius à fide verbis, vel factis separatur, ea tamen in corde retenta licet peccet mortaliter, non censetur apostata, vel hæreticus, nec in vllo foro insurgit præsumptio erroris contra ipsum. Patet exemplo Marcellini Summi Pontificis, qui tempore Diocletiani, & Maximiani per huiusmodi coactionem ex mortis metu Idolis sacrificauit, quamuis non excusetur à mortali; quia tamen Christi fidem mente retinuit, non fuit hæreticus, aut apostata putatus: ex cap. Nunc autem 25. dist. & ita Albertin. vbi supra num. 6. Simanchas Cathol. instit. tit. 17. num. 2. quęst. 35. & 36. Syluester verbo apostasia num. 4. Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 18. Peña in Direct. par. 1 quæst 9. Commen. 24. (Quidquid Eymericus ibi in contrarium dicat) Tolet. in summ. lib. 1. cap. 19. num. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 7. & alij multi quos longè refert, & sequitur Farin. de hæresi q. 183. §. 3.

47 Præterea qui ob conditionatam coactionem ex metu non ita graui, seu leui, vt carceris, exilij, famis, &c. vel ex metu reuerẽtiali patris fidẽ diuinã exterius abnegat, si fuerit persona grauis mysteria fidei probe intelligens, vt Episcop. Clericus, Religiosus, Theologus, Nobilis, & similis, vehementem apostasiæ, vel hęresis suspitionem contrahet, solam vero leuem, si persona fuerit rustica, idiota, puer, mulier, & ita cum citatis Peña, & Farin. ac alijs tradit
48 Sousa vbi supra num. 4. & 5. Assignatur vero re optimo hæc differentia inter prædictas personas; ratioque eius est, quia quo magis quis in rebus fidei instructus existit, eo firmius in ea persistere debet, ergo si in fide languens exterius retrocedat ob leuem coactionem, maior insurget præsumptio, quòd etiam interius retrocesserit.

49 Dein recedens à fide diuina per vim, vel coactionem, si hac cessante non statim redeat, nec cesset ab actibus apostaticis, vel hæreticalibus, contrahit vehementem apostasiæ, aut hæresis suspitionem: secus, si statim reuertatur, & hinc minuitur suspitio, ita vt vbi prius erat vehemens, maneat tantum leuis, tradit cum eisdem Penna, & & Farin & cum Simancha dict. tit. 17. num. 37. Sousa ibidem num. 6.

50 Sed quid si vtraque coactio absoluta, & conditionata simul reperiantur in eodem actu apostasiæ, vt in transitu à fide diuina ad Mahometismum? De hoc casu nullus quod legerim tractat, est tamen practicabilis, & fuit aliquoties propositus in nostra congregatione Sancti Offitij Melitensis, contigit enim vt ex tribus quæ in eo transitu exequi communiter solent, duo per coactionẽ absolutã, nempe quis ligatus insu-

insuperabiliter circumcisionem sustinuerit, & digitum non per se ipsum, sed per alium erexerit, at tertium proferre scilicet verba in honorem Mahometi, per conditionatam ex metu damni temporalis executus fuerit; nequit enim talis verborum prolatio absolutè, seu insuperabiliter cogi; sed tantum sub comminatione alicuius damni. Vnde occurrente hoc casu semper iudicaui, saluo meliori iudicio meorum Dominorum Consultorum, quod hinc insurgat aliqua presumptio formalis apostasiæ, maxime si concurrant alia adminicula, seu indicia, vt si cessante coactione statim non redijt si sponte quoad alia externa sicuti Turca se gessit.

Quid de Apostasia, & de Apostatis à Religione & ordine, & an aliquando subsint Iurisdictioni Inquisitorum?

REGVLA CVIII.

52 APostasia à Religione est retrocessio à statu Ordinis, aut professionis religiosæ iã assumpto, siue dimisso habitu, siue retento; cum intentione tamen non redeundi ad illum. Vn-53 de non erit quis apostata à Religione, sed fugitiuus, si ad vagandum, & liberius viuendum dimittat habitum, vel statum, ipsum postea 54 reassumpturus. Religiosus vero, vel in sacris *constitutus*, si vxorem ducat, censetur apostata, & *subest* Inquisitorum iurisdictioni, sicut è contra etiam subest coniux, si post consummatum matrimonium, profiteatur Religionem, extra casus à iure permissos.

55 DIximus supra iuxta doctrinam D. Thomę 2. 2. q. 12. art. 1. vnam tantum esse apostasiam à Religione, cuius vnitatis hęc ratio reddi potest, quod vna sola sit virtus Religionis, quam tam in statu clericaturę, quam in statu professionis religiosæ homines diuino cultui dicantur: illam cum Suarez diuisimus in duas, ab ordine scilicet apostasiam, & à pro-56 fessione religiosa. De vtraque simul, ac principaliter tractat titulus Decretalium de Apostatis, & iterantibus baptisma, atque super cap. 1. huius tituli declarant naturam huius apostasiæ à religione iuris expositores, præcipuè Innocentius, & Hostien. num. 1. vers. tertia irregularitatis, addecentes text. in cap. omnes 27. q. 1. Legendi circa hanc materiam prę ceteris, quos ipsi copiosè referunt Farin. dict. q. 183. §§. 6. 7. 8. & noster Antonius Sanctarellus tract. 2. de Apostasia à religione per octo capita, & dubia multiplicia: (& tamen nec verbum vnum ipse de apostasia à statu ordinis, seu clericaturę, quod miror) nos ex vtroque pauca pro nostro instituto breuiter decerpemus, pendentes aliquantulum propositam descriptionem apostasiæ à Religionis, vel clericaturæ statu, & alias partes præsentis regulæ.

57 Dixi, retrocessio à statu ordinis, vel professionis religiosę iam assumpto, vt constat ex traditis, supra de Apostasia in communi, nemo enim dicitur recedere à statu, quem prius non susceperit, nec relinquere terminum, in quo 58 antea non fuerit. Hinc certum habetur, non esse apostatas illos, qui tempore nouitiatus habitum relinquunt, & à religione recedunt, cap. consulti, & cap. penult. de regularibus; tradùntque Syluester verb. Religio, 5. q. 8. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 3. q. 6. & alij. Ratio est, quia nouitij ante professionem, vel ante emissa vota, per quæ veri Religiosi fiunt, non dicuntur propriè quod in Religionem sint ingressi, nisi quoad beneficium Canonis, & alia quædam priuilegia patet ex cap. religiosi §. quamuis, de sententia excommunicationis in 6.

59 Etiam certum inde habetur, non esse apostatam illum, qui extra monasterium ex deuotione, vel ex voto peculiari sumpsit habitum alicuius Religionis, si eum dimittat, etiamsi per multos annos ipsum gestauerit. Constat ex cap. vt Clerici de regularibus, & obseruant ibi Hostien. num. 1. Calderinus Consil. 5. de regularibus, Menochius de præsumpt. præsumpt. 83. num. 15. & alij citati à Sanctarello capit. 3. dub. 1. num. 5. Conuincit hoc ratio, quia gestans diù taliter habitum religionis, non est propriè religiosus, nec statum regularem suscepit, ergo non contrahat apostasiam per dimissionē 60 habitus. Atque ob hanc rationem, vt cum Nauarro consil. 6. & 7. de stat. Monach. docet ibidem Sanctarell. non sunt apostatæ moniales Turris speculorum de Vrbe, si recedant à Monasterio habitu dimisso etiam cum animo non redeundi, quia non sunt propriè religiosæ.

61 Dixi, siue dimisso eius habitu, siue retento, atque hoc commune est inter Doctores; quod quis possit esse apostata, etiamsi retineat habitum suæ Religionis. Ita Abbas in cap. 1. de Apostatis num. 2. & ibi Ananias num. 3. Armilla & Angelus verb. Apostasia, ille num. 11. hic nu. 4. Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 12. num. 1 Decianus in tract. crimin. lib. 5. cap. 27. num. 21 & alij, quidquid in contrarium Calderinus consil. 1. de Apostatis, dicat requiri ad apostasiam hanc dimissionem habitus, in quo sine dubio decipitur, quia sicut assumere habitum non est de essentia religiosi, cum habitus non faciat monachum, sed professio regularis, vt dicitur expresè in cap. porrectum, extra de regularibus, & cap. consuluit tit. qui clerici, vel vouentes, vt benè ait Abbas in dict. capit. Porrectum num. 7. quod valeat professio facta, licet non fuerit susceptus habitus religiosus, pari etiam modo non erit de ratione formali apostasiæ à Religione habitum eius dimittere, sed poterit esse quis propriè apostata, quamuis habitum Religionis iam assumptum non relinquat; si alia requisita essentialia concurrant, vide Farin. §. 6 num. 62.

62 Præterea dixi, cum intentione tamen non

 rede-

redeundi ad illum: atque hæc est præcipua conditio essentialis apostasiæ à Religione, per hancque differunt essentialiter inter se religiosus tantum fugitiuus, & religiosus apostata à Religione. Fugitiuus namque dicitur, qui sponte discedit, vt sit extra iurisdictionem, & obedientiam superioris, & ad tempus libere vagetur, cum animo redeundi: at apostata dicitur ille qui à domo, vel monasterio discedit animo, & voluntate deserendi statum religiosum, nec amplius reuertendi ad ipsum, vndè omnis apostata est fugitiuus, tametsi non om-
63 nis fugitiuus sit apostata. Docent optime Caietanus 2.2 q.12.art.1.dub.2.Nauar.cons. vnico de apostatis num.8. vbi apostata à religione, inquit, dicitur qui deserit religionem, quam professus est, cum animo non reuertendi ad suam: cui consequens est non omnem religio-
64 sum fugitiuum esse apostatam. Sed melius coniungendo doctrinam præcedentis numeri, Gregor. de Valentia 2.2.disp.1.q.12.vers.circa apostasiam, religiosus, inquit, recedens a religione absque facultate, est verus apostata, si habeat animum excutiendi obedientiæ iugum, neque excusatur ab apostasia retinendo habitum; si tamen habeat animum manendi in suo statu, ac redeundi, fugitiuus quidem, & vagus est; sed non apostata: similiter etiam Bannes ibidem dub.1.conclus.2.Azor.tom.1.lib. 12. c. 16.q.1.Syluest.verb.apostasia, vers.quarto quæro, & alij multi relati à Sanctarello.

65 Verum ad exemplificandum magis, & distinguendum inter fugitiuos, & apostatas religiosos, notandum id, quod disponitur in cap. vt periculosa, tit. ne clerici: vel Monachi in 6. per sequentia verba: Vt periculosa religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, nè de cætero aliquis quamcumque religionem tacitè, vel expresse professus in scholis vel alibi temerè habitum religionis suæ dimittat, nec accedat ad quæuis studia litterarum, nisi à suo Prelato cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis eiusdem sibi eundi ad studia licentia primitus sit concessa; si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto,
66 &c. Totum hunc texum per duo capita copiosè explicat Sanctarellus, & quinam sunt comprehensi sub ipso, prædictamque excommunicationem incurrant, aut secus, multis ostendit, perpendens maximè particulas illas, temerè, & temerarius; non enim temerariè dicuntur fieri, quæ lege saltem naturali permittente fiunt, l.nemo damnum ff de reg.iur. vt docet Glos.in cap.penult de vita, & honest.
67 clericor. verb. causa. Atque hinc diuersa scitu digna infert Sanctarellus, quæ, & alia tanquam remota à nostro instituto libens omitto
68 tibi legenda apud ipsum. Qui benè concludit in proposito textu cap. vt periculosa, esse sermonem præcipuè de religiosis fugitiuis, & non de Apostatis, nisi temerè dimittentes in scholis, vel alibi habitum suæ Religionis, habeant animum illum non reassumendi, aut nunquam ad statum religiosum relictum redeundi: ita ille cum citatis Doctoribus capit 3. dub. 1. numer. 1.

69 De clerici secularis apostasia à Religione agit peculiariter Farin. toto §.9. à num. 125. & ponit generalem doctrinam, quod clericus habitum clericalem dimittens, & in seculari habitu incedens dicatur apostata ex mente Innocen. in cap.1.num.1. vers. hoc autem fit extra, de Apostatis, & ibi Hostiensis num. 1. Abbas num. 1. & omnes communiter Canonistę. Sed benè idem Farinacius num. 119 cum Syluest. verb. apostasia num. 5. cum Angelo eodem verb. num. 1. & cum alijs multis limitat dictam doctrinam, quod intelligatur de Clericis constitutis in Sacris Ordinibus, vel etiam in minoribus, dummodo habeant beneficium Ecclesia-
70 sticum. Ex Theologis Dominicus Bañes super 2.2. quæst.12.artic.1. D. Thomæ benè declarat hanc apostasiam, esse scilicet retrocessionem à statu ordinis sacri ad statum secularem propria auctoritate. Sed magis complete Alexand. Pesant. relatus à Farinac. ibidem ostendit assignatis omnibus requisitis, quis sit apostata à clericatu, qui existens, inquit, in ordinibus sacris, seu maioribus omnino quoad habitũ retrocedit ab eo statu, & transit ad statũ seculare animo nõ amplius reuertẽdi ad pri-
71 statũ sic ille. Atque hæc vltima conditio, consequenter loquendo ad dicta paulo ante necessario à nobis admittenda est; nam si clericus retrocedens à suo statu dimisso habitu, habeat animum reuertendi ad eum, non erit propriè apostata, sed fugitiuus, vel vagus ad liberius viuendum. Qualiter autem Clerici minorum ordinum, aut solum tonsurati amittant priuilegium Canonis, & fori, si non incedant in habitu, & tonsura, nequaquam est nostri instituti id expendere, tametsi Farin. & alij hic copiosè expendant.

72 Circa vltimam nostræ Regulæ partem (quæ formationem Consultoris Sancti Officij propriè attingit) cum limitatione affirmant aliqui, Vmbert. Locat. in iudiciali Inquisit. verb. hæreticus, num.22. & Decian. tract crimin. lib. cap.17. contra Religiosos, & clericos seculares sacris ordinibus initiatos posse Inquisitores fidei procedere tanquam contra suspectos de hæresi, si non clam, sed palam ducant vxores, dimisso habitu religionis, vel clericaturæ, aut etiam retento. E contra verò cum extensione asserunt Menoch. de præsumpt. lib. 5 præsumpt. 6. num. 35. & idem Vmbertus citans Baldum in l. nemo clericus, C. de Sacrosanct. Eccl. quod religiosus, vel clericus ducens palam vxorem non solum contrahat præsumptionem hæresis, sed etiam sit verus hæreticus, & habeatur talis ex solo facto ipso, etiamsi non dicat se credere, quod licitum sit clerico, vel religioso, si voluerit vxorem ducere.

73 Doctrina tamen vera, ac communiter recepta hæc est, quod nec limitatio illa, neque hæc extensio locum habeant, sed siue clam siue palam religiosi, aut clerici prędicti vxorem duxerint relicto habitu, aut etiam non relicto, maneant apostatæ a Religione, & insurgat contra ipsos suspicio erroris, ob quem subsint iurisdictioni Inquisitorum, non tamen

tamen quod facto ipso ducendi vxorem fiant veri hæretici; nisi fateantur se credere cum Luthero esse licitum religiosis, aut clericis matrimonium inire. ostendo singula saltem auctoritate Doctorum, manere veros apostatas à Religione per actum nubendi, tradunt, vt certum omnes Canonistæ in cap. 1. de Apostatis, præcipuè Innocen. num. 1. Abbas num. 2. & Ioan. de
74 Anan. num. 2. Quod verò tam ex matrimonio occultè, quam publicè à Religiosis, vel clericis contracto proueniat contra eos præsumptio erroneę credulitatis, ratione cuius possint ab Inquisitoribus persequi, docent melioris notæ auctores, vt Simanchas Cathol. instit. tit. 40. à num. 9. Campeg. in addition. ad Zanchin. cap. 35. Peña 2. p. Direct. Comment. 74. Sousa lib. 1. Aphorism. cap. 8 num. 16. Rojas singul. 98. num. 5. Farin. dict. q. 183. §. 6. num. 73. & alij plures apud istos duos. Patet inde, quia assignari non potest ratio, cur religiosus, vel clericus ducens publicè vxorem reddatur suspectus de errore contra fidem, & non qui eam occultè
75 ducit. Quoad vltimum, quod solo facto nubendi clericus, vel religiosus non fiat verus hęreticus, nisi appareat de mala credulitate interna; sed tantum reddatur suspectus de ea, tenent contradicentes merito Vmberto, & Menochio, Ioannis de Anania in cap. ad abolendam num. 27 extra de hæreticis, ac citati à nobis Sousa, & Farin. num 76. & 77. vbi benè affirmat hanc opinionem esse veram, vide apud ipsum.

76 E conuerso etiam vxoratus fit suspectus de mala credulitate, & subijcitur iurisdictioni Inquisitorum, si viuente adhuc vxore sine eius cōsensu, aut etiam ipsa consentiente religionem ingrediatur, vel Sacros ordines suscipiat, exceptis casibus à iure concessis, sic resoluunt adducti Sousa num 17 & Farin. num. 74. cum Simanc. Cathol. instit tit. 40. num 14 Qui efficaciter probat à paritate rationis ex dictis de religioso, vel clerico ducente vxorem, quia nihil refert, an matrimonium antecedat, vel subsequatur cum in vtroque casu eodem modo insurgat pręsumptio erroris, quod liceat matrimonium cum statu religioso, vel cœlibatu clericali coniungere.

77 Nota cum eodem Farinac. ibidem limitationem circa Grecos Catholicos, quod tollerantur ab Ecclesia, vt habentes iam vnicam vxorem virginem, possint licitè absque vllo impedimento ad Sacros ordines promoueri; non tamen è contra, vt iam in sacris constituti valeant aliqua ratione vxorem ducere. Vnde in facti contingentia, triginta circiter abhinc annis in hac Ciuitate Melitensi sacerdos quidā Grecus, quod ducere vxorem tentauerat, & iam sponsalia de futuro inierat, denunciatus fuit, & in congregatione Sancti Officij, me præsente, & sentiente, vt leuiter suspectus de prędicto errore iudicatus.

Quid de Apostasia, & de Apostatis ab obedientia? & an aliquando Iurisdictioni Inquisitorum subsint?

REGVLA CIX.

79 QVæcumque retrocessio ab obedientia cuiuscumque superioris, vel transgressio pręcepti eius iniusta, est aliquo modo apostasia in hoc genere. Erit item admodum propriè talis, si ex superbia, vel ex contemptu superioris, illa procedat; maxime si sic ab obe-
80 dientia Summi Pontificis, quis apostatet. Denique multo magis propriè illi censentur apostatę ab obedientia, qui ideo nolunt obedire, quod ex errore mentis credant non esse obligationem obediendi superioribus: & contra istos vltimos inobedientes possunt Inquisitores fidei procedere.

---

81 HOs tres gradus apostasię ab obedientia colligo, ex auctoribus, qui hac de re tractant pręcipuè ex Farin. de hæresi q. 183. §. 5 à num. 53. vbi statim vniuersalem regulam ponit, quod sit apostasia inobedientię in genere sumpta, transgressio præcepti: probat ex cap. si quis venerit, & cap. illud de maioritat. & obedien. cum Glos. in cap. 1. de apost. & cap. alieni 3. q 4. Tenent hanc doctrinam, vt omnino certam, Paulus Grilland. tract. de heret. num. 8. vers. secunda est inobedientiæ, & Ioan. Rojas part. 1. de hæreticis num. 488. qui ita verbis generalibus eam declarat, secunda, inquit, est inobedientię, qua quis sponte transgreditur præceptum Dei, vt patres nostri Adam, & Eua Gen. 3. sed magis facit ad rem testimonium Anacleti Papę epist. 1 Decret. vbi ait spontè transgredientes legem Apostatas nominari. At-
82 que per se clare patet, quod debeat intelligi de quauis transgressione iniusta, & de præcepto cuiusuis superioris legitimi. Secus in oppo-
83 sito, si superior non sit legitimus, aut vt talis cum fundamento non leui habeatur (quippe in dubio semper pro superiore, & pro iurisdictione eius) vel si manifestè contra Deum, & contra rationem præcipiat: quam limitationem meritò adiungit idem Farin. num. 58.

84 Secundus gradus apostasię ab obedientia ad modum proprię, cum quis ob superbiam, vel ob contemptum Superioris, non seruat eius pręceptum, nec illi, aut sacris Canonibus, vel Dei mandatis vult obedire, proponitur ab eodem Farin. ibid. num 54. ex mente omnium, præcipuè Hostien. in summa de apostat. §. quot species num. 2. D Anton. 2. part. tit. 12. cap. 6. versic. contingit etiam, Syluest. verb apostasia num. 3. Mascard. de probationibus lib. 1. conclus. 112. num. 12. Vgolin. tractat. de censuris Papę reseruatis part. 2. & Suarez de fide disput. 16. sect. 5. Probatur à fortiori ex eisdem cap. alieni 3 quęst. 4. & cap. si quis, de maiorit. & obedien. quę affert Gloss. citata in capit. 1. extra de apostatis ad ostendendum primum apostasię ab obedientia gradum, vt di-

85 vt dictum paulo ante, Exemplum præcipuum huius secundi gradus Apostasię ab obedientia assignatur in Lucifero, & Angelis sequentibus, qui ob superbiam noluerunt obedire, atque ideo apostatæ, & rebelles solent à Patribus dici Vnde D. Gregorium Nazianzenum oration. 18. & 42. nec te pigebit, Addit autem bene Sua-
86 rez adductus speciali modo posse in hoc ordine dici apostatas, qui à Summi Pontificis obedientia recedunt, & hoc modo se ab Ecclesia separant: sed de his sic separatis, nempè de Schismaticis commodius postea.

87 Pro tertio tandem gradu apostasię ab obedientia grauioris, & multo magis proprię, nimirum quando quis recedit ab ea, eo quod teneat cum errore mentis non esse obediendum Superiori, facit textus in cap. nulli 19. dist. & tradunt Innocen. in cap. 1. num. 1. vers. & tamē obediendum, extra de apostatis, ibidem Hostien. num. 1. vers. Quod verum est, Albertinus rubric. de hęreticis in 6. q. 13. num. 56. Syluest. verb. apost. num. 3. & Farin. cum multis per ipsum relatis, vbi supra num. 56. Atque iste gra-
88 dus apostasię ab obedientia cum prædicto mētis errore ad nostrum maximè institutum spectat; quia contra tales inobedientes possunt, & tenentur DD. Inquisitores procedere, & est casus propriè Sancti officij, vt docent Decian. tract. crimin. lib. 5. Farin. citatus num. 56. & Sousa ibidem, num. 19. Ad quod ostendendū
89 historicè inseruit illud quod circa annum à Sāctissimę Virginis partu 1296. Bonifacio VIII. Sūmo Pontifice, & Adulpho Cęsare Germano prodierint quidam peruersissimi homines Pseudo-Apostoli dicti, duce quodam Gerardo Sagarello Parmensi, infecti varijs erroribus, inter quos perniciosissimus fuit ille, nemini scilicet esse obediendum, nisi immediatè Christo Domino, sicuti obedierunt Apostoli, sicque obedientiam è medio tollebant respectu quorumcumq. superiorum, per quos Christus Dominus existens in Cęlo mediatè hominibus im-
90 perat. Hunc errorem etiam turpissimè errando innouarunt ex parte, postea lutherani cum Magistro suo Luthero negantes pręstandam esse obedientiam Prelatis Ecclesiæ, nisi in his solum, quę in Sacra Scriptura sunt apertissimè expressa, sic vtrumque refert Prateolus in suo Elencho alphabetico, verb. Pseudo-Apostoli, & verb. Lutherani, alterutrum igitur ex his erroribus amplectuntur apostatæ ab obedientia, vel præsumuntur amplecti.

91 Notanda tamen limitatio, quam merito pręcedenti doctrinę adhibet ibidem Farin. nu. 59. & 60. cum Albertin. citato, Syluest. verb. Apostasia num. 2. & cum alijs quod excusabitur aliquando à prędict. error. apostata inobedientię, si non obediat pręceptis superiorum ob acquisitionem alicuius commodi, aut ob euitationem alicuius damni temporalis, vel saltem ob fragilitatem humanam, non quod falso, seu erronee credat carere eos potestate pręcipiendi, aut nullo modo esse ipsis obedien-
92 dum. Verum non obstante hac limitatione, non obediens ex illis motiuis, haud raro peccabit mortaliter, vt affirmat idem Farinac. & manebit contra ipsum aliqua erroris præsu[mptio]: circa quod legendus Albertinus ibide[m] num. 61.

Quid & quotuplex schisma? quis schismatic[us], & quando Iurisdictioni Inquisitorum subiectus?

REGVLA CX.

93 SChisma strictè sumptum definitur, disiun[ctio] rebellis ab vnitate corporis Ecclesi[æ] constantis ex vniuersis fidelibus, vti membris, & Romano Pontifice vti capite. Hęc disiunctio fit dupliciter, primo si quis verbis, aut fa[ctis] se disiungat à capite Ecclesiæ, simul que à cęteris membris; secundò si vel à solo capite, vel à solis membris: atque alteru[tro] tro modo quiuis separatus sit, dicitur propri[è] schismaticus, impropriè vero, si à suo Episcopo
94 seu Pastore, & ab ouibus eius separetur. Contingit autem sępissimè, vt schisma sit coniunctum cum hæresi, & tunc cognitio illius, & punitio schismatici ad Inquisitorem spectat.

95 PRo effugienda omni æquiuocatione, & maiori luce doctrinæ huius Regulæ, præmittenda multiplex nominum schisma, & schismaticus acceptio: sumuntur enim tripliciter, primò largissimè, seu valde impropriè, ita ut aliquando in iure, & à Doctoribus dicatur schismaticus quiuis peccator, aut criminosus, & consequenter schisma quodcumque crimen, vel peccatum mortale, cap. Sacerdotes 1. & cap. dixi 25. q. 3. quibus id ostendunt Ioan. Andr n. 3. & Anchar. n. 1. cap. 1. extra de schismaticis, & tradūt Sylu. & Ang. ver. schisma, Farin. de hęresi q 184 §. 1. num. 3. & 23. cum
96 alijs ab ipso relatis. Secundo sumuntur quantulum largè seu impropriè, quo modo quisquis excommunicatus existit, dicitur schismaticus, & ipsa excommunicatio per consequens erit schisma; indicant dict. cap Sacerdotes, & cap. Apostolicæ 24. q. 3. ijdem auctores, maximè Angel. & Syluester verbo schisma, & Farin. In neutra tamen istarum acceptionum est nobis futurus sermo de schismate, & de schismaticis.

97 Sumuntur tertio nomina schisma, & schismaticus iam strictè, & propriè, sicque de schismaticis agitur in cap. 1. & 2. quibus constat totus titulus, extra de schismaticis, & sunt illi qui se contra Romanam Ecclesiam rebellantes ab eius vnitate se diuidunt. Atque secundum hanc acceptionem tractat ex professo de schismate, & schismaticis, D. Thomas 2. 2. toto q. 39. in quatuor articulos diuisa, & in primo excitat dubium, an schisma sit speciale pecca-
98 tum? Ad quod affirmanter respondet, & ostendit adducta nominis etymologia ex D. Isidoro in lib. etymol. quod schisma à scissura animorum sit vocatum, & cum scissio vnioni opponatur, peccatum peculiare schismatis dicetur, quod directè, & per se oppositum est vni-
tati

tati principali, quam facit caritas coniungendo totam Ecclesiam in vnitate Spiritus, vniuersa scilicet membra eius inter se, & cum suo capite Christo Domino, seu illius Vicario Romano Pontifice: hactenus compendiose doctrina D. Thomæ in corpore illius artic. Secundum quam formatur, & traditur à Doctoribus communiter definitio schismatis proposita, præcipue à Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 36. num. 1. à Sousa lib. 1. Aphorismorum cap. 20. num. 2. & à Sanctarello tract. 1. de hæresi cap. 43. num. 2.

99 Quo cum ad maiorem claritatem addidimus in ea definitione particulã; *rebellis*; quia dicta disiunctio ab vnione Ecclesię, semper fit cum aliqua rebellione contra eam, seu ipsius caput Summum Pontificem modo statim indicando.

100 Declarat benè citatus Sanchez cum Caiet. dicto art. 1. & cum Valentia 2. 2. disp. 13. q. 15. punct. 1. qualiter Ecclesiæ vnitas scindatur per schisma, non quod Schismaticus eam omnino tollat, quasi in alijs non maneat; sed tantum ex parte in quantum hæc vnio ex ipso constabat, eo quod nolit se gerere tanquam membrum corporis Ecclesię in aliqua, vel aliquibus actionibus circa fidei doctrinam, circa cultum Religionis, & circa spirituale regimen; quibus reliqui fideles, & membra eius apto quodam ordine connectantur inter se, & cum suo capite Romano Ponrifice; aut quod renuat huic vt capiti, seu vt Principatũ quemdam in talia membra habenti se subijcere.

101 Hinc iam patet duplex modus, & quasi species schismatis, & Schismaticorum, teste Diuo Thomâ dicto art. 1. in fine corporis, per hæc verba schismatici, inquit, dicuntur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. Iuxta quod Angelici Doctoris testimonium, id magis extendens Sanchez vbi supra num. 2. affirmat primum modum schismatis esse, quo quisque à capite Ecclesiæ, cæterisque simul mẽbris disiungit: secundum vero, quo separatur quis, vel à solo capite, Papa scilicet recusando se ei subijcere modo dicto, vel à solis membris, eligendo exercitium actionum spiritualium, vt credendi, sperandi, recipiẽdi, & administrandi Sacramẽta, orandi &c. non vt membrũ Ecclesiæ Catholicæ; sed tanquã si ipse esset cũ alijs quoddã totum seorsum. Quamquam optime addit Valentia citatus dicto punct. 1. post 3. propositionem, quòd tacitè, & virtualiter se à membris quoque disiungat, qui se à capite expresse disiungere intendit, & è contra à capite, qui à solis membris; cum enim hæc, & illud sint inter se connexa, & subordinata; disiungens se ab alterutro, consequenter ab altero, velit, nolit, se disiungat, necesse est.

103 Nota primò non consistere rationem schismatis in quacumque inobedientia, & rebellione respectu Papæ: quando enim quis non vult stare iudicio, & præcepto eius ex parte rei indicatæ, & preceptæ, quod aliter circa eam iudicet, quam ipse Pontifex, vel ex parte personæ Pontificis Summi, quod hunc susepctum, aut sibi infestum existimet; si alioquin recognoscit ipsum tanquam superiorem, & caput Ecclesiæ, nequaquam erit Schismaticus, nec de schismate suspectus; licet aliquando peccet

104 ei non obediendo, vel aliter. Requiritur itaque ad constituendum schisma, vt inobedientia, & rebellio circa Papam sit ex parte officij ipsius, nimirum si quis rebellet, & renuat Summo Pontifici subijci, quatenus officio fungitur Pontificio, & sic vt est Ecclesiæ caput. Ita cũ D. Thoma 2. 2. q. 39. art. 1. ad 2. docent omnes communiter, precipue ibi Caietanus, & Bañes, Valentia disp. 3. q. 15. pũct. 1. propositione 3. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 20. q. 4. & Sanch.

105 vbi supra num. 3. Qui adhuc bene limitant, quod non sit schismaticus quiuis nolens subesse Pontifici, eo quod probabiliter teneat eum non esse legitimum Papam; (quod maxime euenit, quando diuersi sunt electi ad Papatum à diuersis factionibus) nam sic tenens non renuit subijci Papæ, sed huic personæ, quam non esse Pontificem putat.

106 Duplex alia limitatio hic assignari solet, nempe, quod non sit schismaticus quicumque non vult subesse Papæ tanquam temporali Domino alicuius Oppidi, sed eo relicto, vbi prius erat Incola, transit ad aliud, vt alteri Principi subsit. Ratio est, quia, vt rectè obseruet Nauarrus de datis pro iustitia, vel gratia notabili 17. num. 29. Papa vt Dominus temporalis, non est Papa, nec caput Ecclesiæ; ergo illa seiunctio, & rebellio formaliter non fit erga Papam, nec contra officium eius, vt Papa est, quod vt dixi-

107 mus, ad rationem schismatis requiritur. Pari modo non erit schismaticus, qui à reliquis fidelibus, non vt membra Ecclesiæ sunt, & Papę, vt Papæ subijciuntur; sed vt sunt quidam homines rempublicam ciuilem constituentes, se disiungit: quia tunc non fit disiunctio ab vnitate Ecclesiæ formaliter, vt requiritur ad rationem schismatis. Tradunt vtramque limitationem Vgolinus de censuris Papę reseruatis 2. p. cap. 1. § 1. num. 4. & Sanchez vbi supra num. 4. Posteriorem vero idem Sanchez ac supracitati Azor, & Valentia cum alijs.

108 Nota secundò, quod non requiratur ad cõstituendum schisma, vt quis velit se directa intentione subtrahere à Papæ obedientia, aut vt voluntatem hanc verbis exterius exprimat dicens se nolle ei subesse: sed sufficiat si id velit indirectè, nempè opere ipso, & effectu, vt congregando Concilium Generale absque licentia Summi Pontificis, aut illud legitimè dissolutum prosequendo: vnde quicumque ad hoc cooperantur, vel in alijs ita se gerunt, ac si ipsi Papæ non subijcerentur, vel ac si non essent partes Ecclesiæ, veri schismatici sunt absque directa volitione nõ subijciendi se illi, aut non viuendi, vt Ecclesię membra. Ita docent Caietanus 2. 2. q. 39. art 1. vers. ad tertium autem dubium, & in Sum. verb. Schisma, Bañes, Valentia, & Vgolinus locis citatis, Suarez tom. 5. de censuris disp. 21. sect. 2. Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 36. & Sanctarellus tractat. 1. de hæresi cap. 43. nu. 3. qui peculiariter exemplificant in casu dicto congregandi, aut prosequendi Concilium Generale.

109 Est autem aliquantulum inter Doctores contro-

cŏtrouersum illud dubium, an sint schismatici propriè loquendo, qui licet subijciantur Papę, & se gerant vti membra vniuersalis Ecclesię, renuunt tamen subesse suo Episcopo, seu Pastori, & communicare cum ouibus ei subiectis recuant? addidi, seu Pastore, vt se extendat dubium ad alios superiores etiam religionum, qui sunt quasi Episcopi) & videtur respondendum affirmanter propter auctoritatem D. Cypriani, vt refertur in cap. scire debes, 7.q.1. & cap. loquitur Dominus 24.q.3. vbi ex sententia ipsius vocantur *schismatici* tales separantes se ab obedientia sui episcopi, in hocq; inclinat Valentia loco citato ob eam rationem, quia seiungendo se à suo Episcopo, & ab eius subditis, aliquo modo mediatè se separant à Papa, & à reliquis fidelibus, cum isti inter se, & cum suo capite, vt paulo antedictum, connectantur.

120 Nihilominus amplectenda communis omniū fere responsio, quod illi sint schismatici largè, & impropriè; quia verum, & proprium schisma includit in suo esse formaliter, seu per se primo & immediatè diuisionem ab Ecclesia vniuersali, & ab eius capite, vt patet ex definitione eius tradita, ita ex Canonistis Innocentius, & Hostien. in c.1. de Schismaticis ex nostris Theologis; Azor. tom.1. lib.8. cap.20. q.4. Sanchez lib. 2. in Decal. cap.36. num.6. & Sanctarellus cap. 43. num.6. cum alijs.

121 Videndum nunc, qualiter schisma coniungatur cum heresi, vel etiam cum apostasia, & hinc ad tribunal Sanctę Inquisitionis spectet? Quoad hoc de coniunctione cum apostasia, asserunt Hostien. in cap.1. num.1. de schismaticis, & ibi Ioan. And. vt refert. Farin. de Heresi q.183 §.1. n.um.7. quod apostatę dicuntur etiam schismatici, si illi ita asserendo intelligant (quod vix credere possum) Apostasiam à fide, & schisma, de quo loquimur, inter se non differre, sed includere eandem rationem formalem; meritò ipsos refutat Farinacius, quia falsa est talis assertio, cum schisma, vt patet ex D. Thoma ab omnibus recepto 2.2.q.39. art. 1. contrarietur directè, & per se virtuti supremę charitatis apostasia verò, sicut & heresis fidei diuinę, seu veritati Catholicę; ergo differunt inter se es-

122 sentialiter per rationes formales diuersas. Modus itaque iste loquendi apostatæ dicuntur, vel sunt etiam schismatici, vt benignè interpretemur illorum Doctorum mentem, admittendus est ratione coniunctionis apostasiæ, & schismatis in eadem persona, sicut duo accidentia in eodem subiecto, quæ negari non potest: si enim omnis apostata est hæreticus, sed non è contra, vt supra vidimus, & omnis hæreticus est schismaticus, sed non è conuerso, vt vers. sequenti indicabo à primo ad vltimum deducitur, quod omnis apostata erit schismaticus.

123 De coniunctione schismatis cum hæresi præcipuè, & copiosè tractat eruditissimus Iacob. Simanchas Cathol. institut. tit. 58. qui optimè constituit tres gradus, seu species schismaticorum; in primo reponit illos, qui ex probabili, seu inuincibili ignorantia admittunt in summum Pontificem, & caput Ecclesię Catholicæ eum, qui non fuit rectè, & legitimè electus; quod tunc maximè euenire solet, quando duo, vel plures de Pontificatu contendunt, & à diuersis factionibus promouentur: atque tales schismatici ignari, & materiales, nec peccant, nec in excommunicationem, aut aliam iuris pęnam incurrunt, & quam longè à quauis hæresi distant.

124 In secundo gradu sunt schismatici iam formales, & hæreticis valdè proximi, qui sponte cum rebellione, ab vnitate Ecclesiæ, & à Pontificis Summi obedientia discedunt non ex errore mentis inducti ad sic faciendum, & tamen semper est præsumptio, quod credant esse licitum, id facere; vnde sunt de hæresi suspecti, vt rectè Sanctarellus loco citato num. 7. cum Lopez in additionibus ad Diaz cap. 112. vbi affirmat Schisma, & hæreses esse sorores (quo modo loquendi etiam vtitur Simanchas) & nullum esse schisma, quod heresim non sapiat. Quare huiusmodi schismatici absq; dubio subsunt potestati, & Iurisdictioni DD. Inquisitorum.

125 Sed multo magis subsunt Illi schismatici, qui ab ipso Simancha collocantur in tertio gradu, nempe illi, qui sunt re ipsa consummati hęretici, quia non solum ab obedientia summi Pontificis, & ab vnitate Ecclesię se disiungunt, sed id etiam licere credunt, &c. De his loquitur textus in cap. inter heresim 24. q.3. vbi dicitur schisma non esse sine heresi, quia scilicet ordinariè illud est coniunctum cum heresi aliqua, & quia schismatici, vt in plurimum sunt hæretici, maxime hoc nostro tempore in partibus orientis, & septentrionis. Ita cum Nauar. summ. cap.27. num.57. Azor. tom.1. lib.8. c. 20. q.1. Valentia tom.3. disp.3 q.16. punct. 1. Sanctarellus d. ct. num.7. Ex cuius mente, ibi

126 reliquorum doctorum, hęc propositio vt ve traditur, omnis hereticus est schismaticus, ratio est, quia se separat ab Ecclesię vnitate, in qua separatione consistit schisma, non tamen è contra vt constat ex dictis.

127 Grauitatem maximam huius delicti schismatis perpendit D. Thomas 2.2.q.39. art. 2. quamuis concedat esse maiorem ex suo genere peccati infidelitatis, quia opponitur immediatè maiori bono, nempe Deo, secundum quod in se est prima veritas, & schisma minori bono participato, vnitati scilicet Ecclesię, addit tamen bene in fine corporis posse contingere, quod aliquis schismaticus grauius peccet, quam quidam infidelis, vel propter maiorem contemptum, vel propter maius periculum, quod inducit, vel propter aliquid huiusmodi:

128 verba sunt ipsius D. Thomę. Atq; hæc eius additio locum præcipue habuisse videtur respectu schismatis, quod in electione Summi Pontificis vigeties septies ab anno 252. Natiuitatis Christi Domini, vsque ad annum 1439. vt ex chronologia Doctissimi R.P. Honofrij Panuinij Veronensis colligo, cum ingenti detrimento totius Ecclesiæ Catholicę fuit perpetratum. Claudamus igitur hoc caput deprecando D.O.M. vt sicut per duo priora secula cum dimidio, & per duo posteriora huc vsq. liberauit, sic per reliqua si quę supersunt vsq. ad finem mundi, eandem Ecclesiam Matrem nostram à tali pestifero schismate tueri dignetur.

CAPVT XIV.

De superstitiosis, sortilegis, ac magicis quibusque actionibus iudicio Sanctæ Inquisitionis subiectis, maximè interueniente inuocatione Dæmonis, aut pacto cum eo explicito, vel implicito, & ab vsu rerum sacrarum.

PROOEMIOLVM.

1 Clausula, quæ in edicto Sanctæ Inquisitionis sequitur, quascumque actiones superstitiosas, sortilegas, ac magicas hac ratione attingit, *ò in qualunque modo espressamente, ò tacitamente habbiano inuocato, ò inuochino il Demonio, o gli habbiano prestato, o prettino honore, ò habbiano hauuto parte, ò si siano ingeriti, ò s'ingeriscono in qual si sia esperimento di magia, o negromanzia, incantesimi, ò altre simili superstitiose attioni, e massime con abuso di cose sacre*, sic Latinè: Vel quocumque modo expressè, vel tacitè inuocauerint, aut inuocent Dæmonem, vel exhibuerint, aut exhibeant ei cultum, & venerationem; vel participauerint, aut se ingesserint, vel se ingerant in quouis experimento magię, aut necromantię, incantationum, vel similium actio-
2 num superstitiosarum, pręcipuè adiuncto abusu rerum Sacrarum. Materia autem ista secundum totam suam latitudinem abundantissima, & vastissima est; adeo vt qui stylo breuiori, & magis conciso vtuntur, eam per capita plura tradant, nimirum per viginti. Ant. Sousa à 38. vsq; ad 58. lib. 1. Aphorism. Thomas Sanchez per vndecim, à 37. vsque ad 43. lib. 2. in Decal. Franciscus Suarez copiosius per decem, & octo sub peculiari libro tract. 3. de vitijs Religioni contrarijs, similiter Raphael de la Torre vbi infra: imo alij multo copiosius per integrum, & chartosum volumen diuersis libris, & innumeris penè capitibus diuisum de hac sola materia editum, vt Martinus del Rio libris sex magicarum disquisitionum, & Franciscus Torreblanca libris quatuor, Epitomes delictorum, in quibus aperta, vel occulta inuocatio dæmonis interuenit. Nos diuino fauente numine, non vt Leonardus Lessius citandus sub duplici sed sub vno tantum capite solitis Regulis pro vt clausula proposita Edicti Sanctę Inquisitionis expostulat, vniuersam comprehendemus.

Quid & quotuplex superstitio in communi? ac prima eius species in debito modo cultus, vnde, & quale peccatum?

REGVLA CXI.

3 SVperstitio genericè sumpta definitur. Vitium Religionis virtuti oppositum secundum excessum. Quatuor sunt eius species, nempe modo indebito cultus, idololatria, diuina-
4 tio, & vana obseruatio. Prima indebito modo cultus contingit dupliciter, vel quia cultus est falsus; vel quia superfluus; at falsitas potest cultui prouenire, aut ex parte rei significatę, aut ex parte personę colentis; & vtrouis modo talis cultus semper est peccatum mortale, coniunctum aliquando saltem cum suspicione hæresis; si vero sit indebitus ob superfluitatem, vndecumque hæc proueniat, est vt in plurimum solum veniale.

5 DEfinitio hęc superstitionis in communi D. Thomæ est, ab omnibus recepta 2.2. q. 92. art. 1. quę clarè innotescet, exposita vltima eius particula, *secundum excessum*. Cum enim excellentissima virtus Religionis, qua Deum cultu latrię, Deiparam Virginem hyperduliæ, & Sanctos omnes duliæ colimus, reposita sit sicut quæuis alia virtus moralis, inter duo extrema vitiosa, alterum ex his insurgit per defectum, & vocatur *irreligiositas*, suntque eius diuersæ species, vt periurium, tentatio Dei, Simonia, &c. de quibus non est hic locus dicendi; alterum verò per per excessum committitur, eò quod quis in colendo excedat, & nimius sit, & appellatur Superstitio, cuius etymologia inde est, quod homines nimij essent in precibus, & immolationibus, pro relinquendo liberos sibi superstites, vt ait Cicero lib. 2. de natura Deorum; vel quod relictis veris Dijs, colerent superstitem memoriam suorum maiorum, secundum Lactantium lib. 4. diuinar. in-
6 stit. cap. 28. & secundum D. Isidorum lib. 8. etymol. cap. 3. Excessus autem, seù nimietas in cultu reperitur, vel ex parte rei adoratæ, quia adoratur id, quod adorandum non est, hinc cultus falsorum Deorum; vel ex parte modi, seu ritus, quo colitur. Nam in adoratione veri Dei, licet respectu dignitatis diuinę excessus esse nequeat (omnis quippè cultus, quem creatura suo Creatori exhibere potest, infinitè eius dignitate minor est) si assumat quis ea, quæ ad illum adorandum non sunt idonea, erit sine
7 dubio superstitiosus per excessum. Atque quod sic excedendo quoad cultum etiam veri Dei, præter cultum falsorum Deorum, se extendat super-

Superstitio, docent expresse D. Thomas dicto art. 1. & D. Augustinus lib. 1. de doct. Christiana cap. 18. traduntque hęc omnia pręcipue Lessius lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 1. num. 1. & Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 37. num. 1. cum alijs.

8 Nota quod Farinac. de hęresi. q. 181. §. 1. n. 37. antequam pręedictam Superstitionis definitionem proponat, aliam longe diuersam ex solo proprio marte sic efformat dicēs, quod Superstitio sit sententia contra fidem ratione adiunctionis quasi superflua institutio. Verum, vt ingenue fatear, non capio, qua ratione eam fundet: & quidem non potest competere hęc definitio superstitioni genericè sumptæ; cum varie dentur superstitiones, quę vt statim speciebus eius explicatis patebit, non sunt contra fidem.

9 Quod autem quatuor tantum sint superstitionis species, est doctrina manifesta D. Thomæ citati, ex D. August. lib. 2. de doctrina Christiana, & refertur in cap. illud. 24. q. 2. eas cū aliquali explicatiuncula breuissime percurrit, Sanchez hoc modo, prima est quando Deus, vel persona cultu digna modo indebito, seu incongruo colitur, & hęc vocatur superstitio cultus modi indebiti, seu incongrui. Secunda est quando loco Dei adoratur creatura aliqua culta latriæ: & appellatur Idololatria Tertia quoties homo quærit à creatura instructionem quā à solo Deo obtinere potest, sicque cultum ipsi Deo soli debitum, tribuit creaturæ, quęrens ab ea instrui de futuris aut de pręteritis, aut pręsentibus occultis; & hęc nominatur diuinatio. Quarta tandem vbi quis in actibus suis omittit dirigi à Deo, vt requirit diuinus Cultus, & hunc tribuit creaturę, dum petit directionem ab ipsa: atque ista vocatur superstitio vanæ obseruationis: sic omnibus simul explicatis iam de vnaquaque sigillatim.

10 Prima autem superstitionis species cultus indebiti, seu incongrui, ex communi Sententia DD. subdiuiditur in duas magis infimas, alteram talis cultus continentis in se falsitatem; alteram vero continentis superfluitatem. Rursus huiusmodi cultus sic falsus, & consequentèr perniciosus, teste D. Thoma 2. 2. q. 93. art. 1. potest contingere dupliciter, primò ex parte rei significatæ, vt si quis ceremonijs Iudaicis Deum hoc tempore coleret, quæ falso contra

11 fidei veritatē. significant filium Dei nondum incarnatum secundo ex parte personæ exhibētis cultum, pręcipuè ministri publici nomine Ecclesiæ Deum colentis, & simulantis verum Cultum, qui re vera non est, vt si falsis miraculis, vel testimonijs doctrinam fidei confirmare intenderet, aut si falsas reliquias proponeret, & similiter si formam, vel materiam Sacramentorum pręsertim Eucharistiæ mutaret animo colendi Deum. Ita docent, & exemplificant citati Sanchez, & Lessius.

12 Qui tandem benè resoluūt cum Nauarro in Enchir. cap. 11. n. 27. Caiet. in summ. verb. superstitio & cum alijs hāc superstitionem falsi cultus, ex vtralibet parte ei falsitas contingat, esse semper ex suo genere peccatum mortale, probat Lessius, quia oritur. vel ex crassa ignorantia rerum fidei, vel ex errore aut infidelitate, cum contineat falsam significationem

13 contra doctrinam fidei. Vnde concludendum, quod quiuis sic superstitiose falsum Cultum Deo exhibens, non rarò, aut fit, aut saltem pręsumatur hęreticus, vel infidelis, vt per se patet, nec indiget probatione maiori.

14 Quanquam doctrinæ traditæ num. pręcedēti merito addit limitationem Lessius vbi supra dicens, posse aliquando non esse peccatum mortale & multo minus errorē ei adiunctū ratione ignorantiæ inuincibilis ob defectum instructio-

15 nis. Hinc multi Æthiopes excusantur, qui circumcisionem accipiunt, ad imitandum in hoc Christum Dominum, eo quod à suis Sacerdotibus, & Episcopis sic oportere fieri instruantur nec aliundè veritatem fidei circa prohibitionē circumcisionis scire potuerint.

16 De alio superstitioso cultu continente superfluitatē tractant copiose valdè aliqui authores, pręcipue Caietanus in sum. verb. superstitio, & 2. 2. q. 93. art. 2. Suar. lib. 2. cit. c. 2. & Sanch. multo copiosius vbi supra à n. 4. vsque ad 20. qui benè statim aduertit similiter duplici modo contingere posse: primò si sit superfluus secundum se, & tunc euenit, quando cultus exterior sola exteriora est vtilis, & non ad interiora spiritus, & cum quis præter Ecclesię vsum, & proborum; quibuscum habitat, singulariter aliquid facit Diuini cultus, in orando ante solis ortum, & non post, in audiendo Missam Sacerdotis, qui tali nomine vocetur v. g. Petrus, & non ab alio; sic exemplificat Nauarr. in

17 summ cap. 11. Secundo modo potest esse superfluus secundum Ecclesiæ statuta addendo aliquid, vel mutando, non seruatis rubricis Breuiarij, aut Missalis, vt bis Alleluia, vbi semel dicendum est, aut si in Missa fiat signum Crucis, quando non præcipitur fieri, vel alias huiusmodi ceremonias, quæ quis proprio arbitrio, etiam pro sua deuotione adhibet. Ita citati Caietanus, Lessius, & Sanchez, cum

18 Toleto lib. 4. cap. 14. & cum alijs. Omnes tamen in hoc conueniunt, quod vtrouis modo talis cultus sit superfluus, non excedat peccatum veniale, cum ex bona intentione fiat, nec irreuerentia grauis vllo modo reperiatur; In sacro tamen Missę sacrificio maiori cautione opus est ob mysterij reuerentiam, & sanctitatem, atque hactenus de prima specie superstitionis.

Natura Idololatriæ quænam? quam graue peccatum, maximè si coniungatur cum hæresi?

REGVLA CXII.

19 SVmpta propriè Idololatria definitur, actus adorationis, quo quis aliquid creatum colit loco Dei, seu eo cultu, qui soli Deo congruit. Ex suo genere est grauissimum peccatum respectu eorum, quæ diuino cultui, seu

Reli-

Religioni opponuntur, imo respectu quorumcumque peccatorum; cum odium Dei, & blasphemiam in se virtualiter sępè includat. Accipit etiam grauitatis augumentum ex eo quod vt in plurimum coniungatur cum hæresi, vel infidelitate: quamquam sine ea aliquando esse potest.

DVpliciter accipitur nomen idololatria, vti post alios bene notat Lessius vbi supra dub. 2. Primò largè seu metaphoricè pro quouis actu peccati quo quis rei peccaminosæ ad hęret, relicto Deo, & habens eam loco Dei, & quasi idolum quoddam, sic ad Ephes. 5. Auaritia vocatur idolorũ seruitus ad Philipp. 3. quorum Deus venter est; & D. Hieron. in illud Amos. cap. 2. super tribus sceleribus Iudæ, sic ait, Auarus aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem, & Beelplegor. colit, lasciua mulier, quę cum sit in delitijs, mortua est, adorat venereas voluptates: Secundum hanc metaphoricam eius acceptionem nõ loquimur de idololatria in pręsenti regula. Secundò sumitur propriè seu strictè, & significat id quod nomen ipsum Idololatria, ex duplici particula compositum clare sonat, nempè Idolorum latriam, seu actum, quo supremus cultus sòli Deo debitus, idolo, aut creaturæ per idolum repręsentatæ, vel in ipso loquenti tribuitur. Nam licet nomine idololatriæ significetur omnis cultis falsorum Deorum, vt Dęmonum, solus syderum. &c. vt exprimetur Regula sequenti. & hęc non sint idola; tamen quia à gentilitate communiter, non nisi in Idolis colebantur, ideo omnis cultus, quo creatura instar Dei colitur, idololatria vocari consueuit.

25 Vtramq. autem huius nominis particulam indicare oportet, ad completè capiendam naturam Idololatriæ, & definitionem eius traditã: explicat primam Suarez copiose, lib. 2. citato cap. 2. adductis DD., & Patrum circa hoc oppositis sententijs. nam aliqui, vt Origenes humil. 8. in exod. & Theodoret. q. 38. similiter in exod. affirmãt tunc imaginem posse idolum appellari, quando significat rem fictam, non subsistentem, nec possibilem, vt chimæram, aut quid simile, sicque exponunt illud Pauli. 2. Corint. 8. scimus quia nihil idolum est in Mundo.

Alij vero vt D. Cyprianus lib. de Idolorum vanitate, & D August. lib. 8. de Ciuitate Dei cap. 26. inclinant in contrariam partem, quod Idolum potuerit esse imago alicuius rei veræ, & aliquando subsistentis, quod negari non posse videtur, cum deducatur manifestè ex scriptura sacra sapien. 14. ibi, per manus quod fit Idolũ, maledictum est, & ipsum, & qui fecit illud: ac infra, acerbo enim luctu dolens pater citò sibi rapti filij, fecit imaginem, & subdit, & illum, qui tunc, quasi homo mortuus fuerat, tanquã Deum colere cępit, nimirum per cultum supremum latriæ, soli Deo debitum. Atq. ex hoc loco, & aliunde optime concludit Suarez citatus rationem idoli compleri per hoc, quod sit imago hominis, vel alterius rei veræ, aut fictæ, destinata ad tribuendum alicui indebitum cul-
26 tum. Hinc etiam ostendit ipse Suarez differentiam inter talem imaginem, & quamcumque aliam cuiusuis sancti, quę nec est, nec vllo modo vocari potest idolum, vt definit septima Synodus act. 7. quia ex vsu, & approbatione Ecclesiæ Catholicę imagines Sauctorum erigũtur ad debitum cultum eis tribuendum, ac proinde nullo modo sunt idola.

27 Secunda particula huius nominis idololatria cum omni proprietate, & rigore intelligi debet de adoratione, & seruitute soli Deo debita, vt docet D. August lib. 1. qq. in Genes q. 61. & lib. de Trinitate cap. 6 colligiturque clarè ex cap. 13. sapientię, sicut enim vera latria, qua Deũ colimus internis, & externis actibus exercetur nempe interno actu intellectus, quo res adorabilis, seu quæ adoranda proponitur, ęstimatur ab ipso seu habetur pro Deo, item actu voluntatis interno, quo ipsa vult, & intendit adorare, seu exhibere aliquod signum submissionis, & recognitionis excellentię Diuinę in talire, tandem completur adoratio in exhibitione dicti signi, vel interni, si adoratio sit merè interna, vel exterioris, si sit externa; pari etiam modo vera idololatria, qua res aliqua loco Dei seu eius idolum colitur per similes tres actus internos, & externos in suo esse consummatur:

28 Quamuis enim omnis idololatria, vt optimè docet, & distinguit Suarez dict. lib. 2. cap. 4. ex parte creaturę adoratę semper sit falsa, quia in ea recognoscitur suprema excellentia, quam non habet, & colitur loco Dei, cum Deus non sit, ex parte tamen adorantis potest esse aliquando vera, aliquando falsa. Erit falsa, vel congruentius loquendo, ficta, si homo fingat adorare, quod re ipsa non adorat; vel si desit aliquis ex illis tribus actibus ad rationem idololatriæ requisitis; erit autem vera, & ea ipsa, de qua loquimur, expressa per definitionem propositam, si omnes tres actus ad eam complendam modo dicto concurrant.

29 Quanta item sit grauitas peccati idololatrię expendit D. Thomas 2. 2. q. 94 toto art. 3. & resoluit esse grauissimum: quę resolutio ab omnibus recepta primò intelligitur ex genere suo, facta comparatione cum peccatis, quæ opponuntur cultui diuino, seu virtuti Religionis. Probatur efficaciter, quia est crimen lęsæ Maiestatis diuinæ, cum per eam Dei honor, & diuinitas ipsa quantum fieri potest transferatur ad creaturam; sicut esset crimen læsæ Maiestatis humanæ grauissimum, si quis alium, quam legitimum Principem pro Rege agnosceret, ei-
30 que honorem regium exhiberet. Imo ex mente eiusdem D. Thomæ dicto art. 2. potest secundo intelligi facta etiam aliquo modo comparatione cum quibuscumque peccatis qui si peccatum idololatriæ committatur ex perfecta notitia, & libertate, continet in se odium Dei, & blasphemiam, cum cognoscens verum Deum, si velit alium facere Deum, huicque cultum supremum tribuere, nequeat id efficere, nisi aliquo modo, idest, indirectè, seu implicitè odio habeat verum Deum, & indicet hunc non esse Deum; quod est summa blasphe-

mia:

31 mia: ita Lesſius vbi ſupra. Nihilominus benè addit ipſe ex communi doctrina affirmans, ſi quis formali odio directè in Deũ Op.Max. feratur optando ipſum non exiſtere, aut exiſtere miſerum, &c. hoc peccatum eſſe grauius idololatria, quia grauius eſt diuinitatẽ è medio abſolutè tollere, quam eã alteri tribuere, ergo, &c.

32 Supereſt aliquid breuiter dicere de coniunctione grauiſſimi peccati idololatriæ cum hęreſi, vel infidelitate contra fidem, vndè eius malitia excreſcit, vel è contra de diſiunctione illius ab iſta. Circa hoc legendus D.Thomas 2.2.q.94. art.3.ad 1. vbi manifeſtè ſignificat eſſe tunc idololatriam coniunctam cum hæreſi, quando idololatria ſciens ſeu habens ſufficientem inſtructionem de veritate contraria fidei noſtræ credit aliquam creaturam eſſe Deum, ideoque exhibet ipſi ſupremũm Cultum: ſic enim credens, & exhibens eſt formalis hæreticus, aut infidelis; tunc verò eſſe idololatriã ſine hæreſi, vel infidelitate, quando non credit talem creaturam eſſe Deum; vult tamen, & intendit diuinum cultum illi deferre, vt ſe conformet reliquis, qui ita deferunt. Poteſt etiam

33 eſſe ſine hęreſi, ſi ſit Idololatria falſa, ſeu ficta, exhibito tantùm extrinſecè ſigno adorationis, abſque animo adorandi, & abſq; actu credendi creaturam eſſe dignam tali adoratione; quamquam nequit exhiberi ſignum ſic tantũ extrinſecè abſque peccato admodum graui, & abſque præſumptione aliqua hæreſis: vide Sanchez lib.2.in Decal cap.37. num 21.& 22.cum Valentia, Leſſio, & alijs apud illum citatis.

Quotuplex idololatria? quæ cauſa eius originis, ac progreſſus?

REGVLA CXIII.

34 ATtenta varietate rerum, quę coli conſueuerunt, quadruplex aſſignatur idololatria; Prima, per quam exhibitus ſupremus cultus hominibus mortuis (quandoque etiam viuis) Secunda, per quam exhibitus ſtatuis, ſeu idolis, aut Dæmonijs in illis loquentibus: Tertia, per quam elementis, & partibus mundi: Quarta, per quam rebus quibuſque generi hu-

35 mano commodis, aut noxijs. Originis autem & progreſſus cuiuſuis idololatriæ duplex cauſa extitit, altera diſpoſitiua ex parte hominum altera conſummatiua ex parte Dęmonum.

---

36 PRæter adductas, & explicatas obiter in præcedenti Regula Idololatrię diuiſiones in veram, & falſam, ſeù fictam; item in internam tantum, & internam, ac externam ſimul vel è contra in externam ſolam, ac ſimul externam, & internam, quas ſic ibi adduxiſſe, & explicaſſe ſit ſatis: accedimus nunc ad exprimendam celebrem illam idololatriæ diuiſionẽ quadrimembrem, iuxta diuerſitatem rerum, quæ ſupremo honore antiquitus colebantur, ſecundum varias philoſophorum circa adorationem plurium Deorum ſententias, ſiue ſecta ex atteſtatione D. Auguſtini lib. 6. & 7. de Ciuitate Dei, & D. Thomę 2.2.q.94.art.1.in corpore, quos ſecuti alij copioſè de hac materia tractant, maximè ex noſtris recentioribus Suarez dicto 2.lib. cap.4. Leſſius vbi ſupra dub. 3. Ioann. Lorinus in ſapien. ex quibus nos aliqua attingemus.

37 Philoſophi Ethnici præſertim Varro, vt pote D.Auguſt. lib.6. cap.5. de Ciuitate Dei, refert Euſebius lib.1.2.& 3. de præparatione Euang. triplicem Theologiam quoad cultum Deorum diſtinxerunt, nempè phyſicam, ciuilem, & fabuloſam, ſeu fabularem; quę ſic ab ipſo Varrone vocatur, eo quod teſte eodem D.Auguſt. à poetis antiquitatis innumeris, penè falſis fa-

38 bulis fuerit tradita, & locupletata. Ad hanc vt à declaratione vltimæ incipiamus, ſpectat adoratio quorumdam hominum mortuorum, quos vt Deos colebant vniuerſi Gentiles ex falſa deceptione, & traditione, vt Iouem, Martem, Apollinem, Mercurium, & ſimiles, de quibus hoc certiſſimum apud quaſcumque nationes habebatur, quod innumera ſcelera omnis iuſuis generis, & turpiſſima flagitia, etiam præpoſteram libidinem, & beſtialitatem commiſiſſent; & tamen ipſis mortuis, tanquam Dijs ſupremus cultus latriæ delatus: heù cæcitas ingens generis humani, quod diuinitatem cum talibus ſceleribus coniunctam concipere

39 potuerit. Dixi in Regula, quandoque etiam viuis; quia ſicut in fine mundi ſceleratiſſimus Antichriſtus ad ſe, vt Deum colendum homines inducet, vt conſtat de fide ex 2. Theſſ. ita nullum dubium aliqui eius imitatores idem pręſtiterint, & patet id ex hiſtorijs Ethnicis: patet etiam ex dictis primum membrum diuiſionis idololatrię quadrimembris propoſitæ.

40 Ciuilis item Theologia quoad Deorum cultum ſic appellata, quod veluti communi conſenſu, & conſenſu introducta fuerit, colendi ſcilicet ſupremo honore ſtatuas, ſeù imagines (idola communiter vocatæ) non quatenus repræſentarent perſonas, vel res aliquas; ſed quod ratione pulchritudinis, & artificij cenſerentur continere in ſe quandam diuinitatem. Hoc autem inde prouenie bat, quia illis ſtatuis & imaginibus, vbi primum dicatæ erant, Diabolus ſe inſinuabat in ipſis loquendo, ſeu reſponſa dando: propterea Ethnici decepti ſe poſſe Deos facere exiſtimabant, id mirante, & extollente Mercurio Triſmegiſtro, vt videre eſt apud D.Auguſt. lib.8. de Ciuitate Dei capit.

41 Sed nihil mirum ſuppoſita inſinuatione dicti Dæmonis, cuius tanta eſt poteſtas, vt nulla ei ſuper terram comparetur Iob.41. Hinc illud pſal.95. Omnes Dij Gentium Dæmonia, quibus in tota gentilitate ab hominibus decepti in ſtatuis, ſeu Idolis ſupremus cultus latriæ delatus: atq; adeo inualuit vſus talis idololatriæ, vt in pręceptum ſtrictiſſimum, ſeu legem inuiolabilem tranſierit, iuxta illud Sapien. 14. Deinde, inquit, interueniente tempore conualeſcente conſuetudine, hic error tanquam lex cuſto-

ditus

ditus est, & tyrannorum imperio colebantur
figmenta; ad litteram sermo ibi de hac idolo-
latria secundum ciuilem Theologiam Varro-
nis.
42 Ad physicam vero, seu naturalem ex men-
te eiusdem Varronis Theologiam pertinent
variæ opiniones, quas ipsi Philosophi antiqui
de vno, vel pluribus Dijs in scholis suis, ac li-
bris docebant; tametsi populis illos non pro-
ponerent communi, & publico ritu colendos,
vt significat D. Augustinus lib. 6. de Ciuit. cap.
5. omnes autem illorum opiniones reducit S.
Thomas loco citato circa cultum Idolatriæ
ad duas tantum classes. Ptimæ Platonicarum
43 adorantium cultu latriȩ vnum summum Deũ,
cæterarum rerum conditorem, ac simul plures
Deos minores, quos intelligentias, aut dæmo-
nes vocabant, his adiungentes animas quorũ-
dam mortuorum hominum, diuinitatis parti-
44 cipes effectas. Secundæ classis Pythagoricorũ
colentium honore latriæ vniuersum hunc mũ-
dum, & vnam quamque partem eius ex elemẽ-
tis, & orbibus, quibus constituitur, eo quod pu
tarent ipsum a Deo quoad omnes partes ani-
mari, & diuinitate quadam repleri. De hac Ido
lolatria est illud Sapien. 13. Aut ignem, aut spi
ritum, aut citatum aerem, aut girum stellarum,
aut nimiam aquam, aut solem, & lunam, recto-
res orbis terrarum Deos patauerunt. Vide
plura apud eumdem D. Thomam, & apud ci-
tatum Suarez de triplici antiquorum Philoso-
phorum Theologia fabulosa, ciuili, & physica;
nobis tradita sufficiant pro intelligenda tripli-
ci idololatria ex parte rerum, quæ coluntur; sed
de quarta quid iam?
45 De hac plura D. Augustinus lib 4. c. 8. & lib.
6. c. 9. & lib. 7. c. 23. de Ciuitate Dei, vbi docet,
qualiter crescente ignorantia, & cæcitate ho-
minum circa verum Deum Opt. Max. & cre-
scente praua consuetudine multiplicando ido-
lolatriam, homines gentilitatis omnibus fere
rebus, & operibus, quæ ad vsum humanũ per-
tinent, multiplices Deos, & Deas præfecerint,
& omnes adorauerint, prout opportunius iu-
dicarunt ad commoda acquirenda, & ad noxia
vitanda; eo quod apprehenderent rebus omni-
bus inesse numen aliquod cultu supremo di-
gnum, quod ad vtrumque conduceret. Itaque
aliud numẽ rei bellicæ, aliud agriculturæ, aliud
venationi, aliud mercaturæ, aliud nuptijs &c.
præposuerunt, & pro rebus maioris momen-
ti maiora, & excellentiora numina. Quid quod
46 nationes, quæ inter cæteras cultiores, & sa-
pientiores habebantur, circa id magis inclina-
runt; Aegyptiaca omnibus suo tempore sapiẽ-
tia, & ciuilitate præstantior in multiplicanda
idololatria, & præficienda multiplicitate Deo-
rum, quascumque superauit; legendus circa
hoc Ioan. Lorin. vbi sup.
47 De causa originis, & progressus idololatriæ
nullus clarius, credo, & compendiosius egit,
quam noster antesignanus D. Thom. 2. 2. q. 94.
ar. 4 vnde visum est oportuuum eius tesolutio-
nem ex corpore articuli totidem ipsius verbis
adducere. Respondeo dicendum, inquit, quod
idololatriæ est duplex causa. Vna quidem di-
spositiua. Et hæc fuit ex parte hominum, & hoc
48 tripliciter. Primo quidem ex inordinatione
affectus, prout scilicet homines aliquem homi
nem, vel nimis amantes, vel nimis venerantes,
honorem diuinum ei impenderunt. Et hęc cau
sa assignatur Sapien. 14. Acerbo luctu dolens
pater cito sibi erepti filij fecit imaginem, & il-
lum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc
tanquam Deum colere cępit; & ibidem etiam
subditur, quod homines aut effectui, aut regi-
bus deseruientes incommunicabile nomen sci
licet Diuinitatis, lignis, & lapidibus imposue-
49 runt. Secundo propter hoc quod homo natu-
raliter de reprȩsentatione delectatur, vt Philo
sophus dicit in poetica sua; & ideo homines
rudes a principio per diligentiam artificum
imagines hominum expressiue factas Diuini-
tatis cultum eius impenderunt. Vnde dicitur
Sapien. 13. Si quis artifex faber de sylua lignum
rectum secuerit, & per scientiam suæ artis fi-
guerit illud, & assimilet imagini hominis, de
substantia sua, & filijs, & nuptijs votum faciens,
50 inquirit. Tertio propter ignorantiam veri
Dei, cuius excellentiam homines quibusdam
creaturis propter pulcritudinem, seu virtutem
Diuinitatis cultum exhibuerunt. Vnde dicitur
Sapien. 13. Neque operibus attendentes agno-
uerunt, quis artifex esset, sed aut ignem, aut spi
ritum, aut citatum aerem, &c. Deos putauerũt.
51 Alia autem causa idololatrię fuit consumati-
ua ex parte dæmonum, qui se colendos homi-
nibus errantibus exhibuerunt, in idolis dando
respõsa, & aliqua, quę videbantur hominibus
mirabilia faciendo. Vnde, & in Psal. dicitur
omnes Dij gentium dęmonia; hactenus verba
Angelici Doctoris, quibus nihil vltra adden-
dum.
52 Pro coronide huius Regulę notare oportet,
quantum delirent hȩretici nostri temporis, prę
cipue Herbrandus Lutherus, vt refert Valent.
2. 2. disp. 6. q. 11. pun. 1. & ante eum Caluinus
lib. 1. inst. c. 11. n. 8. & 9. affirmantes non solum
tunc committi proprie Idololatriam, quando
alicui creaturæ defertur cultus latriæ, & habe-
tur loco Dei; Sed etiam vbi verus Deus colitur
aliquo cultu, quem ipse non iniunxit. Atq. hinc
deducunt cultum, quem Catholici in imagini-
bus Deo, & Sanctis exhibent, esse idololatriã,
eo quod Deus illud non mandauit taliter exhi
beri. Verum sententia Caluini, Herbrandi, &
similium absurda, & manifeste falsa, atq. hære-
tica est, vt post Valentiam citatũ, longe osten-
dit Lessius lib. 2. de iust. cap. 43. dub. 4. soluens
adducta in oppositum, & respondens facile
obiectionibus, & quidem quoad cultum Dei,
& sanctorum per imagines, ipsum Catholici
ex traditione Ecclesię, & definitionibus Con-
siliorum iniunctum habent, atque hęc de pec-
cato idololatrię sint satis pro nostro instituto,
(addetur forte postea aliquid) vt ad tertiam
speciem superstitionis, diuinationem scilicet,
seu artem sortilegam gradum faciamus.

Quid, & quotuplex diuinatio in communi? an semper peccatum, & quam graue, maxime si coniunctum cum errore mentis?

REGVLA CXIV.

54 Diuinatio propriè sumpta, est actio mala prænunciandi futura, vel occulta ope, aut consilio dæmonis. Diuiditur in tres quasi species iuxta diuersitatem materiæ, vel modi; quarum quęlibet subdiuiditur in multo plures.
55 Prima fit, cum adest expressum pactum cum dæmone, seu inuocatio eius explicita; appellaturque generali voce Necromantia. Secunda fit cum sola tacita dæmonis inuocatione per obseruationem dispositionis, aut motus alicuius rei, & vocatur cōmuni nomine Augurium. Tertia fit similiter cum solo pacto dæmonis tacito per obseruationem eius, quod ex aliqua actione humana ad hoc directa prouenit; & dicitur diuinatio per sortes, seu sortilegium. In
56 his duabus ex suo genere semper est mortale; licet ob simplicitatem quis ab eo excusetur, imo & a veniali: in prima vero specie, nunquā deest grauissimum peccatum contra Religionem, quandoque etiam contra fidem ob mentis errorem.

---

57 Svmpto large diuinationis nomine pro futurorum prænunciatione quocumq. modo ab aliquibus, vt a Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 38. & a Raphaele de la Torre 2.2. q. 95. art. 1. disp. 2. triplex assignatur diuinatio; quædam a Deo dimanans, quæ dicitur Prophetia; altera naturalis, quæ a causis, & signis naturalibus procedit, & vocatur Præsagium, quædam vero superstitiosa, quæ acquiritur illicite, & dicitur Dæmoniaca: atque de hac sola in pręsenti agimus; imo vbicumq. absolute est sermo de diuinatione, intelligitur de ipsa, vt n. 5. non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel. Nam hæc sēper sumitur in malam partem, vt cum D. Hieronymo in cap. 3. Micheæ docet S. Thomas in
58 fine corporis dicti articul. 1. Vbi ad quæsitum vtrum diuinatio sit peccatum? respondet, & concludit affirmanter, quæ responsio, & conclusio Angelici Doctoris habetur certa de fide; quia in Scriptura sacra prohibetur diuinatio hæc, & reprehenditur tanquam intrinsece mala, & peccaminosa, Deutor. 18. Non inueniatur in te qui ariolos suscitetur, nec qui pythones consulat, nec qui diuinos. Omnia enim hæc abominatur dominus: similiter Leuit. 20. & in iure canonico per multa capita, 26. q. 5. vt refert Suarez statim citandus.
59 Declarat autem hac ratione ibi D. Thomas, vnde diuinatio habeat malitiam, eo quod proprium solius Dei sit prænunciare futura contingentia, maxime ex causis liberis aliqualiter dependentia, iuxta illud Isai. 41. Annuntiate, quę ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos; ergo qui huiusmodi prædicere quocumque modo præsumpserit, nisi Deo reuelante manifeste sibi vsurpat, quod est Dei; & ex hoc aliqui diuini dicuntur, attenta ethymologia D. Isidori lib. 8. c. 9. quia diuinitate se ple[nos] simulant, & astutia quadam fraudulentiæ
60 hominibus futura coniectant. Non exprimit D. Thomas in particulari modum, quo voluntas addiscendi, & actio prænunciandi futura, extra reuelationem Dei, sit mala, scilicet malitia superstitionis, de qua ipse est intelligendus; sed tantum ait, quomodocumque præsumpserit futura prænoscere, & infra, indebito modo sibi vsurpat prænunciationem futurorum. Nec
61 dubium, quia talis voluntas, & actio addiscendi, & prænuntiandi futura possit esse mala aliunde diuersis malitijs, nimirum ex fine; si requiratur ad vanos honores, & ad lucrum illicitum; ex nimia item curiositate, vt contingit in Apostolis, quando Christum interrogarunt, Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel? quibus ille respondit, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: Reijciens interrogationem illam tanquam ineptam, & nimis curiosam, vt notant ibi D. Chrisostomus, & D. August. epist.
62 78. Concordes itaque sunt omnes expositores D. Thomæ, & alij quicumque auctores, quod ipse sit interpretandus necessario de modo à nobis expresso in Regula, nempe tunc [so]lum esse illicitam diuinationem peculiari [su]perstitionis malitia, quando ex auxilio vel [di]rectione dæmonis procedit prædictio futurorum contingentium, vel occultorum, quæ homo aut nullo modo, aut valde difficulter cognoscere potest; ac proinde, vt satisfaciat inordinato appetitui ea præsciendi, consilium, & opem à dęmone exquirit, sicq. ipsi cultū Deo soli debitum exhibet: atq. hoc est secundū mentem D. August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 2[2]. & 23. Vide Suarez toto cap. 7. dict. lib. 2. & Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 28. num. 3.
63 Tametsi verò, vt ex eodem D. August. lib. [..] de Gen. ad litteram bene aduertūt Derlius lib. 4. disquis. magic. cap. 2. q. 12. & Lessius dict. [..] 43. dub. 5. nequeat dæmon certo cognoscere futura, quæ a libero arbitrio alterius pende[nt], potest tamen multo plura de rebus futuris, [&] occultis nosse; quam homo, idque ob vari[as ra]
64 tiones. Primo ob exactam cognitionem, [qua] penetrat causas omnes naturales, earumq[ue] vim, vt Solis, lunæ, syderum, elementorum, [plane]tarum, animalium, &c. Atq. hinc facile perci[pere] valet, quinam effectus ex quibus causis, vel absolute, vel si taliter applicentur, sint fu[turi]: hinc prædicit tempestates, naufragia, [mor]
65 tes &c. Item ob longissimam experientia[m], qua pene infinities obseruauit in causis [libe]ris, quid ex quo sequi soleat, & qualiter humana voluntas ex tali dispositione huc, vel illu[c] inducatur; vnde de futuris liberis facile con[ie]
66 cturam facit. Deinde quod ex scripturis sacris secundum S. Damasc. lib. 2. de fide c. 54. quas me[]lius quā homines regulariter intelligit, vel ex reuelationibus Angeli sancti, Deo sic permit[]tēte, aut disponente. (Quidni cū sit minister, & executor diuinæ iustitiæ punitiuæ tales reuela[]tiones accipiat?) diuersa circa res futura cog[no]
67 scere possit. Præterea quod in locis lōginqu[is] causas iā positas, vel effectus incohatos vide[t], & pos[]

& possit celeritate naturæ eos præuertere, & alibi prænuntiare: hunc prædicere solet in Aegypto incrementa. Nili ex pręcisa copia aquarũ in Aethyopia teste S. Athanasio in vi-
68 ta B. Antonii. Deniq. ob mutuum communicationem Dæmonum sibi inter se de agendis per eos; hunc sciunt quid ipsi, et alii malorum socii, Deo permittentę facturi sint; vnde poterant pręedicere euersionem familię S. Iob. & huius calamitates.

69 Expresse docet D. Thomas citat. art. 3. ab omnibus receptus tres esse species intermedias, seu tria genera, vt ipse vocat, & sub vno quoque istorum multas species eiusdẽ diuinationis infimas. Postquàm enim has in toto fere corpore illius articuli sigillatim quasi enumerando proponit, infine tandem concludit his verbis; sic ergò patet triplex genus diuinationis, quorum primum est per manifestum Dæmonum inuocationem, quod pertinet ad necromanticos, secundum autem est per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures: Tertium est dum facimus aliquid, vt nobis manifestetur aliquid, occultum, quod pertinet ad sortes, sub quolibet autem horum multa continẽtur, vt patet ex dictis: hactenus D. Thomas.

70 Et quidem in duobus vltimis, ex mente omnium Doctorum, etiam interuenit aliqua inuocatio Dæmonis saltẽ tacita, seu pactum implicitum: non est tamen differentia essentialis inter dicta tria genera diuinationis, sicut nec inter species eorum infimas, sed tantùm differunt accidentaliter, seu materialiter ob diuersitatem materiæ, vel modi, seu signi. Nam sicut veritates, seu propositiones quæcumq. fidei Catholicæ conueniunt in hac ratione essentiali testificationis, aut reuelationis Dei immediate, vel mediate; ita omnibus diuinationibus superstitiosis hæc conuenientia formalis inest, quòd auxilio, vel directione Dæmonis nitantur. Ita citati Suarez, & Lessius cum Valentia 2. 2. disp. 6. q. 12. pun. 2. Qui
71 omnes nihilominus benè notant circumstantiam hanc, quod quis habeat pactum expressũ cum dæmone, seu manifeste ipsum inuocauerit esse aperiendam in confessione; quia ex ea valde variatur inditium confessarii.

72 Sub primo genere, seu specie inter media, generali nomine vocata necromantia, vbi est pactum expressum cum Dæmone nouem collocatur species infime, prout variis modis Diabolus consulitur, vel consultus respõdet. Prima est præstigium, nempè quando vel per speciem oculis obiectam, vel per vocem auribus formatam, vel aliter alicui superstitioso se Dęmon repræsentat occulta, vel futura docẽs Secunda est Aruspicium cum Dæmon per signa in extis animalium sacrificatorum apparentia, respondet. Tertia dicta specialiter Necromãtia est quando virtute Dęmonis adhibitis sanguine, & certis carminibus videntur mortui resurgere, loqui, & docere. Quarta dicitur diuinatio per somnia, vbi instructio occultorum, vel futurorum a dæmone per somnia obtinetur. Quinta est diuinatio per Pythores, cum Dæmon per homines arreptitios sortilegium instruit, Sexta vocatur Geomantia, & fit à Dæmone per signa in corporibus terrestribus apparentia, vt in ligno, metallo, lapide &c. Septima Hydromantia vbi per signa apparentia in aqua. Octaua Aeromantia per signa in aere. Nona Pyromantia per signa in igne. De his copiose Martinus Delrius lib. 4. disquis. magic. cap. 2. tota quest. 6. 7 quo cum alii compendiosius de ipsis tractant.

73 Hæc species diuinationis, vbi reperitur expressum pactum cum Dęmone, seù inuocatio eius explicita, non solum continet semper malitiam mortalem contra Religionem, vt per se patet, sed etiam non raro est ei adiuncta infidelitas, vel hæresis, vt si quis credat Diabolum non esse miserum, nec damnatum, & scire certo futura contingentia, dependentia à li-
74 bero arbitrio, quæ solus Deus cognoscit: Itẽ si quis in prædicto pacto renunciet Christo Domino, Virgini Mariæ, baptismo, aliisque Sacramentis, & Diabolum vti Deum, vel saltem vti sanctum colat, aut adoret. ac tunc interuenit manifesta idololatria. Ita cum citato Derlio alii magis recentiores, vt Lessius lib. 2 cap. 43. dub. 5. et Torreblanca lib. 2. cap. 7. &
75 8. Qui optime aduertit tale pactum expressũ cum Dæmone posse fieri dupliciter, scilicet vel mediate per Magum nomine paciscẽtis stipulantẽ eò quod paciscẽs Dæmonis aspectũ reformidet, vel immediate cũ apparitione aliqua ipsius Dæmonis, ita ille ex mente D. Thomæ 2. 2. q. 95. art 3.

76 Altera species diuinationis cum solo pacto Dæmonis tacito, aut inuocatione eius implicita continet sub se nouem species infimas, teste D. Thoma nunc citato; quorum prima Genethlia, vbi alicuius cognitio rei ex syderũ motu vel situ inuestigatur. Secunda augurium, vbi ex hominũ sternutatione, vel animaliũ vocibus. Tertia auspicium, ubi ex arcium uolatu, aut animaliũ quorũuis motu. Quarta omen, vbi ex, hominũ vocibus præter intentionem prolatis. Quinta Onirocritia, vbi ex somniis. Sexta Physiognomia vbi ex signis totius humani corporis. Septima spatulamãtia, vbi ex spatulæ signis. Octaua Metoposcopia ubi ex fronte. Nona Chiromantia vbi ex manuũ lineis cognitio
77 alicuius rei inquiritur. Sub tertia tandẽ specie media, seu genere diuinationis cũ dicto pacto Dęmonis tacito per consideratione ẽ eius, quod ex aliqua actione humana ad hoc ordinata prouenit, duę sunt tantũ species infimæ: Prima dicitur Geomãtia quãdo ex punctorũ protractione notitia rei inuestigatur. Secunda dicitur diuinatio per sortes, vbi quis ex signis resultãtibus in plumbo liquefacto, & in aquã proiecto, aut ex cõsideratione festucæ electæ ex duabus oblatis, vel schedulæ scriptę, aut ex taxillorum proiectione, vel ex consideratione eius, quod occurrit aperienti librum, aut ex similibus cognoscere aliquid intẽdit. Ita cũ D. Thoma has, & illas omnes numero præcedenti adductas, proposito ordine, enumerat, & breuissimè explicat Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 13. Quæ explicatio nunc nobis sufficiat, ex dicẽdis infra magis innotescent, saltẽ pręcipuè ex eisdem.

79 Verùm si quæras, quid exigatur, & sufficiat
ad pactum tacitum cum Dæmone, vel ad im-
plicitam eius inuocationem in prædictis spe-
ciebus diuinationis? iuxta magis receptam
doctrinam Caietani in sum. verb. inuocatio, Vi-
ctor. relect. de magia, q. 6. num. 28. Suarez tom.
1. de Relig. lib. 2. cap. 9. Delrio lib. 4. disquis. ma
gic. cap. 2. q. 5. & aliorum. respondeo non exigi,
quod quis prius cum dæmone pactum inierit
se se immiscendi vanis, & indebitis medijs pro
inuestiganda notitia rei futuræ, vel occultæ; aut
pro obtinendo effectu alicuius rei; sed satis es-
80 se, si vtatur illis ad talem finem. Imò addit be-
ne idẽ Suar. num. 17. non excludi pactum taci-
tum, etiamsi homo explicitè dicat se nolle ini-
re pactum cum Dæmone; quia adhuc, si adhi-
beat ea media vana, & indebita, vult eorum ef-
81 fectus experiri. Tunc autem censetur medium
vanum, & indebitum, ac consequenter præsu-
mitur dari pactum tacitum, quando non est
proportio rei cognoscendæ, vel efficiendæ ad
medium, quo cognosci, aut effici procuratur,
82 vt quando vnum ex alio non infertur. Secus
vero, si sit proportio, & vnum ex alio sequa-
tur, saltem ad acquirendam notitiam coniectu-
ralem; nam si omnino certa quæratur, aut cer-
tior, quàm haberi potest, attenta natura liberi
arbitrij, & defectibilium causarum concurren-
tium, erit præsumptio de pacto tacito cum dę-
mone, Ita cum D. Thoma 2. 2. q. 95. art 5. Do-
ctores proximè citati, præcipue Delr. & San-
chez dicto cap 38 num. 10.
83 Econtra vero caret omnino præsumptione
pacti taciti, & culpa mortali vsus uani, & inde-
biti medij pro acquirenda congnitione, aut
pro effectu alicuius rei, si solius ioci, vel recrea-
tionis causa eo quis vtatur, aut ex simplicita-
te, vel ignorantia etiam vincibili, dummodo
hæc non sit affectata, vel nimis crassa, ita ijdem
84 Delrius, Sanchez, & alij. Absolute tamen lo-
quendo quicumque modi diuinationis, etiam
cum solo pacto dæmonis tacito, aut inuocatio-
ne eius implicita continent peccatum mortale
ex suo genere; quia in quouis est aliqualis prę-
sumptio de apostasia a fide, seu a Deo, & de
inito fędere cũ eius inimico, contra illud, quod
vnusquisque professus est in baptismo. Tradũt
ex mente omnium adductus Sanchez vbi sup.
Lessius lib. 2. c. 43. dub. 5. & Sousa lib. 1. Aphor.
cap. 38.

An, & qualiter prædictio ex astris illicita? & sub iurisdictione sanctæ Inquisitionis.

REGVLA CXV.

85 DVplex astrologia distinguitur, altera na-
turalis ex astrorum, maxime planetarum
vario aspectu coniectans ea, quæ naturaliter
contingunt, altera iudiciaria, ex eodem sydero-
rum aspectu prædicens futuros euentus, for-
tuitos, res etiam occultas, & contingentia ali-
86 qualiter dependentia à libero arbitrio. Prior
attento quouis iure, non est illicita, nec prohi-
bita; bene tamen posterior vti superstitiosa,
maxime ex vi iuris Ecclesiastici (exceptis
87 tribus casibus exprimendis.) Atque hac
quiuis vtens subijcitur iurisdictioni Inquisito-
rum.

88 HAc de re agunt Doctores cum D. Tho-
ma 2. 2. quęst. 95. art. 5 & ibi Caietanus,
ac reliqui exprimunt dictam duplicem astro-
logiam: nec vllus eorum dubitat; quod natura-
lis sit licita, non solum quando ex vario syde-
rum aspectu inter se, vel ex occasu, coniunctio-
ne, situ, motu, & oppositione ipsorum, de ecli-
psi, serenitate, pluuia, tempestate, niue, grandi-
ne, frigore, æstu, & de similibus, vt per se patet;
sed etiam vbi inde considerato natiuitatis pũ-
cto, de temperamentis, & inclinationibus ho-
minum astrologus naturalis prædicit. Hoc
enim vltimum nequaquam per Bullam Sixti
V. citandam prohibetur, cum ibi sola casuum
fortuitorum, & dependentium a libero arbitrio
prohibitio contineatur Ita benè Suarez tom.
1, de religione lib. 2. cap. 11. & Sanchez lib. 2.
in Decal. cap. 38. num. 28. idq. ex mente reliquo-
rum.
89 Notandum cum eisdem Suarez, & Sanch.
cum Lessio lib. 2. capit. 43. dub. 6. & alijs (
seruiet hoc ad frænandum in aliquibus nimis
curiosis hac astrologia naturali vtendi inordi-
natum appetitum) quod effectus qui per eam
prædicuntur, exceptis necessarijs, vt eclipsi,
sint valde incerti, quia cum ab alijs varijs cau-
sis pendeant, & possint istæ diuersimode im-
pediri, potissimum in prædicandis ex syderum
aspectu, considerato puncto natiuitatis, tem-
peramentis, & propensionibus hominum,
hunc fore iracundum, melancholicum, &c. incer-
titudo tanta est, vt merito istam prædictionem
Caietanus vbi supra vix coniecturam dici pos-
se. Suarez vero vix esse suspitionem affirmet.
90 Probatur efficaci ratione, quia imperfectissi-
me, & difficillime percipiuntur syderum aspe-
ctus, ex quibus hæc coniectatio deducitur, &
vix absque vllo errore annotari valet situs
astrorum tempore natiuitatis existens, vt iam
notandum volunt in illo puncto astrologi ad
prædicendos similes effectus; eo quod ob ra-
pidissimum cœli motum constellatio prius
transeat, quam ab Astrologo percipi possit, &
facies cœli, ac situs astrorum per singula mo-
menta varientur; tum quod non raro aspectus
syderum nubibus, & crassis vaporibus inter-
positis diu perturbati, & infuscati maneant;
quomodo ergo poterit astrologus perspecto
puncto natiuitatis, temperamentum infantis, &
inclinationes prædicere? & quidem ad tales
prædictiones magis videbatur perspiciendum
91 animationis instans in vtero materno. Quare
si ea prædicat astrologus maiori certitudine,
quàm haberi valet, tametsi non committet
peccatum superstitionis, erit tamen reus pecca-
to temeritatis, & imprudentiæ, vel mendacij,
saltem veniali; imo, & mortali, si prædictio in
alterius detrimentum graue cedat. Ita Suarez,
& Sanchez citati ex communi omnium.

92 Quoad

91 Qoad Astrologiam vero iudiciariam absolutè affirmandum tanquam superstitiosam ex pacto saltem tacito cum Dæmone esse quouis iure prohibitam, & vsum eius peccaminosum mortaliter; si astrologus teneat posse certo cognosci, & prædici ex astris casus fortuitos,& futura contingentia,quæ à libero arbitrio pendent. Tradunt ex mente Diui Thomæ dict. art.5.& aliorum multi ex recentioribus, præcipuè Pereira de Magia toto lib.3. peculiariter c. 2.& 3. ac Lessius vbi supra, ostenduntque multis rationibus, & testimonijs Scripturæ sacræ, & Sanctorum Patrum,in primis S. Augustini lib. 2.de Genes. ad literam cap.17. & lib.2. de do-
93 ctrina Christi cap 21.22.23.& alibi sæpè. Ratio eorum potissima, & euidens est; quia cognitio hæc, & prædictio, vel fundatur in astris, tanquam in causis actuum liberorum, & hoc dici non potest: nam cum sydera naturaliter influant, & inuariabiliter, sequeretur, quòd ipsę determinarent nostras voluntates, necessitatemque eis imponerent,& sic tolleretur omnino libertas hominis, ac omnia fato euenirent, vti euenire fuit inter Gentiles communiter receptum, quæ vt valde absurda & falsa non ad-
94 mittenda. Aut item fundatur in astris tanquã in signis, & neque hoc modo habet locum,vanumque est tale fundamentum; nam non sunt signa naturalia, cùm nequaquam influant in effectus actuum liberorum; ergo erunt signa ex alicuius institutione per modum disciplinæ, institutæ non quidem à Deo per se, aut per bonos Angelos;ergo à Dæmone cuiusuis mendacijpatre, qui cum semper intendat hominem decipere, iam clarè apparet non fore certam, imonec esse posse prædictionem futurorum à libero arbitrio pendentium, immediatè, vel mediate ab eo acceptam.

95 Ex viratiouis propositæ, seu discursus facti clarè constat talē astrologiam iudiciariam esse vanam,& prohibitã iure naturali; constat etiã vanitas eius ex Scriptura sacra Deut.cap.18.ibi, Gentes istę,quarum possidebitis terrã,augures, & diuinos habent; tu autē à Domino Deo tuo institutus es:vbi per augures intelligũtur astrologi; sicut Isai.c.47.stent,& salutent te augures cæli iuxta lectionē 70. Astrologi cæli;& Hierem. 10.A signis cæli nolite metuere quę timent gē-
96 tes,quia leges populorũ vanæ sunt. Prohibitio etiam d.astrologię iure canonico,& ciuili patet ex c.igitur 26.q.3.c.non liceat 26.q.5.c.sed & illud 26.q.2.l.Nemo & l. etsi, C.de maleficis,&
97 mathematicis. Videndus Sanch.adductus,qui ibidem n.31.vniuersaliter cum d.certitudine astrologiam iudiciariam egregiè reprobat circa actiones supernaturales hominis, vt vocationem ad statum Religionis, ingresum in ipsam,&c. ob eam rationem,quia sic dignitati di-
98 uinæ gratiæ valde derogatur. Item sigillatim n.36.illam reprobat circa res occultas,siue præsentes,siue præteritas, vt thesaurum absconditum,furtum occultum,virginitatē &c.eò quòd similium inuestigatio sit superstitiosa, & ideo prohibita; cum nequeant vllo modo per astra cognosci, nisi interuenienre auxilio Dæmonis: facit pro hoc cap.2. de sortilegijs, & docent Nauarrus, Sotus, & alij ab eodem Sanchez citati.

99 Notandum cum Delr. lib 4.disq.magic.cap. 3. quæst.1. dictam astrologiam iudiciariam complete tripartiri. Prima pars vocatur reuolutionum, prædicens totius anni bello, paceque vicissitudines, animalium morbos aeris sa-
100 lubritatem, annonas, &c. Secunda vocatur magisterij natiuitatum, prædicens in particulari omnia homini toto vitæ tempore euentura vt ducturum vxorem, vel secùs diuitem, aut pauperem, pulchram, vel deformem promouendum ad certam dignitatem, futurum tali Principi gratum,certo vulnere,aut morbo,certo tempore, mense, vel die, aut certo loco pe-
101 riturum, &c. Tertia dicitur electionum prædicens, & instruens quid in singulis rebus consultò, & vtiliter faciendum, aut omittendum, obseruatis circumstantijs loci, temporis, personarum,&c. Vide dictum Delrium, qui eruditè, vt solet, hæc pertractat.

102 Sed quid si Astrologus iudiciarius non certò, sed tantum coniecturaliter aliqua ex illis contingentibus prædicat, erit ne illicita,& aliquo iure prohibita eius prædictio? In partem negantem videtur inclinare D.Thomas sub finem dict. artic.5. & eam tenent non pauci, vt Abbas cap.2. de sortilegijs num.7.Manuel Rodriquez to.1. Sum. & Valent.2.2. disp.6.quæst. 12.punct.3. ob eam rationem, quòd coniecturalis notitia pendentium ex libero arbitrio possit aliqualiter ex syderibus haberi absque auxilio dęmonis,aut pacto etiam tacito cum eo;er-
103 go non erit illicita, nec prohibita huiusmodi prædictio eorum. Approbat & meritò totum hoc Sanchez citatus, num.33. cum hac limitatione; dummodo talium contingentium liberorum prædictio sit cum sola tenuissima coniectura, & non absolutè cum maiori probabilitate, quàm per astra sciri possunt: nam si adeo probabiliter prædicantur, aut ea intentione inuestigentur, iam sic prędicens, & inuestigans censetur tacitè vti disciplina Dæmonis,aut velle circa illa ab eo edoceri: quod etiam tenent Valentia, & Delr citati, quibus adhæreo.

104 Verùm doctrina tradita numero pręcedenti solum admittenda est attento iure antiquo; nam per constitutionem Sixti V. incip. Cæli, & terræ, quiuis vsus astrologiæ iudiciariæ, reprobatur, & prohibetur, & quicumque eam exercent, aut addiscunt condignis pœnis puniendi iuurisdictioni Inquisitorum subijciuntur; ex qua maioris claritatis gratia,visum est eam clausulam hic apponere, quæ id expressè continet, cum tribus casibus exceptis, de quibus in Regula.

105 Hac perpetuò,inquit,valitura constitutione statuimus, & mandamus,vt tam contra Astrologos Mathematicos, & alios quoscumque d. iudiciariæ astrologię artem (præterquam circa agricultram, nauigationem,& rem medicam) imposterum exercētes,aut facientes iudicia, & natiuitates hominũ,quibus de futuris cõtingentibus,successibus,fortuitisq; casibus,aut actionibus ex humana volũtate pendētibus aliqud euenturũ,affirmare au dent,etiãsi id se nõ certo affir-

affirmare afferant, aut protestentur; quàm contra alios vtriusque sexus, qui supradictas damnatas vanas, fallaces, & perniciosas diuinandi artes, siue scientias exercent, profitentur, & docent; aut discunt, quiue huiusmodi illicitas diuinationes, sortilegia, superstitiones, veneficia, incantationes, ac premissa detestanda scelera, & delicta, vt prefertur, faciunt, aut in eis se quolibet modo intromittunt, cuiuscunque dignitatis, gradus, & conditionis existant, tam Episcopi, & Prelati, superiores ac alij Ordinarij locorum, quam Inquisitores, hæretice prauitatis, vbiquè gentium deputati, etiamsi in plerisque ex his casibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant, atque in eos seuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbirrio animaduertant.

106 Hactenus clausula Sixtinæ Constitutionis, quam nouissimè Vrbanus Papa VIII. fœlicissimæ record. confirmauit alia Constitutione, incip. Inscrutabilis &c. cum adiunctione peculiari cōtra eos, qui de statu Reipublicę Christianę, vel sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pōtificis, aut eius Consanguineorum iudicia facere, necnon contra eos, qui illos desuper consulere presumpserint &c. in clausula autem illa, vt cla-
107 re ex ipsa apparet, preter dictas diuinationes ex astris, multa contra Sortilegos, magicos, incantatores &c. prohibentur, & Iurisdictioni Inquisitorum subijciuntur, quod hic obseruatum sit pro diuersis iam traditis, & in decursu huius capitis tradendis.

108 Excitari potest dubium an dispositio istarū constitutionum intelligatur tantum pro foro externo? Videtur in partem affirmatiuam inclinare Suarez vbi supra cap. 11. num. 30. perpendens bullam Sixti V. quanquam addit in similibus predictionibus non deesse culpam grauē, saltem ratione scandali, & speciei mali, cum presumptione iuris & de iure: sed bene, vt verū
109 defendit Sanchez ibidem num. 34. in vtroq. foro interdici astrologiam iudiciariam per illā Sixti V. constitutionē, & consequēter per hanc Vrbani VIII. ob eam rationem, quia talis modus prenuntiandi futura ex libero arbitrio pēdentia est reipub. valde perniciosus, & expositus multis superstitionum periculis, ergo etiā in foro conscientię erit prohibitus.

Qualiter diuinatio ex somnijs sit licita, vel illicita, aut superstiriosa, iurisdictioniq. Sanctæ Inquisitionis subiecta?

REGVLA CXVI.

110 Licitum est somnia obseruare, & effectus eorum predicere, ac inde circa sanitatem operationesq. corporis; & animæ directionem sumere, si illa iudicētur prouenire ex causa aliqua naturali: item licitum, si constet, vel probabile sit, quod fuerint immissa à Deo; secùs, si non sit probabile, nam eo casu presu-
111 mitur, quod proueniant à Demone. Vn[de] tunc predictio, & directio ex eis saltem c[irca] effectus pendentes à libero arbitrio, erit sup[er]stitiosa, & peccatum mortale, puniendum [à] Inquisitoribus fidei.

112 Duplex communiter assignatur causa [som]niorum altera naturalis seù necessar[ia] & altera libera; illa subdiuiditur in multipli[ces] ex quibus somnia prouenire possunt, nempe diuersis affectibus humani corporis, & anim[æ] ex varia constitutione Celi, vel aeris, & ex [cu]ris, vel cogitationibus prauijs. ex quacum[que] autem huiusmodi causarum naturalium som[ni]um proueniat, potest licitè sumi inde coniect[u]ra de euētibus, qui à tali causa dimanare sole[nt] vt de corporis temperamento, de humoru[m] abundantia, de morbis, de mutationibus a[eris] &c. Ratio est, quia somnia naturaliter indica[nt] humorem predominantem; vnde si quis so[m]niet incēdia, indicium est flaua bili eum infest[a]ri, atra vero bili, si profundas tenebras, fune[ra] caliginem, vel alia tristia; si vero represent[en]tur in somnijs pluuiæ, niues, grandines, glac[ies] &c. hęc in eo abundantiam pituitę, aut fri[gidi] phlegmatis indicant; si somniet se volare, velocissime currere, signum est leuis, aut te[mpe]ratæ complexionis, atq. sic de similibus.

113 Hinc medici somnia habita ab infirmis p[e]tunt; ac proinde Principes illorum de hac [re] tractatus ediderunt, nimirum Hippocrates de somnijs, & Galenus, presagijs somniorum. [Ita] tradunt Nauarrus in sum cap. 11. n. 33. Pere[r.] lib. 1. in Daniel q. 6. & de Magia lib. 2. q. 7. [Sua]rez tom. 1. de Religione, lib. 2 cap. 13. & Le[ss.] lib. 2. cap. 43. dub. 8.

114 Notat benè hic duo ipse Lessius, pri[mo] sæpius, & certius ex somnijs sumi coniectu[ram] de affectibus corporis, quàm de mutation[ibus] Cœli, eò quod ex corporis dispositione orig[inem] ducant, exemplificat diuersimode, vt in[] quem Galenus loco citato coniecit pleth[ora] sanguinis laborare; quia somniarat se in cis[ter]na plena sanguine constitutum, & cum eod[em] Galeno lib. 3. de locis malè affectis cap. 4. [] somniante, quod aliquid ponderosum super[] irruere, & opprimi eo videretur, & addit sign[um] esse tale somnium cruditatum, seu crassi, & me[]lancholici sanguinis irruentis in cerebrum cu[m] periculo epilepsiæ, si crebrò eueniat: secundu[m]
115 notatum à Lessio, quoties somnum prou[e]nit ex preuijs cogitationibus, vel curis, nihil d[e] futuris, vt plurimum significare, sed tantùm e[] indicium suæ causæ, quod experientia patet.

116 Pari modo licitum est obseruare somn[ia] indicantia prauam aliquam animis no[]stris affectionem, vt crebræ infestationis, co[n]turbationis, perterrefactionis &c. quibusq[ue] causis proueniat aduertere ad ineundam [ra]tionem propellendi à nobis huiusmodi mole[]stiam. Preter citatos, tradunt vt certum Del[]rius lib 4. disp. magic. c. 3. q. 6. cōcl. 3 & Sanche[z] in Decal. lib. 2. cap. 38. num 50. Probatur ind[e] quia apud Cassianum collat. 22. legitur vetere[s] illos Monachorum magistros in perquirend[]
aliquo

aliquorum somniorum causis diligenter esse versatos, sic Sanchez totidem ferè verbis.

117 Altera causa somniorum libera potest esse, vel Deus opt. Max. vel eius, & noster inimicus Cacodemon: immittit Deus somnia, aut immediate per se ipsum, aut mediate per Angelos bonos. si certum sit, vel probabile saltem ab his fuisse immissa nonsolum semper est licitum, sed quandoq. etiam obligatorium ex eis capere futurorum etiam dependentium à libero arbitrio prenotionem, aut quæ tunc somnianti repręsentantur, vel iniunguntur, executioni mandare; sic per somnium iniunctum Sancto Ioseph de virgine Beatissima non deserenda, de fuga in Ægyptum, de reditu ex eo, Matt. 1. & 2. sic iniunctum Magis per somnium de non rede undo ad Herodem, atq. de similibus passim in

118 scriptura sacra. Nam Deus sæpissimè olim in somnijs loquebatur iuxta illud num. 12. si fuerit, inquit, Propheta inter vos, per somnium loquar ad eum. Ista pręter Pereiram, Delrium & Sanchez paulo ante citatos, Lessius vbi supra d. dubio octauo, hęc egregiè pertractat.

119 Declarat autem ipse Lessius duplicem modum locutionis Dei cum Prophetis, vel alijs dormientibus: Primus magis ordinarius fit per apprehensionem verborum, ita vt phantasia, vel sensus communis veluti audiendo ab aliquo loquente ipsa verba concipiat simulq. mens red datur certa de veritate somnij, aut ex illustratione interna, aut ex occulto quodam gustu, & experimento, patet exemplis iam adductis. Se-

120 cundus modus non ita ordinarius recipiendi somnium à Deo fit per apprehensionem aliquarum rerum similitudinem, vel saltem nonnullam analogiam cum alijs euenturis habentium. Talia fuerunt somnia Ioseph. Genes. 37. Pincernæ, & pistoris Gen. 40. Pharaonis de 7. bobus & 7. spicis, Gen. 41. Nabuchodonosor de mystica illa statua, Daniel. 2. similiter somnium Theodosij, qui adhuc priuatus somniauit sibi coronam imperij per Episcopum Meletium imponi, vti postea re vera ei fuit imposita. cum tamen de hoc prius nihil cogitasset, nec Episcopum illum nouisset, teste Theodoreto lib. 5.

121 Hist. cap. 6. & 7. Aliquando vterque modus somniandi simul in eodem casu coniungitur, vt in somnio Iacob Genes. 31. de ouibus vbi etiam Angelus circa idem locutus est ei dormienti; notat idem Lessius ibidem.

122 Quando verò nec certum, nec probabile apparet somnia prouenire a Deo, nefas est mortale & superstitiosum Iurisdictioniq. sanctę Inquisitionis subiectum ex eis prænotionem aliquam de euentis liberis sumere. inde ostenditur, quia cum nequeant somnia ex sua natura, quatenus dimanant ex causis naturalibus, huiusmodi futura pendentia à libero arbitrio indicare, vt patet ex dictis; nec tunc, vt supponimus, indicentur à Deo, fiat indicatio eorum per directionem Dęmonis, immittentis talia somnia, ergo qui ex ipsis diuinat siue vere, siue falsò, se subijcit, vt discipulum Dęmoni, eique tribuit liberorum pręnotionem contra fidem diuinam.

123 Vnde prędictio ex somnijs, vt ex suo genere peccatum mortale prohibetur Leuit. 21. non augurabimini, neq. obseruabitis sõnia, & Eccel. 34. vana spes, & mendacium viro insensato, & somnia extollunt imprudentes &c. ac infra, Multos errare fecerunt somnia, & exciderunt, sperantes in illis, prohibetur etiam iure canonico, cap non obseruetis 26. q. 7 Affert exemplum D. Gregor lib. 4. Dialog. cap. 49 de quodam qui cũ somnia valdè obseruaret, & ei longæ vitę spatia fuissent in somnio promissa, dum totus est in colligendis multis pecunijs, moritur repentè omnibus illis omissis. Docet D. Tho. 2. 2. q. 95. art. 6. Caiet. ibi. Valentia disput. 6 q. 12. punct. 3. & Less. cit.

124 Addit optimè idem Lessius eum, qui directè per somnia intendit, & quęrit diuinationes certo modo, & ritu se componendo ad somnium, multo superstitiosius, & grauius peccare; quia hoc expressè est inuocare Dęmonem. Narrat Rhodiginius lib. 27. antiquarũ lect. cap. 14: quod olim Ethinici pręmisso ieiunio in pellibus cæsorum animalium dormire solerent, vt per somnium responsa acciperent; quo haud dubiè respicit illud Isa. cap. 65. Qui habitant in sepulcris, & delubris idolorum: eo scilicet finè, iuxta obseruationem D. Hieronymi ibi, vt dæmonis responsa acciperent. vide circa hoc Franciscum Torreblanca lib. 1 cap. 25. à num. 38. quanquam

125 ipse Lessius post Caietanum citatum benè limitat, nempè obseruationem somniorum ex triplici capite posse esse tantùm veniale, primo, ob simplicitatem hominis, qui facile existimat, somnia esse à Deo, 2. ob tenuem credulitatem ipsis adhibitam, 3. ob timorem ex somnijs conceptum alicuius aduersitatis, vel ob spem ex eisdem excitatam, alicuius prosperitatis; hincq. homo putans absq. fundamento tamen, illa forte à Deo esse immissa aliquid facit, vel omittit: dummodo hoc non sit contra pręceptum aliquod naturale, vel positiuum, cuius violatio iam esset mortale, vt per se patet.

126 Sed quid vbi est dubium, an somnia proueniant à Deo, vel potius à Dęmone? Tunc ad doctum, & prudentem confessarium pręcipuè spectat ex signis id discernere, vt possit dirigere pœnitentes, tum in scientijs speculatiuis, si quid ad ipsas spectans in somnijs repręsentetur; tum in practicis, vt in flagitijs fugiendis, & bonis operibus sectandis. Ita Sanchez dicto cap. 38. num. 51. & 52. ex mente omnium.

127 Verum quęnam signa pro discernendis somnijs à Deo ne, vel à Diabolo immissis? Multa sunt, & eadem prorsus, quibus diuinæ reuelationes à falsis discernuntur: de eis copiosè Pereira citatus, & Delrius lib. 4. disquis. Mag. c. 5. q. 3 per quinque sect. duobus nunc contenti simus, traditis ab ipso Sanchez cum Valentia vbi supra. Primum est, considerare ad quid somnium inducat num si ad aliquid malum, aut in discretum, sine dubio prouenit à Dæmone, si vero ad bonum, & conueniens, absq. temeritate existimabit quis immissum fuisse à Deo; existimatio tamen hęc humiliter, & non sine timore haberi debet: cum Dęmon se in Angelum lucis transfigurare soleat, vt ad vana, & falsa postmodum impellat. Secundum est si animus post

128 somnium maneat confusus, & ad opera bona

tardior

tardior, aut cum aliqua elatione, censetur esse
à Dæmone; è contra à Deo, si ad illa prompti-
or, & alacrior; ac humilis reperiatur. Duran-
129 te tamen adhuc dubio, an sit à Deo, vel à
Dæmone magis tutum est vt à Dæmone immis-
sum contemni, docent ijdem Sanchez & Delri-
us, ob eam rationem, quia Deus somnium im-
mittens solet reddere hominem certum à quo
130 immittatur. Quamquam bene tandem resol-
uunt Suarez tom.1.de Religione lib.2. cap.13.
num.24.& Lessius dicto cap.8.num.52.satis esse
iudicium probabile arbitrio prudentis, vt quis
credat somnium esse à Deo.

Sortium vsus maximè ad diuinandum, licitus ne? an illicitus, & sub Iurisdictione sancta Inquisitionis.

REGVLA CXVII.

131 LIcitum est sēper vti sortibus diuisorijs,
nisi in vno casu, ex vi iuris Canonici ex
cepto, & nisi talis vsus ex aliqua circumstantia
vitietur: e contra illicitæ sunt quęcumq. sortes
consultoriæ; excepto vbi ex inspiratione diui-
na aut vbi ex defectu humani consilij reueren-
132 ter applicantur. Vsus tamen sortium diui-
natoriarum perpetuo est illicitus, & tanquam
superstitiosus quouis iure prohibetur, iurisdi-
ctioniq. Inquisitorum fidei absque controuersia
subijcitur.

---

133 PRo faciliori declaratione cuiusq. partis
huius Regulæ explicandū prius breuissi-
mè, quæ dicantur sortes, quotuplex earum ge-
nus distinguatur, & quid sortilegium significet:
Cum D Thoma 2.2.n.95. art 8. asserunt benè
Sanchez dicto cap 28 num.56.& Lessius vbi su-
pra dub.9 quod sortes propriè dicentur, quan-
do aliquid agitur eo fine, vt ipsius euentu consi
derato, fiat, aliquid, vel innotescat occultum,
v.g. quid cuique competere debeat. Tria au-
134 tem sunt genera sortium, vt ex omnium
mente obseruāt ijdem Sanchez & Lessius, quæ-
dam vocantur diuisoriæ, quibus sortientes per-
cipiunt, quid vnicuique in electionibus, & di-
uisionibus tribuendum: Alię sunt consultoriæ,
quia ipsis diuina voluntas exploratur, vt inno-
tescat, quid in aliquo negotio sit exequendum,
vel omittendum. Aliæ denique sunt diuinatorię
per quas de rebus occultis, vel de futuris euen
135 tis inquiritur: Ab istarum autem sortium
vsu dicitur sortilegium: cuius nominis significa-
tio adeò late patet, vt non solum quascumque
diuinationes superstitiosas complectatur, teste
Torreblanca lib.1.cap.22. ex Paulo Grillan. &
alijs ab ipso citatis; sed etiam ad omnem ope-
rationem magicam, dęmoniacam se extendat
vt infra ex vsu doctorum videbimus. sed hoc lo-
co agimus de sortilegio strictè sumpto, pro vt
significat diuinationem, sortè tantum celebra-
tam: his sic explicatis.

136 IAm quod sortes diuisoriæ nunquam fu
illicitæ, nec prohibitæ stando in quouis iu
re, nisi in casu peculiari per ius canonicum ve
tico, est expressa Doctrina D. Thomæ dict. art
Caietani ibi Archid. 26. q.2.cap.1.num.1. D
Antonini 2.part.tit.12.c.1.§.9. Angel. verb. so
Delrij lib.2.cap.12.numer.15. & aliorum com
muniter. Ratio est quia sortes istæ nihil aliud
continent, quam certum contractum huma-
num, quo ex consensu communi contrahenti-
um, ius habentium ad rem aliquam, hæc in-
ter ipsos sorte diuiditur, vel vt sit illius, super
quem sors ceciderit; qui contractus dicitur for-
tunæ, & in eo æqualis est contrahentium con-
ditio; ergo nihil mali, aut superstitionis habe-
bit, & consequenter sortes diuisoriæ ex se, & ex
vi iuris naturalis fundati in hac forti ratione,
137 non erunt illicitæ. Idem ex vi Iuris Cano-
nici patet dict.26. q.2.cap.1. ibi sors nō aliquid
mali est, quæ verba desumpta sunt ex D. Augu-
138 stino concion.2. in Psal 30 ex vi etiam iuris ci
uilis l. si cum ambo. ff. de Iudicijs, l. si duobus. c.
communia, de legatis, vbi approbantur istæ
sortes multis in casibus, vt ad dirimēdas cōtro
uersias inter hęredes, & legatarios &c. Pręcipue
tamē in electionibus ad officia secularia, sunt
valde in vsu. vide Sanchez lib.2. in Decal. c
38. à num.59. vsque ad 63. exprimentem per
lationes, multos alios casus licitos istarū sorti
139 Quanquam idem Sanchez statim à num.
64 indicat cum Suarez citato, & cum alijs Do-
ctoribus, qualiter ex varijs capitibus ratione
alicuius circūstātiæ sortes diuisoriæ vitiari pos
sint. Primo ratione falsæ existimationis vel ma
læ intentionis, vt si quis à syderum influxu ex
pectaret euenturam sibi feliciter sortem; qu
cum sydera in hoc nihil influāt, erit supersti
sa talis expectatio, & quidem non sine pecca
mortali, vt ait Delrius vbi supra; si expecte
140 illud certo à syderibus eucnturum. Secun
do possunt vitiari si inuocato Dæmone, vel pr
cedente eius promissione, vel prædictione, a
saltem expectato eius auxilio, quo manus c
trahentis moueatur, sortes mittantur; tunc
eis contineri sceleratissimam superstitionē a
Inquisitoribus puniendam ex vi Bullæ Sixti V.
141 supracitatæ, per se clare patet. Tertiò erunt
vitiosę mortaliter dictę sortes, si inter dignos,
& indignos fuerint missæ, quod ex se constat;
nam erit contra iustitiam proximi, & aliquan-
do contra bonum commune, si sors indigno
contigerit. Pari modo violatur iustitia commu-
tatiua, si res super quam sors mittitur, non sit
sortientium; & fiat absque Domini consensu;
vel si missio sortium fiat inter eos, qui non ha-
bent par ius ad rem illam; aut si excludatur
aliquis habens par. Ita Suarez dict. cap.14. n.16.
142 Denique est vitium irreuerentię, seu irreligio-
sitatis in sortibus diuisorijs; si in istis mitten-
dis quis vtatur libris Euangeliorum, aut rebus
sacris pro officijs sæcularibus, aut negotijs hu-
manis. Tradit Delrius dict. cap.4. quest.1. ad-
dens bene non fore mortale, nisi magna irre-
uerentia in eis reperiatur.
143 Dixi in Regula, nisi in casu peculiari ex vi
iuris Canonici vetito, nempe in quibuscumque
electio-

electionibus Ecclesiasticis; quia cap. Ecclesia
vestra, versus finem, extrà de sortilegiis, sic
habet, *Sortis vsum in electionibus perpetua*
prohibitione damnantes: Et intelligitur tantũ
in Ecclesiasticis, de quibus ibi erat sermo, vt
ex sententia omnium exponunt Suarez, & Sã
144 chez adducti. Item intelligitur prohibitio
de electionibus per sortes factis, siue ad offi-
cia Ecclesiastica, siue ad beneficia, aut digni-
tates, quia textus indistinctè loquitur, & siue
de ipsis eligendis immediate, siue mediate de
electionariis, seù compromissariis, nam in
dicto Cap. Ecclesia vestra, similis electio cu-
iusdam Episcopi per cõpromissarios sortibus
electos executa, à Papa reprobatur, licet po-
stea ab ipso authoritate Pontificia confirme-
tur. Reperies prædicta apud eosdem Suarez,
& Sanchez, discutientes egregiè omnia spectã
tia ad sortes diuisorias.
145 Circa sortes consultorias quid? Vti certũ
ab omnibus traditur præcipue à Sanchez vbi
supra num. 85. & Lessio dict. cap. 43. dub. 9.
ex doctrina D. Thomæ dict. art. 8. quod regu-
lariter sint illicitæ, & sub anathemate prohibi-
tæ, cap. sortes 26. quæst. 5. desumpto ex D.
Augustino epist. 119. cap. 20. Patet inde, quia
est manifeste tentare Deum, si quis velit absq.
necessitate, vt voluntatem suam Deus pecu-
liari modo ipsi patefaciat, teste ibidem D. Tho
ma: Tum quia, cum Deus non promiserit se
has sortes temperaturum, non solum vanum
erit existimare hanc esse ipsius Dei voluntatẽ
per eas indicatam; sed etiam aderit tunc peri-
culum, ne homo decipiatur à Dæmone; qui
facile se immiscere solet ad quemcumq. deci-
piendum.
146 Nihilominus possunt aliquando esse licitæ
istę sortes ob necessitatem aliquam spiritua-
lem, vel etiam temporalem personæ, aut re-
rum, pro magno damno vitando; vbi huma-
num consilium non suppetit; dummodo mittan
tur ab homine cum debita ad Deum reueren-
tia, præmissa oratione, & cum bona spe fore,
vt ab ipso Deo singulari prouidentia moderẽ-
tur iuxta illud Prouerb. 16. sortes mittuutur
147 in sinum; sed à Deo temperantur. Item dum
modo non sit periculum iniustitiæ aut alterius
mali ex vsu ipsarum; ita cum D. Thoma dict.
art. 8. Syluest. verb. superstitio, Armil. ver-
bo, sors, Azor tom. 1. institut. moral. lib. 9.
cap. 21. Suarez vbi supra, & Lessius dict. dub.
148 8. Qui bene addit esse magis licitum, & se-
curum à periculo tentandi Deum vsum istarũ
sortium, si ex peculiari inspiratione diuina
mittantur; vti factum in electione Saulis, &
in illo casu, Iosu. 7. quando indicio sortium
repertus est Achar, qui de anathemate aliquid
furatus fuerat, & sic in similibus expressis in
Scriptura Sacra.
149 Tandem quòd sortes diuinatoriæ quęcum-
que sint illicitæ, & superstitiosæ docent om-
nes cum D. Thoma 2. 2. q. 95. art. 8. Ratio id
conuincit; quia cum sint medium improportio
natum, & vanum ad rem, ex libero arbitrio
pendentem, cognoscendam, apparet clarè ad
misceri in eis tacitam Dæmonis inuocatio-
nem. Propterea fuerunt prohibitæ antiquo iu-
re, cap. si quis Episcopus, cum sequenti. 26
q. 5. quæ prohibitio post confirmata fuit motu
proprio Sixti V. incip. Cœli, & terræ, vbi sub
iicitur vsus istarum sortium meritæ punitio-
ni Inquisitorum Fidei.
150 Notandum cum Sanchez ibidem num. 89
& cum Suarez eodem cap. 12. num. 29. sortes
diuinatorias posse esse, vel speculatiuas, vel
practicas; illæ ad solam cognitionem alicuius
rei occultæ diriguntur, vt ad diuinandum, quis
sit victoria potiturus, quis ad Cathedrã, vel
dignitatem promouendus: & in his sola mali-
151 tia superstitionis reperitur. Practicæ verò
ordinantur ad aliquid agendum, vt ad cogno-
scendum delinquentem occultum, & eum pu-
niendum &c. & sub hac ratione iam spectant
ad quartam speciem superstitionis, vt paulo
post videbimus: atq. in istis practicis vltra
malitiam superstitionis, continetur alia iniu-
stitiæ infamationis proximi, & iniustæ puni-
tionis, absque probatione delicti, nec seruato
iuris ordine.

Quousq. ex motu, vocibus, partibus, lineis, etc.
hominis, aut animalium est diuinatio licita,
vel illicita, atq. Inquisitoribus fidei
subiecta.

REGVLA CXVIII.

152 PRædici licitè possunt varii effectus ex
hominis, vel animalium motu, vocibus,
partibus, lineis manuum etc. tanquam ex si-
gnis, vel causis eorum naturalibus: dummo-
do hæc prædictio non plus se extendat, nec
cum maiori certitudine, aut coniectura, quàm
per talia signa, vel causas huiusmodi haberi
153 valet. Diuinatio autem circa actus quosuis
dependentes à libero arbitrio, maximè per ho
minis partes, & manuum eius lineas seu per
physionomiam, & chiromantiam prorsus est
illicita, & omni iure damnata, contentaq. sub
iurisdictione Inquisitorum.

---

154 BReuitatis gratia tam multas species di-
uinationis in hac Regula coniungi-
mus, sicuti coniungit, & discutit simul nonnul-
las ex eis D. Thomas 2. 2. q. 95. art. 7. Vbi
expressè docet posse licitè, & absq. vlla super-
stitione prænunciari ex certis auium, piscium,
& aliorum animalium motibus, & cantibus,
volatibus &c. aliqua futura euenientia, vt plu-
uiam, tempestatem, serenitatem &c. Constat
ex ipsa experientia; & ratio est, quia re vera
sunt eorum signa, vel causæ. Adherent omnes
huic doctrinæ D. Thomæ, præcipue Caietanus
155 ibi, & Valentia disp. 6. q. 12. punc. 3. Qui
benè addũt ex eisdem animalium signis posse
aliqua ad homines spectantia probabiliter
prædici, ob eam rationem, quia vna, eademq.
cęlestis causa, vel Constellatio excitat anima-
lia,

lia, & inducit homines ad aliquem effectum, & ad rixam, & iram; quos effectus vocibus, mugitibus, & garritibus animalia exprimunt; ergò ex ipsis possunt rixæ inter homines probabiliter coniectari.

156 Verùm placet limitatio ab eodem Valentia adhibita, nimirum hanc coniecturam esse tenuissimam; Eo quod tales effectus nequaquã necessario ab ea communi causa procedant.

157 Placet etiã quod ipse Valentia ibidẽ adiungit, quòd sit multo debilior coniectura ex motibus humani corporis, quàm ex aliorum animantium sumpta; probat efficaciter, quia sæpe illi non ab impressione cælesti; sed à libera voluntate procedunt, item quia cum cetera animalia sint phãtasia quietiori prædicta clariora cælestium impressionum signa exhibent.

158 Nihilominus secundum eundem D. Thomã dict art.7. à Caietano ibi, & à cæteris receptum, censetur superstitiosa diuinatio cum præsumptione de pacto tacito, vel implicita inuocatione Dæmonis si prædicat ex dictis signis
159 animalium, quis plusquam ipsa indicant. Idẽ à fortiori affirmandum de prædictione circa illa spectantia ad homines, si aliquid coniectetur certius; quam signa animalium, vel humani corporis significare possint. Est etiam su-
160 perstitioni, & vanitati semper coniunctum, si ex vocibus significantibus hominis, vel ex quibusdam ipsi fortuito contingentibus, quis coniectet aliquid fœliciter, aut infeliciter euenturum, vt ex sternutatione, ex verbis prolatis, vel auditis, ex raptione corrigiæ calcei, ex occursu funeris, vel peculiarium animalium, & ex
161 alijs huiusmodi. Patet inde, quia cum hæc fortuito accidant, nihil ex eis boni, vel mali cõiectari potest. Ex vocibus item humanis; quia cum istæ non ex cœli constellatione, sed ex ratione proueniant, ad placitumque significent, nequit capi coniectura aliqua effectum contingentium; ergo si capiatur, erit superstitiosa. Ita Valentia citatus, & Azor tom.1. inst. moral. lib.9 cap.22.q.vnica.

162 Quamquam quoad voces humanas doctrina est vera D.Thomæ d.art.7.& vt talis approbata ibi a Caietano, atque a reliquis licitum esse absque periculo ominis superstitiosi ex voce aliqua humana præter intentionem prolata expectare quandoque notitiam a Deo ad
163 aliquid faciendum. Obseruat tamen bene idẽ Caietanus quod oporteat diuinum percipere lumen, vel perceptum, & non ex sola facili credulitate propria ad opus excitari.

164 Denique tametsi negari nequeat esse licitum vsum physiognomiæ, & chiromantiæ, vti partium philosophiæ naturalis, quatenus per illam ex dispositione corporis humani, ac membrorum habitudine, & proportione; atq. quatenus per hanc ex lineis manuum probabiliter coniectantur animi affectus, ingenium, corporis temperies, bona, aut mala valetudo, &c, eo quod per eas probabilis tantum coniectura haberi possit, & non certa notitia. Est tamẽ
165 prorsus illicitus, & vti valde superstitiosus, omni iure prohibitus vsus ipsarum vti partium astrologiæ facultatis, si ad prædicendu[m] vel coniectandum de his, quæ pendent ex vo luntaria cuiusq. electione, vel ex libera Dei cõ cessione, se extendat; vt de statu vitæ, de nup tiis, de honoribus, vel dignitatibus, de opi bus, ac reliquis fortunæ bonis, aut malis, de donis diuinis, & gratuitis &c. Probatur effi
166 caciter, quia cum talia dependentia à libero arbitrio, vel à voluntaria electione, aut con cessione, non possint. Ex illis percipi, præ sumitur cum magno fundamento, quòd percipiantur auxilio Dæmonis ex vi pacti saltem taciti cum eo, vel inuocationis implicitæ ipsius propterea tales artes physionomiæ, & chiromantiæ damnantur, & prohibentur, subijciunturq. iurisdictioni Inquisitorum per constitutionem Sixti V. Cæli, & terræ &c. damnantur etiam per l.Regiam 2.tit.23.part.7. Ita docent Nauarrus in sum cap.11.num.31. Azor.tom.1. instit.moral.lib.9.cap.16.fine, Simanchas de Cath.instit.tit.21.num.18. Delrius lib.4. disq. magic.cap.3.q.4. & Sanchez in Decal. lib.2.c. 39. a num. 44.

167 Deducto hinc cum eisdem Nauarro, & Sanchez neutiquam esse licitum petere prædictionem ab Aegyptiana de bona vel mala fortuna esset mortale in duplici euentu, primo vbi interrogatur illa animo firmiter credendi dicto ipsius, quamquam non excederet veniale, si interrogatio fit ob curiositatem, & ad ridendum, talis sit conditionis, vt videntibus, vel audientibus graue scandalum generet. Vltimo
168 loco copiose explicat Sanchez diuinationẽ per duellum; sed cum hæc rarò, vt credo fit superstitiosa; parum etiam, aut nihil facit ad nostrum institutam: vndè apud illum, si lab videas: nobis sufficiant hactenus tradita di natione tertia specie superstitionis, vt iam transitos ad quartam vanæ obseruationis, magiæ operatricis ope Dæmonis.

An, & quid vanæ obseruationis, seù magiæ operatricis superstitio? quis eius auctor? & qualiter hic eam exerceat?

REGVLA CXIX.

169 Vanæ obseruationis, seu magiæ operatricis superstitio dicitur per quã medijs inutilibus, & non a diuina prouidentia, sed a Dæmone, vti primo, præcipue eius auctore institutis, aliqui effectus expectantur,
170 & re ipsa fiunt. Hanc autem exercet ille quatuor modis, primo obiiciendo sensibus vera corpora, seu aliunde asportata, siue per applicationem actiuorum cum passiuis producta. Secundo representando solum occulte phantasticas corporum similitudines. Tertio illudendo sensibus externis, ita vt homo credat videre, quod non videt &c. Quarto illudendo sensibus internis cum alienatione sensuum externorum, aut sine ea.

171 AD tollendam æquiuocationẽ re paulò altius repetita, distinguendum de significatis nominum magiæ, & magorum; nã illud vulgare apud omnes, quod olim per Magos significarentur quicumq. sapientes, maxime prædicti notitia philosophiæ circa cælorũ, ac syderum varios motus, reconditasq. eorum dispositiones, & influentias in ista inferiora.
172 Verum cum Magi dicti sint à magia huius nominis significatio sic incommuni exprimitur a Derlio lib. 1. disq. magic. cap. 2. vt sit ars seu facultas vi creata non supernaturali, quædam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat: ex quam late pateat; tàm magiæ, quã magorum significatio.
173 Sumpta autem hoc modo magia secundum totam suam latitudinem, & intellecta eius efficientia in diuinando, seu prædicendo atq. in operando, bipartiturin diuinatricem, & operatricem, quasi in duo genera vniuersalissima, quam bipartitionem ex ipsis terminis iam notam, præcipue amplectitur Franciscus Torreblanca de illa toto lib. 1. sui epitomes, & de hac toto secundo compendiosè vt solet, & eru-
174 dite pertractans. A causa finali eam diuidit ipse Derlius in bonam, & malam (albam, & nigram vocat D. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 4.) est bona magia, si ex fine bono, seu ex recta intentione, ac mediis licitis, mala e contra si ex prauo fine, & mediis illicitis exer-
175 ceatur. A causa vero efficiente iidem Derlius, & Torreblanca cum aliis antiquioribus triplicem assignant magiam naturalem, scilicet, artifitiosam, & dæmoniacam; nam omnes eius effectus tribui debent, vel alicui virtuti à natura rebus inditæ, & hinc est naturalis; vel peculiari hominum industriæ, & hinc artifitiosa; vel malitioso Dæmonum auxilio, atq. hinc dæmoniaca.
176 De hac tertia (licet attingantur etiam obiter aliæ duæ) præcipue est nobis sermo in presenti, quippe vti coniuncta ipsa sola cum errore mentis contra fidem diuinam, aut cum præsumptione ipsius, venit comprehensa sub iurisditione Inquisitorum, vt iam supra dictum,
177 & post iterum dicetur. Huius magiæ Dæmoniacæ significatum in tota sua latitudine comprehendit quascumq. diuinationes, & operationes superstitiosas vanæ obseruationis: sũmi tamen potest nomen magia magis strictè teste Suarez lib. 2. de superstit. cap. 14. prout distinguitur à diuinatione, de qua iam dictũ Re-
178 gulis præcedentibus. Diuinatio enim ad solã occultorum cognitionem; vana autem obseruatio, seu magia operatrix dæmoniaca ad effectum aliquem externum ordinatur; ergò di-
179 stinguuntur inter se. Cuius distinctionis fundamentum, simul cum prohibitione vtriusq. apparet clare ex illo Lev. 19. Non declinetis, inquit, ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, & cap. 20. Anima quæ declinauerit ad magos, & ariolos &c. interficiam illã &c. vtrobiq. per ariolos significantur superstitiosi diuinatores; per magos verò artifices operum, quæ fiunt vltra humanas vires, & non virtute Dei, sed Dæmonis, seu superstitiosis, & vanis obseruationibus. Atque sic stricte sumit magiam, vt distinctam a diuinatione D. Thomas 2. 2. q. 90. art. 2. in argumento, sed contra affirmans ex doctrina D. Augustini lib. 2. de doctr. Christ. quod ad superstitionem pertineat molimina magicarum artium, & ligaturę &c.
180 Ex dictis iam clare perspicitur qualiter huic magiæ demoniacę, seu superstitioni vanæ obseruationis ita strictè sumptæ quadret bene descriptio eius expressa in Regula, quam colligit Sanchez lib. 2. in Decal cap. 39. num. 1. ex D. Thoma dict. quæst. 90 art. 1. & 2. nec immorandum magis in eius declaratione, cum ex se pa-
181 teat. Quadrat etiam ipsi illa alia descriptio, quam Derlius dict. cap. 2. compendiosius proponit videlicet, facultas seu ars, qua vi pacti cum Dæmone initi, mira quædam, & communem hominum captum superantia efficiuntur; Dicitur vi pacti, quia totum esse magiæ dæmoniacæ pacto tacito, vel expresso cum dæmone nititur, vt iam supra traditum in expositione diuinationis superstitiosæ; cum hoc vtriq. sit commune, & eodem modo, ibi explicato, vt ex communi sententia obseruat Sanchez ci-
182 tatus n. 3. Malitia itaque huius superstitiosæ magiæ operatricis, quæcumq. illa sit, in eo cõsistit, quod honorẽ soli *Deo* debitum, tribuat homo creaturæ, Dæmoni scilicet; dum ex vi pacti saltem taciti requirit, & expectat ab ipso eos effectus, quos à Deo inquirere, & expectare deberet, vt optime idem Sanchez num.
183 2. ex communi omnium docet. Atque hinc peculiariter magia ista superstitiosa vocatur à Theologis Idolatria tacita, teste Derlio dict. cap. 2. etiam quando tribuit illum honorẽ creaturæ, non vti *Deo*, sed vt benefactori cuidam, & munifico, quod vt plurimam ita se habet in foro conscientię; in foro tamen externo, seu in Tribunali sanctę Inquisitionis, cui hęc magia subest per constitutionem Sixti V. Cœli, & terrę &c. sẽper erit pręsumptio de idololatria expressa, & quod tribuerit homo dictum honorem creaturę, vt Deo, aut saltem crediderit, eam esse dignam tali honore, quòd ferè in idem recidit.
184 Quòd vero *Dęmon* sit primus, ac præcipuus auctor, seu inuentor, & propagator huius perniciosissimæ artis magiæ superstitiosæ in dubium reuocari non potest, etiamsi circa hoc delirent diuersi hęretici, quos bene refutant Delrius vbi supra, & Torreblanca lib. 2.
185 cap. 5. Imo iam initio mũdi videtur dæmon intendisse huiusmodi poculum venenosum primis Parentibus propinare, dum dixit Gen. 3. Eritis sicut *Dij* scientes bonum, & malum; sed quidquid sit de hoc; illud vt certum bene tradit idem *Delrius* c. 3. ex doctrina *D.* Clementis lib 4. recogn. quod arte magica superstitiosa ante diluuium à dæmone mali illi gigantes imbuti fuerint; & per hos Cham filius *Noe* in eadem instructus post diluuium ipsam tradiderit posteris suis Aegyptijs, Chaldæis, & Persis; qui hac facultate magię demoniacę, admodum prędicti extiterunt. Dein totum vrbem inter quascumq. gentes cacodęmon, vel per se

ipsum

ipsum immediate, vel per suos ministros, seu
magistrellos (sic ipsi teste eodem *Derlio* com-
muniter vocantur) quouis tempore pestiferũ
istud semen spargere non cessauit, nec impo-
sterum vsq.ad finem mũdi cessaturus creditur.
186 Patet totum ex varijs scripturæ locis Exod.
7. vbi de magis Aegyptijs dicitur, & fecerunt
similiter, videlicet, sicuti fecerat Moyses, &
Aaron, mira prodigia; & ex illo Actor. 8. vbi
de præcipuo satanæ ministro, nempe Simone
Mago dicitur, quod multo tẽpore magijs suis
dementasset eos. Atque pro fine mundi Matth.
23. ait Christus Dominus surgent Pseudochri-
sti, & Pseudoprophetæ, & facient signa, & pro-
187 digia. Ex quibus textibus sacris, & ex alijs
pluribus similibus manet res adeò certa, quòd
detur magia dæmoniaca, seu vanæ obseruatio
nis superstitio, docens mira aliqua facere su-
pra captum humanum, & supra causas natu-
rales ab homine cognitas, & applicatas, vt si-
ne errore contra fidem negari nequeat: tradit
copiose Suarez lib 2. de superstitione cap. 13.
ex communi SS. PP. & Doctorum.
188 Superest vltimo loco explicandum quali-
ter hanc magiam operatricem quatuor modis
Dæmon exerceat, & si quis circa hoc contro-
uersum occurrit breuiter expendendum. Non
desunt, qui mordicus teneant omnia opera
huius artis magicæ, non vere, & realiter, sed
tantùm præstigiatorie, & illusorie fieri, vide-
tur posse probari ex cap. Episcopi 26. q. 5. ibi
enim propositis quibusdam huiusmodi operi-
bus, quæ a strigibus fieri dicebantur, iniungi-
tur Sacerdotibus, vt in concionibus suadeant
populis ea falsa esse, & a maligno spiritu per
phantasiam, & seductionem fingi. Alii e con-
tra tuentur omnia esse talia re ipsa, qualia ex-
terius apparent, et a Magis fieri dicuntur. Po-
test inde ostendi, quia scriptura sacra eodem
modo loquitur de illis, sicut de veris, Exod. 7.
de magis Aegyptiis dicit, & fecerunt similiter,
nempe sicut fecerant Moyses, & Aaron.
190 Quod tamen effectus huius magiæ dæmo-
niacæ non semper veri, neque semper falsi, sed
aliquando illi, aliquando vero isti a dæmone
fiant, vt omnino certa doctrina a Theologis
communiter recipitur ex Diu. Augustin.
lib. 3. de Trinit. cap. 7. & alibi sępe, ex D.
Thoma multis in locis, præcipue par. 1. q. 114.
art. 4. ex Abulensi in cap 4. Matth. q. 47. & ex
aliis, quos refert Derlius lib. 2 magic. disq. q. 6.
7. & 8. rem hanc multis discutiens, & exem-
plificans: summa omnium hæc est. Primo si
191 effectus fiut ex iis, qui omnem vim causarũ
natutalium superant, vel ii, qui formalem ali-
quam mutationem, quoad substantialem for-
mam, vel qualitates requirunt, constat mani-
feste non posse istos per solam magiã, seu per
operationem tantùm Dæmonis fieri v.g. extra-
here animam ab inferis, & unire cum corpore
ad aliquid inter mortales agendum, produce-
re aliquod animal ex perfectis, educta forma
eius de potentia materiæ, transmutare homi-
nem in bestiã, variata organizatione, & simi-
192 liã. Ratio est, quia tametsi omnis virtus, &
potestas operandi actione transeunte, & cor-
porali, quæ Angelis est naturalis, in dæmoni-
bus post peccatum manserit, cum per hoc no
fuerint in eis naturalia diminuta, ne dum am
sa, iuxta cõmune axioma Theologorum cu
D. Thoma dict. art. 4. desumptum ex D. Dio
nysio cap. 4. de diuinis nominibus, est tam
extra dictam virtutem, & potestatem Dæmo
num posse illos effectus causare, quod admi
titur, vt certum ab omnibus; ergo si a dęmo
fiant, non erunt veri, sed apparentes, seu pr
193 stigiosi. Atq. ita sentiunt non pauci melio
ris notæ auctores de reuocatione animæ Sa
muelis ab inferis, quòd fuerit per apparentia
& non realiter: quamquam alii probabili
iudicant fuisse realem, & veram ex peculia
dispositione, & cooperatione diuina, non ve
ro ope dæmonis; sed nõ est nostri instituti ho
magis expendere: vide Suarez, vbi supra ca
16. & Derlium citatum.
194 Item si effectus operatricis magiæ super
stitiosæ, non sint extra spheram actiuitatis,
extra potentiam dæmonis connaturalem, qu
valde se extendit iuxta illud Iob. 41. Non e
super terram potestas, quæ cõparetur ei,
extra facultatem operandi a Deo ipsi conc
v.g. corpus quodcumq. de loco ad locum
cissime transferendi (excipe elementum
grum, vel aliud maius ad cuius translatio
perturbarentur naturæ ordo, ac proinde
tum ipsi transferre) generandi medio
per applicationem actiuorum cum passi
quæuis animalia imperfecta, vt ranas,
muscas &c. producendi eadem applicatio
plantas, arbusta, olera, & alia non veget
&c. tunc in causandis huiusmodi effectibu
libitum procedit Dæmon, ita vt interdum
ros, & realis, interdum vero solos apparen
deludendo causet, ita sentiunt omnes præci
195 Suarez, & Derlius adducti. Ratio est,
dum eum non impedit Deus, a cuius bene
cito in magicis operibus, sicut in reliquis
nino pendet, operatur ipse, aut realiter, &
re, aut apparenter, & præstigiose, prout ex
dientius iudicat ad suos prauos fines,
xime inducendi homines ad patranda pecc
& sic trahendi ad damnationem æternam
196 Qualiter autem se res habeat in ca
particularibus occurrentibus, an realibus,
potius præstigiosis effectibus artem superst
tiosæ magiæ dæmon exerceat? nequaqu
facile, constare potest, cum sępius se occul
& transfiguret in Angelum lucis. Nihilo
nus aliquando successu temporis ipsemet
ctionem prodit, vel realis effectus ex accide
197 ti manifestatur. Hoc secundum v.g. pate
mulieribus lamiis, seu strigibus dictis (Bru
hispanicæ) vere & realiter breuissimo temp
re per artem magicam in loca valde dista
ad congregationem multorum a dæmone de
latis, quę realis delatio, vt ait Peña in D
rect. Coment. 68. ex Abulen q. 37. in c. 4. Matt
& ex aliis sine impudentia negari non pote
Nam contigit sæpe, vt nonnullæ ex eis, aliq
occasione per terrefactæ nomen Iesu protul
rint, vel signo Crucis se munierint, & dissol
ta ob id congregatione, fugiẽtibusq. dæmo
in co-

in eodem loco, in quo esse putauerant, se inuenerint; ergo fuerant ad illud realiter, & non solum per apparentiam allatæ. Hoc multis casibus, & dopositionibus contra se ipsarum lamiarum probant Iacob Sprengerius malleo maleficorum prælud. 10. & Alphonsus de Castro lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 16.

8 Nec obstat cap. Episcopi 26. q. 5. adductum pro opposita sententia, quia ibi erat sermo de casu particulari mulierum, quæ credebant esse quandam Deam, nomine Dianam cum ingenti potestate, & dominatu, cuius virtute aliquando per aëra equitando ferrentur ad obsequium ipsius, & ad prauos fines; quod cum esset falsum, & contra fidem Christianam, meritò ibi iniungitur Sacerdotibus, vt populis persuaderent, illud prouenire ex illusionibus, seu præstigijs dæmonum.

99 Quod verò successu temporis dæmon suum præstigium manifestet, patet exemplo eorum, qui de repente ditantur multis nummis aureis: & isti postea in vilem materiam, & in carbones conuertuntur: ita quod aliquando contigisse notat cum alijs Suarez vbi supra, in quo casu tantum est delusio dæmonis circa sensus externos, nempe visum, auditum, & tactum, cum proponantur eis non veræ pecuniæ; sed phantasticæ pecuniarium similitudines. Erit autem alius modus delusionis iam magis rarus, & mirabilis si eisdem sensibus externis dæmon nullas res existentes, neque earum similitudines obijciat, sed vel per commotionem humorum (id sepè euenit in phreneticis, & somniantibus, vel per virtutem alicuius rei naturalis occultam ita astantium oculos &c. inficit, & perturbat, vt videatur illis id coram existere, quod non existit, & è contra id non existere, quod re vera existit: fit clarum exemplo ægroti, qui ob corruptionem palati dulces cibos iudicant esse amaros. Hunc modum deludendi, quod possit cacodæmon exequi, & quandoque exequatur, tradunt, vt certum Suarez, & Delrius citati, & alij. Qui idem prorsus concedunt de vltimo modo delusionis expresso in Regula cæteris multo rariori, & mirabiliori, nempè delusis sensibus internis sine alienatione ab externis per variam phantasmatum interiorum ordinationem, & commotionem spirituum, vel cum alienatione à sensibus externis per certam corporis alterationem, & vnctionem. Ponit exẽplum Abulensis cap. 13. Gen. q. 354. in stryge quadam, quæ alienata omnino à sensibus manebat, & in terram corruẽs etiam ignem admotum non sentiebat, atque interim sola animi cogitatione, diabolicaque illusione, & non realiter in longinqua loca ferebatur: idem similiter in alijs strygibus, seu lamijs aliquando contingere solet. Circa hos quatuor modos, quibus dæmon exercet artem magicam operatricem, præter Delrium citatum videndus præcipuè Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40. num. 4.

Quotuplex dæmoniaca magia operatrix? est quid peculiariter de notoria arte pro acquirenda scientia?

REGVLA CXX.

203 Dvplicatur operatrix magia superstitiosa, seu vanæ obseruationis iuxta duplex pactum à Mago cum dęmone initum, videlicet expressum, & tacitum. Triplicatur verò magis commodè, & completè, attentro triplici pręcipuo eius effectu, ita vt alia sit operatrix scientiarum: alia sanitatum, & alia maleficiorum.

204 Ars tamen notoria ad primam ex his tribus, vti pars eius potissima spectat in acquirenda alia scientia per infusionem præstigiosam.

---

205 De multiplicatione, & diuersitate dæmoniacæ magiæ operatricis, seu vanæ obseruationis, mirum quam diuersimodè loquantur Doctores; præcipuè Lessius, qui etiam magiam dæmoniacam à vana obseruatione separat, de hac agens lib. 2. c. 43. sub finem dub. 10. cum explicatione ibi artis notoriæ, de illa verò nouum caput 44. instituens, sed non satis video huius separationis fundamentum; cũ D. Thom. de vtraq. simul tota q. 96. per quatuor articulos tractet, & in primo explicet artem notoriã, quæ, vt videbimus, ad primam speciem magię operatricis spectat, in secundo vero articulo quærat, vtrum obseruationes ad sanitatem corporalem sint illicitæ? Atque in corpore art. respondet esse illicitas, vti vanas, seu superstitiosas, si non possint naturaliter causare talem effectum, cum tunc applicentur, vt signa indicantia pactum cum dęmone: & ibidem in argumento, sed contra in confirmationẽ ex mente August. ait, quod ad superstitionem pertineant molimina magicarum artium, ergo secũdum D. Thom. eadẽ est superstitio vanæ obseruationis, & magiæ operatricis ex pacto cum

206 dæmone. Angelicum Doctorem sequuntur eius interpretes, ac reliqui maximè Sanchez, citandi, ille sub eodem cap. hic sub eisdem titulis vtramque comprehendentes. Hoc licet non videarur tanti momenti, obiter sit dictum contra Lessiũ: nec immoror in exprimendis huiusmodi magię operatricis, seu vanæ obseruationis multiplicitatibus, & diuisionibus, quas ipse Lessius, & alij adducunt: solum attingo duas præcipuas, quæ reliquas ferè in se continent, quarum aliqua attingetur.

207 Diuiditur primo magiæ huius operatricis seu vanæ obseruationis superstitio in duas quasi species, accidentaliter tantum ex parte modi distinctas ita vt altera sit ratione pacti expressi cum dæmone, altera vero ratione taciti, seu implicitæ inuocationis ipsius. Atque vtraque intelligitur eodem prorsus modo quo de simili diuisione diuinationis superstitiosę supra diximus, tradunt ex mente D. Augustin. 21. de Ciuit Dei cap. 6. & D. Thomæ 2. 2. q. 96. art. 2. Valentia ibi disp. 6. cap. 13 punct. 1. &

208 Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 40 num. 11. Qui benè aduertunt contingere pactum expressum

duplicitèr, vel si verbis dęmon inuocetur,& in-
uocans cum ipso paciscatur, vel si facto ipso
sciens quis dæmonem per certum medium va-
209 num causare effectum, illud adhibeat. Ta-
citum vero,licet homo ignoret,& pręter inten-
tionem eius eueniat, etiam duobus modis,pri-
mò si applicentur preces voce, aut scripto,
aut collo appensæ, adiunctis vanis circum-
stantijs, ex quibus colligitur tales preces ad
Deum non dirigi, tunc ratione pacti taciti cum
210 dęmone sequitur effectus intentus. Secundo
si ad hunc effectum adhibeantur aliqua media
vana tanquam causæ, aut characteres. figuræ,
herbę &c.quę inefficaces re ipsa sunt ad eũ pro.
ducendum,nec proportionem cum ipso habent:
vterque modus ostenditur magis, & exemplifi-
211 cabitur in Regulis sequentibus. Tertium ad-
dit Sanchez,nempe si per vanam diuinationem
præcognitio alicuius prosperitatis, vel aduersi-
tatis procuretur ab homine, vt hic ea instru-
ctus aliquid faciat,aut vitet: hunc modum iam
supra attigimus, explicando diuinationem per
sortes diuinatorias practicas, & nunc cum ipso
Sanchez ad quamcumq. diuinationem super.
stitiosam extendimus.

212 Proposita diuisio operatricis magię,seu vanę
obseruationis ex vi pacti cum dæmone explici-
ti, vel taciti continet aliam ex parte signorum,
ad quorum appositionem ipse dæmon effectus
magicos producit, pręcedente pacto; sicut e-
nim ista signa sunt innumerabilia, & penè infi-
nitæ diuersitatis,ita illa quasi in infinitum diui-
di, seu multiplicari potest, vt ex mente omniũ
docet Sanchez lib. 2. de superstitione cap.14.
Et quidem me teste assiduo per spatium trigin-
ta fere annorum in nostra Congregatione San-
ctæ Inquisitionis Melitensis semper fuerũt pro-
positi noui modi sortilegiorum,seu operum ma
gię superstitiosæ, cum aliquo signo nunquam
prius audito.

213 Ex huiusmodi autem signorum appositione
insurgit malitia superstitiosę magiæ operatricis
sed multo magis ex vi pacti expressi, vel taciti
cum dęmone; mortalis equidem ex suo gene-
re in vtroque, quamquam in tacito aliquando
potest esse sola venialis,vt benè docet Sanchez
citatus, imò nullum aderit peccatum, si adsit
saltem ignorantia inuincibilis, vt adesse potest,
vbi quis vtitur medijs bonis, aut indifferenti-
bus; quod benè tradit Delrius lib. 3. disquisit.
magic. par.2 q.1.

214 Sed pręstat cum Suarez vbi supra congruen-
tius,& omnino completè sumere triplicationẽ
seu trimembrem diuisionem magię dæmonia-
cę operatricis,siue vanę obseruationis ex parte
trium effectuum præcipuorum, qui per eam
producuntur, nempè, vt alia sit operatrix sciẽ-
tiarum, alia sanitatum, & alia maleficiorum:
quę diuisio non est generis in species distinctio-
ne formali;sed tã ũ accidẽtali,seu materiali ex
215 parte materię circa quam. Prima spectat ad
solã animam,cuius propriæ sunt scientię,quoad
partem intellectiuã,si medijs superstitiosis,& va-
nis auxilio dęmonis earum acquisitio intenda-
tur. Secunda ad corpus simul, & animam, si
vtriusque sanitas, aut aliud commodum dictis
medijs, & auxilio procuretur. Tertia ad vtrũ-
que etiam, quia tam contra animam, quam
contra corpus maleficia possunt, & solent op[e]
dęmonis emoliri: de prima in residuo huius
Regulę breuissimè, de secunda,& tertia in Re-
gulis sequentibus copiosius.

216 Vt magia dæmoniaca operatrix scientiarum
quid sit, clarius innotescat, sufficit cum eod[em]
Suarez, & cum Sanchez d. cap. 40. num. 14
annotare differentiam inter ipsam, & diuina-
tionem superstitiosam (de qua iam dictum su-
pra) quod ista semper sit de rebus,quarum no-
titia naturaliter habere nequit, & si cogno-
scantur per talem diuinationem,huiusmodi ea-
rum cognitio, sed fides in testimonio tantum,
& auctoritate dęmonis, fundetur: magia vero
scientiarum operatrix sit de rebus quibuscum-
que,quæ per ordinarium studium, vel per infu-
sionem diuinam cognosci possunt, & earum
notitia sit manifesta per propria media, seu
principia, à quibus naturaliter, siue necessario
deducuntur: at quando per artem magicam
acquiritur,interueniunt media vana cum coo-
217 peratione dæmonis. Vnde quicumque hac
via euadit Philosophus, Mathematicus &c.
etiamsi de repente, non ideo censetur diuin[us]
nec diuinare, cum non pręd.icat futura, nec
occulta manifestet; sed per demonstrationem
vel ratiocinationem ad cognitionem illarum
illarum veritatum, quæ hominibus doctis not[æ]
sunt, auxilio dæmonis perducatur.

218 Præcipua pars huius dæmoniacę magiæ scie-
tiarum operatricis,est illa quæ Notoria à cō-
muniter vocatur; de qua D. Thomas 2.2 q.96.
art 1. in cuius corpore affirmat, quod per eam
præmissis quibusdam obseruationibus vanis [et]
certis ieiunijs, & orationibus ad Deum, figura-
rumq.inspectionibus,subita,seu extraordinaria
cuiusuis scientiæ infusio, seu acquisitio promit-
219 tatur. Vbi sine dubio interuenit,vt ex com-
muni obseruat Lessius lib.2 cap.43 dub.10. in-
uocatio saltem tacita dęmonis; & huic falsò
attribuitur potestas infundendi animæ sciẽtias
quæ est solius Dei propria, vt docet D Augu[st.]
220 lib.10. de Ciuitate Dei cap.9. Quod si no[n]
nulli aliquando videantur auxilio dæmonis [re-]
pente notitiam sacrarum Scripturarum, vel [al-]
terius scientię acquisiuisse (ponit exemplum
ipse Lessius in Anabaptistis sũpto bolo detesta-
bilis cœnæ, & ego pono in quodam homine à
multis in hac Ciuitate pro mago habito de qui-
busuis scientijs, & artibus loquente) id fit non
per infusionem cognitionis earum in mente;
sed quod dæmon ipsum inuocantes occupet,&
per ora ipsorum legat, scripturas proferat,&
disputet, ac ipsos ita dementet, vt se omnia
scire existiment. Atque inde patet eos decipi,
quod quando redeunt ad cor recedente spiritu
nequam, sint rudes, & ignari, sicut erant ante
dementationem, hæc ita Lessius.

221 Notat Suarez d. cap 15. nu.2. constare ma-
nifestè esse sentẽtiam D.Thomę,quod ars noto-
ria spectet ad magiam superstitiosam scientiarũ
operatricem, de que agimus,ob inuocationem
tacitã dęmonis,in 1.par.corporis d art.1. ibi. Et
per cõsequens,inquit, sunt signa pertinentia ad

pacta

quędam significationum cum dęmonibus inita, atque fœderata, & ideo ars notoria virtus est fugienda Christiano, sicut aliæ artes magicæ, vel noxiæ superstitiones: hactenus D. Thomæ, quibus nihil clarius ad propositum. Vnde ipse Suarez, ne Angelicus doctor videatur sibi contrarius, suspicari cogitur in solutione ad tertium ibi, Quæ societas cum dæmone inita in proposito locum non habet, irrepsisse mendacium, & delendam esse negationem, affirmatiuèque esse legendum: alias D. Thomas non soluisset argumentum; sed confirmasset; ita ille totidem verbis.

Quid per Magiam dæmoniacam sanitatum operatricem intelligatur? & vnde dignosci possit interuenire?

REGVLA CXXI.

Describi sic potest, Vana obseruantia, seu magia superstitiosa sanitatum, vel alterius commodi operatrix dicitur, per quam hi effectus sperantur ex rebus, quæ nec supernaturaliter eo pertinent, neque naturaliter ipsos præstare queunt. Vnde exercetur ipsa circa vtrosque effectus supernaturales, & naturales, qui à causis naturalibus produci nō possunt; in his posterioribus difficulter cognoscitur magica superstitio; innotescit tamen ex circumstantijs temporis, loci, modi, & alijs.

---

225 Colligo propositam descriptionem huius superstitiosæ magiæ, seu vanæ obseruationis ex alia vniuersaliori, quam pro quauis, complectens etiam superstitiosam diuinationē, adducit Delrius lib. 3. disq. magic. part. 2. q. 1. Apposui in ea particulam, *vel alterius commodi*, quia licet vocetur operatrix sanitatum, tanquam à præcipuo eius effectu, extenditur tamen ad alia diuersa homini commoda, & conuenientia, vt patet ex D. Thoma sub terminis generalibus proponente titulum d. art. 2. q. 96. sic Vtrum obseruationes ad corporum immutationem ordinatæ puta ad sanitatem, vel ad aliquid huiusmodi sint illicitæ? vbi rectè declarat teste ipso Suarez citato, sub nomine sanitatum comprehendi omnes immutationes corporis, ac etiam illas, quæ ad hominis vtilitatē in alijs rebus fiunt, imò ad immutationes animæ pro bono spirituali, & salutione eius, extendit benè Delrius vbi supra q. 2.

226 Qui ibidem eas ad quatuor quasi species reducit. Prima dirigatur ad commoda spectata in rebus exterioribus, seu fortunæ, vt in animalibus, in fructibus terræ, segetibus, vineis, in bona aëris constitutione &c. secunda ab bona spectata in corpore humano, vt sanitatem, liberationem ab hostibus, à carceribus, ferro, igne, aqua &c. sicque homo se putat fore innoxium. Tertia ad bona spectata respectu animæ naturalia, vt artem, vel scientiam aliquam, de qua iam dictum in Regula præcedenti. Quarta ad expectata bona supernaturalia eiusdem animæ, vt remissionem peccatorum, liberationem à morte subitanea, aut a finali impœnitentia & c. per certas orationes, aut versiculos Psalmorū, vel per alia Scripturę sacræ verba, aut signa sacra, nec à Deo, neque ab Ecclesia ad hoc ordinata.

227 Verum alijs omissis, lubet diuisionem b imēbrem in Regula indicatam huius magiæ dæmoniacæ, sanitatum operatricis ex parte signorum, vel mediorum, quæ vt causæ insufficienter adhibentur, cum Sanchez dicto cap. 40. à nu. 22. vsque ad 53. & cum alijs magis expendere simulque vbinam ipsa interueniat, quoad poterit indicare, atque resolutiones diuersorum casuū in particulari inde deducere. Media enim, seu signa superstitiosa, quæ adhiberi solent vel sunt merè naturalia, de quibus postea, vel supernaturalia, siue sacra, vt determinatæ preces verbo prolatæ, aut scriptæ supra personam gestatę, reliquiæ Sanctorum collo suspensæ, certa ieiunia, Missæ peculiares &c.

228 Ad cognoscendum autem an in his supernaturalibus interueniat superstitio magiæ dæmoniacæ, vt notat idem Delrius, attendendę sunt circumstantiæ aliquæ. Prima, si vana, & inutilis conditio aliqua, vel necessaria apponatur, & in ea efficacia precum, vel medij sacri collocetur: vt quod preces, aut verba sacra tali figura, vel charactere, tali charta, tali tempore

229 scribantur, vel recitentur. Secunda si adiungantur nomina incognita, aut obscuræ significationis: nam eo ipso ex instiṫutione dæmonis ea intelligentis censentur adiuncta.

230 Tertia si effectus expectatus sit vanus, vt quādo prolatis verbis sacris mouetur anulus; nam cum virtus diuina non causet vana, & inutilia, ad dæmonem, qui cupit verbis sacris honorari illorum prolatio, & effectus secutus referri de-

231 bet. Quarta sit addita fides aliqua incerta, falsa, & apocrypha, vt Christum Dominum febri laborasse &c. Cum enim dęmon sit pater mendacij, similibus delectatur. Has circumstātias ad cognoscendam superstitionem magię huius dæmoniacæ, quando signa, seu media adhibita sunt res sacræ, assignant multi Doctores præcipuè Caietanus in sum. verb. incantatio, Valentia 2. 2. disp. 6. q. 13. punct. 1. Sanch. vbi supra n. 22. & præ cæteris copiosius Delrius citatus q. 4. sect. 2.

232 Hinc deduco primo secundum doctrinam D. Augustini lib. 2. de doctrina Christiana cap. 20. relatam in cap. illud 26. q. 2. D. Thomæ 2. 2. q. 96. art. 4. Simanchæ de Cathol. instit. tit. 63. num. 19. & aliorum esse superstitiosas ligaturas seu philacterias in collo, vel alibi gestari solitas. quas vulgò nominas vocant, nisi Ecclesiæ vsu, vel proborum medicorum arte fuerint approbatæ, easque gestantes in cap. si quis 26. q. 5.

233 anathemate puniuntur. Superstitio autem illorum prouenit ex aliqua circumstantia vana, vt quod verba sacra v. g. Euangelium D. Ioānis, aut versus alicuius Psalmi, sint scripta sic, vel sic in vase talis figuræ, in pergamena, charta virginea; aut apponantur nomina barbara, seu incognita Dei, vel Angelorum, aut quid simile

vanum, & mendax; quod item contenta in eis
sint legata tali modo, vt tot filis, aut talibus, &
234 à tali persona, vt virgine. Quamquam absolutè loquendo, vt cum D. Thoma d. art. 4. ad 3. & cum alijs ostendit Sanchez vbi supra nu. 27. non est illicitum, nec prohibitum in cap. corpora de consecratione, dist. 1. reliquias Sanctorũ collo appensas, vel alibi secum deferre. Nam ibi tantum prohibetur translatio corporum Sãctorum, quorum est iam propria sepultura, absq. Episcopi licentia: & in Concilio Bracharensi 3. cap 5. reprehenduntur aliqui Episcopi, nõ quod reliquias collo suspensas gestarent, sed quod ob inanem gloriam, & vanam hominum ostentationem id facerent, dum super humeros leuitarum in ornatis sellulis portarentur.
235 Deduco secundo, non carere superstitione, quando fiunt publicę supplicationes pro impetrãda pluuia, si imago alicuius Sancti in flumen proijciatur, aut in eius ora relinquatur, quousquepluat. Quia ista nec ex institutione diuina, aut Ecclesiastica inseruiunt ad causandum talem effectum, neque vt vana, & Ecclesiæ vsui
236 contraria Sanctis placent. Prorsus idem dicendum ob eandem rationem de orationibus, quibus pro parturientibus, aut morbo laborantibus magi, vel sagæ vtuntur, cum benedictione, aut prolata corporis Domini consecratione (vt à quodam ipsam proferente super parturiẽtem cum secuto statim effectu aliquando audiui) vel adiunctis verbis obscuris, non intellectis ab eo, qui ea profert aut cæromonijs vanis oscitationis, habitus, & suffitus. Ita Nauarrus in cap. quando nu. 46 de consecratione dist. 1. & Delrius, tractans de his, & alijs orationum formulis superstitiosis d. q. 4. sect. 7. & 8. copiosissimè: vide ipsum.
237 Tertio deduco esse superstitiosas, Missas, quas de san Amador, vocant, cum peculiaribus cæremonijs, nempe vt inchoentur, ac terminẽtur certis destinatis diebus, absq. interpolatione, aut certo candelarum numero. Similiter Missas appellatas, de trentenario reuelato, vel alio nomine, del Conte, cum his cæremonijs, vt duo tantum Clerici eis intersint, atque hi ita inclusi, vt exire inde nequeant, aut pedem ab Ecclesia extrahere, dum omnes dicuntur, nisi ad ministranda sacramenta, aut Prælati iussu. Damnant merito vtrasq vti tales diuersi Pręsules in suis Synodis, vel Concilijs Prouincialibus, præcipuè D. Martinus de Aiala Archiepiscopus Valentinus in Prouinciali Concilio anni 1566.
238 sess 3. c. 6. vt refert ibidem Suarez n. 41. Qui benè n 40. extendit hoc ad quasuis Missas quod sint superstitiosæ, si cũ dd. cęremonijs vanis, vel alijs similibus celebrẽtur, ita vt istas adhibens ipsis innitatur, quasi efficacia cesset, eis sublatis.
239 Verum carẽt prorsus periculo superstitionis omnes d. Missæ, si absq. vlla cęremonia vana dicantur: ita idem Sanch addens etiam hoc modo nũc esse in vsu illas sancti Amatoris, & alias triginta, in memoriam illius facti D. Gregorij, pręcipientis scilicet fundere preces 30. dierum spatio pro defunctis. Quamquã vltimo cõcludit idẽmet Sãch. quod ad vitandã hãc superstitionẽ, & suspicionẽ eius, tales Missas nõ consuleret.

240 Quartò deduco esse superstitiosa facta il[illegible] fœminarum (idem dicito de viris) quæ barba[illegible] rè carminatrices dictæ, vulgò ensalmatrices, quando ad sanandum à morbo aliquo quibus[illegible] dam verbis pijs, & adiurationibus, non institutis ab Ecclesia vtuntur, credentes eis solis, nullo adhibito medicamento naturali salutem posse obtineri. Ratio est, quia in his verbis, & signis, vt constat, non continetur virtus naturalis ad sanandum, & multò minus supernaturalis: cum hæc sit propria verborum supernaturalium, & introducere simile aliquid sine Ecclesiæ auctoritate censeatur superstitiosum, & in fide periculosum. Ita Suarez d. lib. 2. de superstitione cap. 15. & Sanchez ibidem num. 39.
241 cum alijs ab ipso relatis. Nihilominus erunt absq. superstitionis periculo talia facta; si simul cum dictis verbis pijs, & adiurationibus, vt per passionem Christi Domini &c. adiungatur aliquod medicamentum, in quo iudicetur contineri virtutem naturalem pro acquirenda sanitate. Tradit benè idem Sanchez, cum D. Antonino 2. par. tit. 12. cap 1. §. 11. Syluest. verb. superstitio q. 10. dict. 4. Nauar. in sum. cap. 11. num. 36. & cum alijs.
242 Sed quid quando medicamenta, vel media naturalia, & artificialia applicantur & nesciũt habeant ne virturem innatam ad similes effectus? Hoc opus, hic labor; superstitio hæc, inquit Sanchez num. 42. difficillima cognitu, est enim difficile valde iudicare, quando causa naturalis est sufficiens ad effectum, ad quem producendum adhibetur. Nec enim omnes effectus, qui nobis miri videntur, & qualiter effici possint, nos latet, sunt magię superstitioni tribuendi, hactenus ille: ratio huius difficultatis est; quia, vt iam supra traditum, dantur due magiæ bonæ, naturalis scilicet, & artificiosa item gratię gratis datæ in diuersis hominibus, per quas licitè plurima mira, & inusitata perfi-
243 ciuntur. Vnde quamuis effectus sit præstantissimus, nec videatur habere proportionem cum causa, non ideo censendus superstitiosus, cum multi valdè pręstantes effectus à causis naturalibus, vel artificiosis, aut à gratijs gratis datis mirabiliter producantur. Nec eorum mirabilis productio magię dęmoniacæ tribuenda ex eo, quod modum productionis, aut proportionem causę cũ effectu alij homines alioquin sapiẽtes
244 percipere nequeant. Neque item ob prauã operantis vitam, aut ob finem malum ab eo intẽtũ, quia gratię gratis datæ iuxta illud Matt. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus, etiam peccatoribus conferuntur, & hi eis abuti possunt: sumitur tamen aliquale indicium ex mala vita operantis, quod huiusmodi mirabilia virtute dęmonis, & non Dei fiant. Docent præter alios, Victoria de magia q. 4 num. 16. Valen. 2. 2. disp. 6. q. 13. pun. 1. & Sanch. cit. n. 41.
245 Potest tamen cognosci aliqualiter effectũ esse superstitiosũ ex circũstantijs, Primo si adhibeatur aliqua vana, & inutilis ad ipsũ causandũ tanquam necessaria vt quod debeat fieri certis diebus, certis horis, ad aspectũ, & sitũ peculiariũ stellarũ, cũ determinato numero crucium, cũ verbis incognitis &c. vt in simili dictũ paulò ante.

Item

Item ex circumstantia loci v.g. si causa sit applicanda in loco ita distāti à passo, vt attenta vera philosophia iudicetur impossibile, quod possit
7 in obiectum ita remotum agere. Tertio ex qualitate effectus, vbi constat, quod nequeat ex causa naturali procedere, sed à bono, vel à prauo spiritu, si adiungatur aliqua circumstantia vana, ex qua apparet non esse a bono, concluditur prouenire à prauo, seu ex magia dæmoniaca; vt si quis locutionem statuæ, aut motum localem eius promittat, & circumstantia vana sit, ac impossibilis, & absurda, ni effectus sequatur, forè vt perturbet sydera, aut conterat cælum. Tradunt hos modos discernendi effectus magię dęmoniacæ ab effectibus magiæ naturalis Valentia vbi supra, & Sanchez citatus
8 num. 43. Præter dictos, assignant tres alios modos ad differentiam inter eos effectus cognoscendam Delrius lib. 2 disq. magic. quęst. 8. Videlicet si effectus non proueniat à motu locali. vt si quis flumen, aut aliud repentè apparere faciat. Secundo si id, quod apparet subito euanescat, nec permaneat. Tandem si clarè prospiciatur, quod effectus actiuitatem causæ naturalis applicatæ superet, varijs exemplis exornat idem Delrius, legas, si lubet apud ipsũ.
9 Ex dictis infero primo salutatores in sanando contra rabiem ex canis morsu, nec in vniuersum posse damnari tanquam superstitiosos, nec in vniuersum approbari, vti a superstitione liberos. Ita resoluunt Delrius lib. 1. disq. magic. cap. 3. quæst. 4. & Sanchez ibidem num. 47. post relatas duas oppositas grauium Doctorum sententias eos approbantium, & reprobantium: præcipuè ex nostra Societate Iesu approbat ipso, Azor tom. 1. instit. moral. lib. 9. cap. 25. q. 2. tenetque probabiliter virtutem sanandi, qua præditi sunt, esse naturalem, ostendens ex Plinio, & alijs antiquis inesse aliquibus hominibus virtutem sanandi tactu, sudore, odore, vel ha-
250 litu nonnullos morbos. Probabilius tamen iudicant ipse Azor, & Sanchez illam virtutem esse gratiam gratis datam à Deo concessam peculiaribus personis, aut certis familiarum viris. Atque cum hunc vsum sanandi Ecclesia permittat, non occurrit, cur hi salutatores magi superstitiosi habeantur.

251 E contra ipsos reprobant Victoria de arte magica q. 4. num. 16. & alij; & Delrius citatus ait hos salutatores esse diligenter examinandos ab Ordinarijs, an per naturalia remedia, vel gratiam gratis datam, an potius ex vi pacti cũ dæmone sanitatem tribuant, indicans posse dari vtriusque generis salutatores quod mihi
252 omnino placet Et quidem posterioris generis ex mente ipsius Delrii in triplici casu manifestè præsumuntur, primo quod aliqui eorum dicant se maiori virtute pollere ad sanandum, quo magis vino madent: dæmon enim ebrietate delectatur, & ideo id eis suadet, per eos, quæ sanat. Secundò quod affirment in præsentia alterius salutatoris prędicti maiore vi ad sanandum se sanare non posse, manifestum indicium, quod hęc maior vis procedat ex pacto cũ dæmone potentiori, qui causat talem impotentiam. Tertio quod afferant vnum salutatorem ab alijs salutatoribus cognosci, tametsi nunquam eum viderint; & hoc vti mendacium reprobat Delrius, aut cognosci per signum alicuius notæ à dæmone illis impressæ testatur.

253 Infero secundo esse superstitiosa, & prorsus damnanda artefacta quædam, quæ ad sanandum applicantur, vel ad alios effectus extraordinarios, vt sunt imagines, quas vocant astrologicas, & characteres, vt anulus sub tali cōstellatione confectus, aut imago sub tali signo in
254 lapide, aut in metallo impressa. Docet expressè D. Thomas 2. 2. q. 96. art. 2. ad 2. qui probat auctoritate Sancti Augustini referentis illa ad dæmonis ludificationes; dein efficaci ratione, eo quod forma artificialis nequit habere vim operandi ab artifice, cum in ea efficienda tantum procedat à mentis idea, hæcque non sit actiua, nempe actione, & alteratione naturali, nec etiam ex natura sua talem vim habeat; nã solum consurgit ex compositione, ordine, & figura, quæ non sunt principia agendi, neque disponunt ad recipiendam virtutem operandi ex influentia cælesti, item maximè, quia opus artificiale, vt sic pendet à voluntate artificis; ergo vt sic non erit sub influxu cæli, ac proinde non potest cōstitui principium alicuius alterationis corporum. D. Thomam sequuntur omnes, vno excepto Caietano eius interprete, qui meritò ab alijs requiritur, præcipuè à Suarez d. cap. 15. soluente eius rationes, tanquam nullius momenti.

255 Vltimo loco adiungamus duo signa ad discernendum effectus magiæ dęmoniacæ ab effectibus magiæ naturalis, vel artefactæ, aut gratiæ gratis datæ: alterum nobis tribuit, vt certum Delrius lib. 3. disq. magic. par. 2. q. 4. sec 2. nempe si ad productionem effectus requiratur fides in ipsum hominem, qui sanaturus v.g. credere quod is possit sanare. hæc ille. Tunc nullum dubium ope dęmonis ex vi pacti saltem
256 taciti effectum sanitatis causari Pono exemplum in charissimo fratre meo D. Francisco Salelles strenuo milite, à quo audiui, quod in Belgio secretum didicerit sanandi vulnera per ensalmos, vt vocant, & quod primo loco dictam fidem à vulneratis in se semper petierit, addens nunquam fuisse vsum sanare pro lucro, sed tantum in aliquo casu pauperis vulnerati, ex affectu compassionis; tunc indicaui illi esse illicitum talem vsum, & iniunxi ne amplius vllo modo sanaret.

257 Alterum signum adducit Caietanus in sum. verb incantatio, nempè si quis protestetur se non dicere talia verba, aut talia media adhibere, vt instituta à dęmone, pro tali, vel tali effectu, nec ea vllo modo ad dæmonis, sed ad Dei omnium auctoris cultum dirigere. Additque Caietanus se experiētia didicisse, facta hac protestatione non fuisse secutum effectum, qui sine ea ad prolationem quorumdam verborum sequi infallibiliter soleret, scilicet motus anuli
258 super filum. Proferam paucis pro confirmatione rem valdè miram: memini me aliquando de hac doctrina Caietani pręsentibus aliquibus è nostris fecisse mentionem coram Illustrissimo quodam Præsule; qui statim sic prorupit,

Hoc, inquit, quod dixit P. Salelles, esse sine dubio verum, patet clarè ex casu, qui iam dudum mihi contigit: Neapoli dum Philosophiæ vacare cœpissem traditum mihi secretum ad excitãdum me à somno qua hora vellem, nimirum, dum dormitum irem, proponere de hora, qua excitandus, & proferre peculiaria verba sacra ex Psalm. 107. Quo quidem cum iam toto tempore studiorum meorum Bononię, Patauij, Salamanticę, & in itineribus penè infinities vsus fuissem, semper secuto effectu: en inopinato post reditum ex Hispania Romę in quodam Templo Concionatorem audio acriter repręhendentem similia facientes, & ea vti ex pacto cum dęmone prouenientia reprobantem. Accurro inde statim ad Patrem N. de Societate Iesu antiquum meum confessarium, qui non solum audita à Concionatore confirmauit, sed ostendit etiam per modum, quo cognoscerem me à dęmone semper fuisse deceptũ, & à somno excitatum, nempe per dictam protestationem Caietani, qua præmissa licet protulerim verba illa, nequaquam amplius excitatus sum, sicque aliquoties probaui, vt magis de verita-
259 te constaret. Hactenus ita ille Pręsul, qui tametsi præstantissimus Theologus non capiebat superstitionem in tali facto, nec culpam vllam, vt ipse addidit, imò putabat opus bonum, cum verba essent sacra, & finis honestus. Atque hæc de magia dęmoniaca sanitatum operatrice.

Quid magia maleficiorum operatrix? quid & quotuplex maleficium sortilegum? & quomodo dignoscatur, an interueniat?

REGVLA CXXII.

260 DEscribitur magia operatrix maleficiorum ars, seu facultas, qua quis ope dæmonis alteri, tam circa animam, quam circa corpus, & alia bona externa diuersimode damnum pareat; maleficium vero, seu maleficum sortilegium est opus ipsius magiæ dæmo-
261 niacæ cum effectu per ipsum producto. Ab hoc autem triplex distinguitur maleficium in communi loquendo, nempe somnificum, amatorium, & hostile: atque hoc præcipuè in
262 plura subdistinguitur. Ex parte itẽ causarum efficientium instrumentorum scilicet, & materiæ, quibus nocumentum infertur, varia
263 etiam maleficiorum genera assignantur. Quę omnia facilius dignosci possunt, attentis circumstantijs loci, temporis, modi, finis &c.

---

264 SIgnificatum huius nominis maleficium latè sumptum, sicut supradictum à nobis de sortilegio, ad quoduis opus magiæ dæmoniacæ se extendit, vt patet ex communi vsu Doctorum. Nunc vtrumque sumimus strictè pro indicanda peculiari specie huius magiæ operatricis maleficiorum; idest, inferentis damna alicui ope dæmonis, vt exprimitur satis per descriptionem in Regula propositam: quam duxi ex Delrio, seu ex duabus descriptionibus ab eo formatis ad declarandam tum in genere quid sit magia dæmoniaca lib. 2. disquis. quæst. 1. tùm in specie, quid sit magia maleficiorum operatrix, seu quid maleficium lib.
265 par. 1. quæst. 1. Omnes in ea particulæ, & iam dictis sunt manifestæ, nec indigent maiori declaratione. Addidi particulam diuersimodè, vt causas, seu instrumenta, quibus magus siue maleficus (sic qui damnum infert, vocatur, sicut qui ipsum recipit maleficatus) ad damnificandum vtitur, obiter indicarem.
266 Hæc instrumenta ad septem capita reducit Delrius vltimo citatus cum alijs auctoribus, quos adducit: atque hinc bene septimembrem maleficiorum diuisionem, quasi in septem species assignat. Primò nocent malefici, vel maleficæ adiuuante dęmone per contactum realem, vi illata, sicque puerulos è cunis rapiunt, præfocant, acu post aurem infixa occidunt, ad præcipitium aliquem adducunt &c. Exempla in particulari pro singulis ex Nicolao
267 Remigio lib. 1. petenda. Secundo solo halitu, vel afflatu, sicque abortum causantes
268 puerperijs cum magnæ vitæ periculo. Tertio solis verbis, etiam solis minis, increpationibus imò & laudibus. Hinc Gentiles baccare frontem cingebant, vt læsionem propellerent. Sed hęc vt bene aduertit Delrius, opera dæmonis inferuntur, & non vi laudum, seu verborum cum hæc tantum sint signa, ad quę ex pacto
269 operatur. Quarto maleficia conficiunt vnguentis albis, aut subrufis instar bituminis, in quibus apparent permixtæ metalli micæ, simul luteę, candicantesque guttæ. Mortem inferunt hæc vnguenta, si vel summas vestes vnctio attingat, nec dubium vnguentorum huiusmodi esse auctorem diabolum; vide Re-
270 migium lib. 1. cap. 3. Quinto vtuntur herbis, festucis, & alijs similibus friuolis, in terram proiectis, quæ super gredientibus pro libito malefici morbum, vel mortem etiam inferunt.
271 Sexto lędunt pulueribus quibusdam minutis, cibo, potuiuè mixtis, aut nudo corpori applicatis, vel saltem in vestes diffusis, horum, qui mortem inferunt, nigri solent esse, qui solam ægritudinem, cinericei, vel rufi aliquando: diuersitas tamen istorum effectuum, teste Delrio, non prouenit ex diuersitate colorum, cum hi tantum sint signa, sed à dęmone, qui
272 illis appositis, varia damna infert. Septimò & vltimo, dictis pulueribus, herbis, & similibus res, & cæremonias sacras adiungunt, vt sic illa accommodent ad pręstandum effectum, vt celebrationem tot Missarum, aut recitationem Euangelij D. Ioannis per hominem indutum veste rubea formę peculiaris, super herbam, vulgò dictam prouineam, aspersionem aquæ benedictæ super pulueres &c. Nec rebus, inquit Delrius, sacris parcunt, vt quæ aspergillum pulueribus contigerat, & sic aspergens aliam aqua benedicta miseram confecit: hoc ille ex Remigio lib. 1. cap. 2.
273 A fine, seu effectu congruentius trimembris diuisio-

diuisionem huius magiæ sortilegiorum malefi-
corum operatricis assignant communiter DD.
in somnificum, amatorium, & hostile malefi-
cium, quam latissimè prosequuntur Delrius, &
Torreblança citandi, ex quibus per summa ca-
pita quidquid ad rem præsentem requisitum
videbitur attingam, simulque indicabo, vbinam
effectus magiæ dæmoniacę maleficiorum o-
274 peratricis interueniat. Nam, vt ait Suarez
lib. 2. de superstitione cap. 15. iam tradita pro
cognoscendis effectibus magiæ operatricis sa-
nitatum, inseruiunt etiam ad cognoscenda ma-
leficia, & maiori facilitate, eo quod in his plura,
& clariora sit indicia pacti cum dæmone, tum
quia cum ad deceptiones, impuritates, & iniu-
rias dirigantur; manifestè apparet diabolum ad
huiusmodi adiutorium prębere; tum etiam
quia in signis appositis nihil nisi vanitas, & irre-
ligiositas, apertaque quandoq. idololatria con-
spicitur, ita Suarez.

275 De maleficio somnifico primo loco: nullum
dubium posse immitti alicui, & iam aliquando
fuisse immissum somnium diuturnum, etiam
per spatium multorum annorum, primo à Deo
miraculosè sic per sæculum integrum septem
illis SS. qui inde septem Dormientes commu-
niter vocantur, vt tradunt Laurentius Surius,
276 & Maiol. cap. 4. fol. 164. Deinde à causis na-
turalibus, ita fortasse, ait Torreblanca lib. 2.
cap. 22 num. 2 & 4. contigisse in Germania cui-
dam rustico, qui spatio sex mensium autumna-
277 lium, & hyemalium dormiuit. Tandem à
maleficis ope dęmonis, vel alterando humores
internos, vel medijs externis, adiungendo a-
ctiua passiuis, vel certa portione, aut malo car-
mine, cum determinatis ritibus aliquos ita so-
parari, vt tamdiu in somno permaneant, nec
excitari ab vllo possint etiam iniecta vi per vel-
licationem, quamdiu signum appositum vt fax,
278 vel lampas accensa perdurat. Cuius sopo-
rationis finis est, vt interim maleficus, vel alius
quisuis damnum inferat, furetur, venenum in-
fundat, necet, adulterio mulierem contami-
net viro, & famulis dicto modo soporatis.

279 Notat tandem benè Torreblanca ibidem,
aliquando non immitti somnum à dęmone;
sed pręstigio eius fieri, vt qui verè mortuus est
appareat dormire, & excitari, sicque affirmat
de illo Epimenide, qui secundum Pausaniam.
& Eudomium plus quadraginta quieuit annos.

280 Quid iam de maleficio amatorio? omissa de-
claratione diuersorum nominum, per quæ sor-
tilegia amatoria indicantur, vt philtra egogima
cheritesia, ex gręco idiomate, de quibus eru-
ditè Delrius ibidem initio quæst. 3. supponen-
dum primo vt de fide certum nullis sortilegijs
ope dęmonis cogi posse voluntatem hominis
ad actum amoris, vel odij (vt hic coniungam
sortilegium odij ex Torreblanca cap. 48. quod
contrariorum eadem sit scientia) Nam Deus
creauit hominem & reliquit in manu Consilij
sui, Ecclesiastici cap. 17. & expressius Genes 4.
ait ipse Deus loquendo cum homine, sub te
erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, re-
linquo alios textus Scripturæ sacrę, & defini-
tiones Conciliorum pro libero arbitrio in re
adeo clara apud viros doctos, & prudentes.

281 Quamquam non ita nota apud personas vul-
gares, & mulierculas meretrices, quarum vsus
conficiendi huiusmodi maleficia frequentissi-
mus est, vt nobis Consultoribus sanctę Inquisi-
tionis manifestè constat ex innumeris penè cau-
sis, quæ quotidie tractantur in hoc sacro Tri-
bunali: vbi constitutæ, & interrogatæ, an cre-
diderint humanā voluntatem sortilegijs cogi
posse? admodum confuse respondent sæpe
non distinguentes inter appetitum sensitiuum,
& voluntatem spiritualem: crederem, quod ra-
ro formalis error in earum intellectu cōtra di-
ctam veritatem fidei reperiatur: sed de hac re
ex professo infra lib. 3. nostri operis.

282 Hoc iam supposito sortilegium amatorium
sic describitur, quod sit opus magiæ dęmonia-
cæ, quo possunt humores concitari, imagina-
tio, ac mens ipsa perturbari, & totum corpus
interius, & exterius quasi accendi; adeo vt dę-
mone varijs tentationum illecebris certante,
quis æstu quodam libidinis vexetur, tum in com
muni circa quamcumque personam, tum circa
aliquam particularem, exhibitis in memoria
eius speciebus circumstantiarum, ob quas amo-
re, & fruitione sui corporis digna videatur, at-
que substractis speciebus earum, ob quas indi-
283 gna redderetur. Tota huius descriptionis
doctrina communis est inter Theologos ex D.
Thoma, & D. Bonauentura in 4. dist. 34. & ex
alijs citatis ab eodem Delrio. Atque ita osten-
ditur, quia pręter medicamenta naturalia, vim
habentia turbādi humores, irritandi semen &c.
si applicentur à dęmone, vel à malefico, siue
exterius tantum, siue interius media potione
aliqua, post idem dęmon per se ipsum solum
causare dictos effectus, quamprimum apponū-
tur signa ex pacto, quod nullus negat.

284 Sumi aliquando res sacras, quin & hostiam
consacratam, & alia sacramenta, ad compo-
nendum sortilegium amatorium, affert benè, &
compendiosè ex alijs Torreblanca lib. 2. c 4.
num. 7 cuius hęc sunt verba: *Intra corpus*, in-
quit, *per esum, vel potum componitur ex hostia
consecrata*. Gloss. in cap. accusatus, §. sanè de
hæreticis in 6. vel nondum consecrata, sed no-
tis, & litteris sanguineis circumscripta, Oleo
sancto, Thure benedicto, Aqua baptismali, La-
pide sacro, & alijs, Ecclesiastico ritu benedi-
cta, & consecrata, vt docet Griland. de sorti-
legijs quęst. 3. num. 18. Quia diabolus sub aliquo
sanctitatis tegmine sortilegia sua abscondit, &
cultu veræ Religionis obumbrat, vt simpli-
ces credentium animos fallacijs suis decipiat,
& ad hoc etiam vti solet reliquijs Sanctorum,
cap Episcopus, & cap. aliquanti 26. q. 5 ha-
ctenus verba Torreblanchæ; nec plura addam
de sortilegio amatorio.

185 Diutius aliquantisper immorandū in decla-
rando maleficio hostili, & in nonnullis eius spe-
ciebus exprimendis. Vocatur hostile, quod
sicut hostis clam, & ex insidijs damnum homi-
ni inferat, vel aptum sit inferre, aut propterea
compositū, & applicatum à Mago, vt ex Maiol.
de admirandis natur. tom. 2 colloc. 9. docet
285 Torreblanca lib. 2. cap. 39. numer. 4. Duos
modos

modos ipsum componendi, nempe per introsumptionem, & per externam applicationem tradunt delrius disquis. magic. lib.3. par.1. q.4. sec:2. & Raphael della Torre tom.2. q 96. art.2. disp.10. Priori modo fit, vbi per cibum, vel potum venena latenter redacta in puluerem porriguntur, aut vbi per vnctionem corpora dormientium venenatis vnguentis deliniuntur, & hæc ad interiora somni calore permeant. Atquè tunc nonsolum opera diaboli ex vi pacti causantur effectus, sed atiam causæ naturales
287 ad idem concurrunt. Ac proinde in similibus casibus est difficile cognitu, an adsit maleficium; constabit tamen adesse, si multò facilius, aut citius ope dæmonis sequatur effectus, quàm si solæ causæ naturales dictæ ipsum producerent. Ita cum alijs Torreblanca lib.2. cap. 39. a num.4.

288 Posteriori autem modo per applicationem externam alicuius rei; atque hęc vt in plurimū non est causa effectus; sed merum signum, quo apposito solus dæmon ex pacto infert damnum maleficato, vt patet ex cap. Nec mirum 26. quæst. 5. ibi, Ac sine vllo veneni haustu, violentia tantum carnis interimunt, nempe dæmones, qui ad appositionem signorum ex condicto opus perficiunt: tradit idem Torreblanca.

289 Signa autem hæc diuersa solent esse, vt cum sortilegij materia sub certa forma præparata vestimento maleficiandi assuitur, vel in lecto ipsius absconditur, vel sub limine ostij, super quo sit transiturus, aut in aliquo loco subterraneo, fouea facta, susurris, & imprecationibus includitur, vt tradit Grillandus vbi supra quæst.5. num.7. simulacrum item ex certa confingitur, & eius nomine, cui damnum inferendum, baptizatur, & acubus pungitur, aut igne liquatur, & interim dæmon maleficiando, aut morbum, aùt mortem infert; de hoc Angelus in l. multi. C. de malef. & Matth. Toletus in summ. lib.4. cap. 16. num.7. & alij Nullus esset dicendi finis, si per singula discurrere vellemus, cum sint penè infinita ista signa, vt iam alibi dictum.

290 Quouis modo ex duobus dictis maleficium fiat, hoc obseruatione dignum, quòd per ipsum homini non solum in bonis externis fortunæ, ac in corpore, sensibusque corporeis; sed etiam in anima, seu potentijs eius spiritualibus ex permissione Dei, damnum inferatur; de damno circa bona fortunæ; & circa corpus, ac sensus eius cum res sit valdè certa, & clara, nihil in particulari adducam: lege Torreblancam lib.2. cap.13 & 15. Tantum cum ipso cap. 14. attingam aliquid de damnificatione in animæ potentijs: de memoria primo C. de volun-
291 tate iam dictum in sortilegio amatorio. Sicut enim potest dæmon memoriam iuuare adaptando organum, vt facilius recipiat, & firmius retineat species, aut repellendo noxia, aut applicando iuuantia per motum localem, ita contrarijs medijs valet eam debilitare, aut penitus destruere, Deo permittēte in pœnam peccatorum; hincque prouenit quandoque aliquos ea omnino priuari.

292 De intellectu pari modo asserendum, quod, & iuuari, & damnificari à dęmone possit; quam quam proprium munus est Angeli boni intellectum illuminare, & ad functiones ingenij, & iuditij aptiorem, reddere; dæmonis verò tenebras offundere, atque in amentiam per maleficium propellere: sicuti contigit paucis abhinc annis hoc in loco duabus personis admodum grauibus, vt ex manifestis signis externis non pauci ex prudentioribus ita sentiebant, quod per maleficium dæmon à recta mente eos deiecisset; tametsi à causis naturalibus solis prouenisse iudicabant; sed forte secundum alios quibus adhæreo, ab vtroque capite talis effectus
293 secutus. Quemadmodum non multis retro annis cuidam Serenissimo Principi, & per causam naturalem, & per maleficium infirmitatem, ac mortem, Deo permittente fuisse illatam non leuia extitere indicia iudicio medicorum, & Theologorum.

294 Ex dictis primò deducitur quid tenendum circa fascinationem, siuè infectionem oculis illatam. Triplex assignatur fascinatio, vulgaris, seù poetica, physica, & dæmoniaca ex D. Thoma 1. par. quæst.117. communiter recepto. Vulgaris seù poetica solummodo habet fundamentum in falsa vulgi opinione, seù in poetarum fictione, quod ex aspectu maleuoli proueniat magnum detrimentum atque proinde non subsistens a prudentibus, & doctis reproba-
295 tur. Physica verò fascinatio ab omnibus admittitur cum D. Thoma citato, & lib.2. contra gentes cap.103. quia negari non potest, quod ex effrenata animi affectione immutetur cor, & corpus ei coniunctum, ac inde ad oculos, ex oculis ad partes aeris vicinas, & medio aere ad personam ibi propinquam virus diffundatur, sicque damnum aliquod recipiat; sicuti reciperet ex aere infecto ab aspectu basilisci secundum Solinum cap.29 & alios. Vide plura de vtraque dicta fascinatione apud Delrium lib. 3 disquis. magic. part.1. quæst.3. sect.1. & Torreblancam
296 lib.2. cap 37. Quibuscum vnum verbum iam de tertia dæmoniaca, quæ est magis propria nostri instituti: hæc reperitur, quoties ex pacti expressi, vel taciti cum dæmone hic omnibus illis, quos magus liuidè, aut iracundè aspicit, damnum infert, docet expressè Diuus Thomas ibidem ab omnibus receptus.

297 Deducitur secundò quid dicendum de maleficio hostili ligaminis, seu impotentiæ coëundi? hoc inter reliqua per antonomasiam vocatur maleficium in iure canonico, cap. si per sortiarias 2. 2. quæst.1. & toto titulo, extra de frigidis, & maleficiat. Vnde constat ex communi D. Thomæ 3. part. q 58. & aliorum Theologorum in 4. dist.34., ac certa doctrina posse quem malis verbis; aut apposito signo per magum ex vi pacti cum dæmone fieri frigidum, & maleficiatum, seu inidoneum ad actum coniugij, idque frequenter diuersis contingere.

298 Modi autem, quibus talis effectus inidoneitatis ad coniugium causatur, multiplices sunt & ferè noti, vide eos ad sex capita reductos apud Torreblancam cap 42. Vbi etiam attingit signa, quibus cognosci possit, quando impotentia coeundi sit à natura, quando à dæmone per male-

maleficium, præcipuè ex eo, quia quando est ex morbo naturali frigiditatis, homo non appetit coitum; secùs, vbi prouenit à dæmone; tunc enim non solum appetit, sed virgam etiam erigit aliquando, cum ad copulam tamen accedit, ralaxatur, nec penetrare potest.

299 Tertio deducitur quid de sortilegijs hostilibus abortus, difficilis partus, & exiccationis lactis? Mirum Delrius sub eadem sectione 3 dict. quæst. 4 comprehendat hæc omnia, qui singula abundantissimè solet tractare, & Torreblanca, qui compendiosè illa in tria capita nempè 43.
300 45. & 46. diuidat. Sed omissa expressione causarum naturalium, ex quibus similes effectus sæpe proueniunt, compendiosissimè dico cum his Doctoribus, & alijs posse triplicem illum effectum causari per magos ope dæmonis ex vi pacti, vel adhibitis intrinsecè, aut extrinsecè causis naturalibus, quas ipse optime nouit, vel sine eis, solo tactu, aut malo carmine, aut alio signo apposito, cui dæmon iuxtà condictum concurrit. exempla pro vno quoque petenda à Delrio.

301 Vltimo deducitur, quid de hostili maleficio per miram in corpus ingestionem, & egestionem rerum solidarum, atque magnarum? Accipe resolutionem totidem ferè verbis, Delrij sec. 6. Prodigiosi, inquit, sunt plerique morbi per maleficium allati; sed omnium prodigiosissimus mihi videtur, quando per os, vel imum gutturem eijcit æger spinas, ossa, ligna, saxa, frusta vitrorum, acus, cultros, & alia ferramenta, glomos pilorum, pannos, setas, cornu lucernæ, & huiusmodi; quæ vel comestione, vel aliter in corpus immitti potuisse videtur impossibile, hæc ille; & statum adducit varia exem-
302 pla. Atque tandem concludit posse dæmonē ea per magos varijs modis operari, primo illudendo sensibus, vt quis putet talia in corpus ingeri, & egeri; cum tamen re vera dumtaxàt dæmon cultros veros; & huiusmodi reliquam, quæ euomitur, artificiosam materiam, quæ in ægri corpore nunquàm fuerat, vel etiam ipsos humores, qui eijciuntur, faciat apparere, cultros & reliqua illa, vel etiam sic condenset, & coloret; quod verissimum est contingere, quando res illæ, quæ visæ sunt solidæ, ac densæ, paulò post cernuntur euanescere. Præterea possunt circa fictionem res huiusmodi per dæmonem in os occultè ingeri, vndè mox eijciantur; possunt etiam alijs corporeis partibus inseri, & includi; hactenus Delrius; nec addam quidquam circa hoc, aut circa alia sortilegia, cum dicta sint satis pro præsenti Regula.

An tolli possit licitè maleficium maleficio? & an alijs medijs sacris, & naturalibus?

REGVLA CXXIII.

303 PRorsus illicitum est maleficium maleficio tollere, & à malefico etiam parato, vt sic tollat petere; imo vt tollat bono medio, vbi constat hoc ab eo ignorari, vel saltem est dubium de tali ignorantia; secùs, si sciat medio bono, & malo vti in destructionem malefi-
304 cij. Potest item licitè destrui, vel auferri signum eius, & ad destruendum ipsum, vel au-
305 ferendum à Iudice maleficus cogi debet. Applicantur etiam ad idem licitè, & conuenienter varia remedia tùm supernaturalia, seu sacra: tùm naturalia multiplicia, quibus vel cognoscitur, vel destruitur maleficium vi iniecta dæmoni saltem indirectè.

---

306 GRauis est controuersia inter Doctores de ablatione seù destructione maleficij per maleficium; pro cuius decisione duo tanquam omnino certa præmittenda cum Sanchez lib. 2. in Decal cap. 41. initio, & cum alijs. Primum est, aliqua auxilio dæmonis acquisita, quamuis illicite, vt cognitionem alicuius rei, sanitatem corporis, medicamenti notitiam, contra aliquam infirmitatem &c. posse licite retineri, atque ipsorum vsum esse licitum; si ipsa in conseruando à dæmonio non pendeant. Ratio est, quia tametsi acquisitio eorum mala fuerit, iam peccatum malæ acquisitionis transijt, nec indè in acquisitis aliquid vitiosum permanet: ergò possunt &c. Ita Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 13. punc. 2, Suarez tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 15 & Delrius lib. 2 disq. magic. quæst. 4.

307 Quamquàm pecunia, aut res similis auxilio dęmonis iniustè alicui ablata, & alteri tradita, ab hoc esset illi statim restituenda, sit de tali ablatione ipsi probabiliter constare posset. Sed moraliter loquendo nequit constare, cum è mari, vel è minis aut aliunde diabolus absque iniustitia accipere potuerit, tradit idem Sanchez cum Suarez citato cap. 17. num. 3.

308 Præmittendum secundò nunquam esse licitum vti maleficio, etiam pro quocumque fine bono obtinendo. Patet inde, quia est intrinsecè malum inuocare dæmonis auxilium per magica sortilegia: quidquid garriant Apollonius Magus, Vvierus medicus, & Godelmanus Iurisperitus, omnes hæretici, ac alij eiusdem farinæ homines, falso affirmantes contrarium, & commercium cum dæmone semper esse licitum defendentes, vt tradit Torreblanca lib. 2. cap. 50. Vndè peccat grauiter qui causa curiositatis, aut verificandi delicti, aut cuiusuis alterius finis boni inducunt aliquem magum ad conficiendum maleficium coram ipsis, puta apparere subito ranas, aut stiges vnctione quadam linitas ferri per aera &c. ob rationem
310 dictam; quia est intrinsece malum. Nec excusantur per textum in l. eorum 4. C. de maleficijs, quia ibi, vt benè cum Bart. & alijs exponit Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 95. num. 1. agitur de excusatione à pœna fori externi, si quis exerceat maleficia pro bono fine v. g. ne vi ventorum, aut grandinis fructus terræ perdantur, non vero de excusatione à culpa fori interni, quæ semper contrahitur ab rationem dictam, quia est intrinsece malum vti maleficijs propter pactum cum dæmone.

311 Quibus vt certis sic præmissis controuertitur à Docto-

à Doctoribus de hoc puncto, an sit licitum
à malefico parato, ad soluenda maleficijs ma-
leficia id petere? circa quod reijcienda statim
omnino vti falsa, & erronea (ita meritò qua-
lificat, & reijcit Sanchez primò citatus) sen-
tẽtia Aureoli in 4 dist. 34. q. 2. & Angeli in sũ-
ma verb. superstitio nu. 13. affirmantium ab-
solutè hoc licere, cogente necessitate obtinẽ-
312 di salutem. Sed oppositum constant effica-
ci ratione, quia illud solum licet tibi à para-
to petere, quod ipse aliquo modo licitè potest
facere; secus, si nullo; nam tunc cooperaris
peccato eius; quantumuis ipse sit paratissi-
mus; at ablationem maleficij per maleficium
nullus potest licitè efficere, eò quòd sit intrin
secè malum, ob pactum cum dæmone; ergo
non licebit tibi istud ab eo etiamsi parato
petere.
313 Atque est dispar ratio de petitione mutui
vel iuramenti ab vsurario parato dare ad vsu
rã, & ab infideli parato iurare per falsos Deos;
quia de se mutuũ dare, & iurare boni sunt a-
ctus, nempe ille misericordiæ, & iste Religio-
nis; ac ex sola mutuantis, aut iurantis culpa
mali fiunt; ergo perperam Aureolus, & Ange-
lus adducunt pro se hæc duo exempla. Ita
Suarez citatus, Lessius lib. 2. cap. 44. dub. 6. &
alij.
314 Addunt bene ijdem Doctores non esse li-
citum petere à malefico, vt soluat maleficiũ,
quod medio licito solui potest; vbi constat
tale medium ab eo ignorari, vel vbi est du-
bium, an ipsum ignoret; quia in primo casu
manifestè cooperaris culpæ illius; & in secun-
do exponis te periculo cooperandi. Vtrum-
que autem tunc præcipuè contingere potest,
quando petitur ab alio mago destructio illius
maleficij, cuius auctor ipse non fuit; quia
cum nesciat de loco, tempore, & de alijs cir-
cumstantijs, quibus factum, moraliter lo-
quendo, neque sciet mederi, absque alio ma-
leficio, & noua dæmonis cooperatione. Tra-
dunt Suarez vbi supra, & Delrius lib. 6. c. 2.
sect. 1. quæst. 2.
315 Superest solum difficultas in casu, quo ma
leficus cognoscit medium licitum, & illicitũ
destruendi maleficium, an liceat absolutè ab
eo petere, vt ipsum destruat? Tunc si petens
probabiliter credat fore, vt magus medio lici-
to destruat, vel est dubius, vtro illorum sit
destructurus, omnes concedunt esse licitum
petere absolute ab ipso eius destructionem.
Nam talis petitio censetur de indifferens, &
maleficus medio licito exequi potest; ergo
cessat mortale periculum cooperandi eius
culpæ; si verò petens sit certus fore vt magus
destruat medio illicito, tenet Caietanus tom.
2. opusc. tract. 12. quod non possit licitè pe-
tere.
316 Oppositum tamen vt verum bene defen-
dunt Suarez, Sanchez, & Lessius citati, post
Petrum Ledesmam de matrimonio, quæst. 58.
dub. 2. cap. 3. Enriquez lib. 12. cap. 8. & alios.
Probat Suarez hac efficaci ratione; quia peto
tunc rem, quam magus licitè præstare potest,
& habeo ius petendi, ergo non induco illum
ad malum, quamuis in petitione nihil ex pri-
mam de medio licito, nec moralem ipsi quo-
beo occasionem peccãdi: cum vtar iure meo,
& non petam ab eo vti malefico destructione
maleficij, sed absolutè in communi; & per ac-
cidens est, quòd ille malitia sua vsurus sit,
quam ego permitto, & non sum causa eius,
sicut non sum causa, quòd infidelis iuret per
falsos Deos, quando absolutè peto ab ipso iu-
ramentum; cum possit, & sciat iurare per ve-
rum Deum; etsi mihi constet esse promptum
ad iurandum per falsos Deos.
317 Quid iam de ablatione, seu destructione
signi appositi in maleficio? Concors est ferè
omnium sententia circa sequentia, vt tradit
optimè Sanchez dict. cap. 41. à num. 19. Pri-
mò posse semper licitè destrui, seu auferri si-
gnum maleficij pro obtinenda sanitate; pro-
batur inde, quia per hanc actionem auferen-
di ipsum, nullus honos dæmoni exhibetur,
nec pactum cum eo confirmatur; imo hoc sol-
318 uitur dum signum fœderis aufertur. Secun-
dò ad hunc finem auferendi signum occulti
maleficij, licitum est interrogare aliquem
maleficum, an aliquid sciat etiam via ma-
de maleficio per alium confecto, & pete-
ab ipso, vt signum eius destruat, vt ten-
319 ex charitate, sine nouo maleficio. Te-
licitum est, imò obligatorium in Iudicib
cogere maleficum ad destructionem dicti
gni, vt maleficium soluatur, & alia reme-
dia bona, & opportuna ad idem adhibere.
120 Hinc solent ipsi precipere, & licitè quid
vt corpus torquendi lauetur, & capilli in om-
nibus eius partibus, etiam pudendis tonde-
tur, ad tollendum signum, aut instrumen-
tum, aut vnctionem, vel similia, quæ sub-
sunt pro maleficijs, quibus ille forte affectus
sit insensibililatis, sustinendo tormenta sine
dolore, aut taciturnitatis omnino tacendo,
aut veritatem negando: de quibus erudi
Torreblanca lib. 2. cap. 23. post Delrium lib. 5.
321 disquis magic. sec 9. dub. 3: Qui bene notat
non carere superstitione tonsionem illam ca-
pillorum, si fiat credendo amitti vires per eã,
instar Samsonis, cum sit vana ad hunc effe-
ctum, vt ex se inefficax,
322 De remedijs supernaturalibus ad tollen-
da maleficia quid? Copiosè admodum Del-
rius lib. 6. cap. 2. sect. 3. longissima, & toto c. 3.
paucis contentus ero cum Suarez dicto cap.
17. nom. 6. & Lessio lib. 2. de iustitia capit. 44
dub. 5. quòd peropportuna sit, oratio cum
firma fide, spe, & conscientia pura; atque ad
hanc, & ad sanandum maleficiatum condu-
cet valde frequentia Sacramentorum pœni-
tentiæ, & Eucharistiæ: conducunt etiam ad
eundem finem opera misericordiæ, ieiunium,
actus humilitatis, & similia; maximè sacrifi-
cium Missæ, quod magnam vim impetrandi
323 habet. Sed hæc generalia sunt pro quacunq.
tribulatione: vnde peculiariter inseruiunt e-
xorcismi ab Ecclesia instituti, et in persona
eius fieri soliti (insaniant vtique, et fremant
contra ipsos aliqui Hæretici, teste Delrio dict.
cap. 3.) atque inde eis non exigua vis impe-

trandi

randi inest; idem dici potest de vsu aquæ bene-
dictæ, instituta etiam ab Ecclesia. Addenda
idem remedia priuata, quæ ratione significatio-
nis suæ peculiarem vim habent contra dæmo-
nem, vt est vsus nominis Iesu, & signi Crucis,
humiliatio cordis ad Deum, & similia, quæ
ille exhorret, & fugit ob superbiam suam, &
odium in Christum Dominum.

De remedijs naturalibus pro tollẽdis malefi-
cijs, aut pro expellẽdis ægritudinibus, vel læsio
nibus per ipsa causatis, nõ ad Theologos (ex qui
bus vix vllus ea admittit teste Delrio ibidem
cap.2.sect.2.) sed ad Medicos, seu Physicos,
vt ait Suarez citatus, spectat iudicium ferre, &
opportuna applicare; quamquam nec Auicen-
na, nec Galenus scripserunt, aut sciuerunt,
quidquam de maleficij curatione, quod cum
Paracelso notat Torreblanca lib.2.cap.50. Pau-
ca itaque pro re præsenti seligo ex multis,
quæ adducit idem Delrius dict. sect. 2. valdè
copiosa, & plena eruditione. Vbi primò obiter
præmittit ex communi omnium sententia, vt
certum id, quod iam lib. 2. disquis. magic. q.
27.sect.3 ex professo tradiderat, nempe nullas
res corporeas, aut remedia materialia habere
vim directè, & per se Dæmonem cogendi, vt
recedat, vel fugiat, aliquid faciat, aut face-
re desinat; sed solum indirectè, vel consequen-
ter, vt v.g. cum secundum Conradum, & Va-
lesium ab illo citatos Dæmon frequentius in-
uadat, seu per maleficium damnificet eos, in
quibus atræ bilis maior est copia, & in humo-
ribus melancholicis quasi sedem habeat, si con
tra hos medicamenta efficacia vel remedia
naturalia maleficiato applicentur, ab istis di-
rectè illi expelluntur, Dæmon verò indirectè,
seu in consequentiam, eo quod iam desint di-
spositiones ipsius Dæmonis malitiæ, & dolis
opportunæ. Alio item medio indirectè si ap-
plicato remedio naturali concurrat etiam su-
pernaturale à Deo, vel ab Angelo bono adiun-
ctum, tunc hoc in expulsione dæmonis, & de-
structione maleficij est agens primarium, & di-
rectum, illud verò secundarium, & indire-
ctum.

Hoc sic præmisso, illicò distinguit Delrius
de remedijs naturalibus, vel ad cognoscendum
an quis sit maleficiatus, seu potius sola infirmi-
tate naturali malè affectus, vel ad soluenda
maleficia, seu effectus eorum expellendos.
Prioris generis sunt plurima, de quibus exor-
cistæ aliqui, sed medici copiosius tractant: in-
ter illos excellunt Samarinus par.1. Sacerdota-
lis à cap.3. & Zacharias Vicecomes in comple-
mento exorcistæ par. 1. doctr.5. inter istos Ce-
rancus lib.3. de morbis venef. cap.13. vide apud
ipsos; esset enim nimis longum ad particularia
descendere. Posterioris etiam sunt plurima
præcipuè in lapidibus, & herbis reperiri natu-
ralem virtutem contra maleficia, & effectus
eorum. Constat ex Canone Dæmonium 26. q.
7. Vnde in cap. vlt. 26. q. 27. permittitur ener-
gumenis, & maleficiatis lapides, & herbas se-
cum deferre. Sed quinam lapides isti? Per
multos ex magis pretiosis discurrit ibidem
Delrius cum Narbodeo Gallo methro scribere
incipiens ab Adamante, & in singulis indicans
peculiarem virtutem ad prædictos effectus. Si-
militer in herbis, vt in Artemissa, Verbena,
Ruta Capraria, Cupresso, Hypericone, & in
alijs diuersis eandem virtutem agnoscit ipse
Delrius cum Aristotile, Plinio, Dioscoride, &
reliquis per eum citatis. de qua virtute fides sit
apud tales auctores; nobis, vel leuiter attigis-
se sit satis.

Sortilegia superstitiosa, seu opera magia dæmoniaca, quanam hæreticalia? quæ secus? & an vtraque sub iurisdictione Inquisitorum.

REGVLA CXXIV.

331 QValificata, & hæretica sunt quæuis sor-
tilegia, seu opera magica, in quibus
inuocatur dæmon ad facienda, vel indicanda
ea, quæ nequit facere, vel scire. Sapiunt verò
manifestè hæresim sortilegia illa, in quibus in-
teruenit expressum pactum cum eodem Dæ-
mone, etiam pro his obtinendis, vel cogno-
scendis, quæ dæmon, nec moliri, nec mani-
festare potest. Similiter illa, quibus admiscen-
332 tur res sacræ, quæcunque sint. Item illa om-
nia, quæ ex natura sua per se ferunt aliquid,
quod sit hæresis manifesta. Aliqua denique
opera magica sapiunt hæresim, saltem occul-
tam, quæ procedunt ex pacto tacito cum dæ-
333 mone. Quamquam ex hoc pacto, vt in pluri-
mum censentur sortilegia simplicia, absque
sapore hæresis: subsunt nihilominus etiam ipsa
iurisdictioni Inquisitorum.

---

334 DOctrina huius Regulæ, quæ pernecessa-
ria est Consultori Sanctæ Inquisitionis
ad qualificandum (quippe difficilior qualifica-
tio in hac materia, quam in alijs) sub termi-
nis heneralibus cum Delrio citato fuit proposi-
ta, vt comprehenderentur omnes casus præce-
dentium Regularum. Pro cuius faciliori decla-
ratione, & probatione per partes, notanda
primo ex eodem Delrio lib. 5. disquis. magic.
sect.15 differentia inter istos terminos, sortile-
gia hæreticalia, & hæretica, ac saporem hære-
sis habentia: nam hæreticale est quasi quid ge-
nericum, & commune ad hæreticum, vt quid
maius, & ad sapiens hæresim, vt quid minus.
Atque hinc ait ipse Delrius, multi errarunt,
quod hanc differentiam non aduerterint. Illud
335 factum est hæreticum (non dico est hæresis,
cum hæc ab intellectu pendeat, & huius sit er-
ror) quod Catholicæ veritati repugnat non for-
maliter, sed quasi materialiter; cum sit mate-
ria, circa quam intellectus errans adhæret hæ-
retico errori. Nam sicut hæretica propositio
dicitur ipsa enuntiatio falsa catholicæ veritati
contraria, pari modo factum hæreticum; imo
aliquando potiori ratione, quia clarius ex fa-
cto, quam ex propositione colligitur error men-
tis;

tis: vt si quis inhumaniter cogat mutuatarium
soluere vsuras, manifestius ex hac coactione
censetur hæreticus, quam ex propositione, si
pertinaciter contendat esse licitum sumere lu-
crum ex mutuo; quod benè docet Farin de
hæret q. 186. num. 43. cum Vmbert. Locat. &
cum alijs per eum citatis, ac nouissimè Torre-
blanca lib. 3. cap. 8. num. 36. Ad factum verò
336 sapiens hæresim sufficit, vt quis simpliciter
asserens aliquid, quod est contra fidem, illud
faciat; nam tunc sicut assertio eius non est hę-
retica, sed tantum sapiens hæresim; ita & fa-
ctum, adducentur postea exempla, quibus Del-
rius totum id, vt solet, exornat.

337 Hac differentia sic prenotata iam ipse Del-
rius efficaci ratione probat primam partem
Regulę, quia clarè hęreticum est credere, quod
dęmon possit scire, vel facere ea, quę sunt su-
pra eius potestatem sciendi, vel faciendi, eo
quod soli Deo sint reseruata, vt cognoscere
secreta cordis, vel futura dependentia à libero
arbitrio cogere voluntatem humanam, mor-
tuum resuscitare, ordinem totius Orbis inuer-
tere, & alia huiusmodi, ergo sortilegia, seù
opera magica, cum inuocatione dęmonis, ef-
formata ad tales effectus, erunt hęretica sine
dubio, cum ibi reperiatur species idololatrię
exhibito supremo cultu dęmoni. Ita Delrius
citans pro hac doctrina Grilland. de sortilegijs
q. 10. & Iulium Clar. §. hęresis, vers. successiuè
quęro; quibus libenter adhęreo.

338 Quod verò sapiant hęresim manifestè sorti-
legia illa; quę ex pacto cum dęmone expresso,
seu ex inuocatione eius clara, procedunt, pro
cognoscendis, aut impetrandis his, quę ipse
dęmon propria virtute scire, vel operari potest,
ostenditur sic efficaciter, quia non raro, qui in-
uocant Dęmonem, vel ineunt expressum pa-
ctum cum eo, multa pręstare solent cōtra fidem
339 Catholicam. Primo hanc abnegare, dęmoni
vti Deo cultum Latrię exhibere, à veri Dei obe
dientia se subtrahere, eius patrocinium, &
Beatissimę Marię Virginis contemnere, Sacra-
menta vti inutilia despicere, & similia, de qui-
bus iam nos alibi, & Delrius copiosè agit lib.
2. disq. magic. q. 4. cum D. Augustino lib. 10. de
Ciuitate Dei cap. 20. & cum alijs, ergo si ex vi
talis pacti expressi, vel inuocationis dęmonis
sortilegia fiant, quamuis ad effectus, quos ipse
propria virtute pręstare potest, & sępius vult,
nisi impediatur à Deo, vt ad tentandam pudi-
citiam mulieris, aut inducendam hanc ad amo
rem carnalem, ad manifestanda furta, &c. sa-
pient hęresim manifestam. Ita Barbatia cons.
55. lib. 1. quem pręter alios sequuntur, & de-
fendunt Penna in Direct. par. 2. quęst. 42. com-
ment. 67. & Delrius vbi supra, atque id tan-
quam prorsus certum absolutè tenendum.

340 Vndè nullo modo admittenda limitatio,
seu distinctio illa, sed tanquam sine fundamen-
to reijcienda, quam non pauci afferunt, prę-
sertim Penna 3. par Direct com. 68. vers. Verum
plurimum refert, Oldrad. cons. 200. & Riccius
in praxi, tom. 1. resolut. 424. num. 11. affirman-
tes tunc talia sortilegia ad effectus, quos dę-
mon pręstare potest, esse qualificata, & sapere
hęresim, quando ipse expressè inuocatur
bis deprecatiuis, vt oro, obsecro, depre
&c. non verò, si inuocetur verbis imperati
sic pręcipio, iubeo, constringo, &c. Nam
vtrisque eadem est ratio, eo quod omne
mercium cum Dęmone nobis sit interdict
vt docet Delrius dict. lib. 5. sect. 15. & Rap
de la Torre disput. 1. assert. 4. super 2. 2.
Thomę quæst. 95. artic. 4. vbi benę asserit
tinere ad societatem dæmoniacam exigere
dęmone consilium, fauorem, aut quoduis
ficij genus, siue exactio fiat deprecando, siue
imperando. Quid quod inuocatio eius per mo
341 dum imperij nulla ratione habet locum,
egregiè ostēdit doctissimus Antoninus Diana
par. 2. tract. 7. resolut 19. per hæc verba, Ri
cula, inquit, est illa distinctio, nempè per m
dum deprecationis, inuocationem dæmo
esse sortilegium hæreticale; secus autem,
efficiatur per modum imperij: nam tu quis
qui potes imperatiuè inuocare illum, de
loquendo Spiritus Sanctus apud Iob. Asser
non esse potestatem in terra, quæ compa
342 ei. Ita Diana dein pro sua, & nostra senten
tia non solum citat Simancham tit. 30.
17 Homo bonum de bonis in examine
siastico part. 1. tractat. 7. cap. 3. quæst
Farinacc. de hæresi quęstion. 181. §. 3.
88. sapientissimum Bartholomęum de
Magistrum Sacri Palatij in Apolog. 4.
Panzinibium, & Michaelem Zanardum,
rect. Theolog. par. 3. cap. 64. sed etiam in
firmationem, verba singulorum per exte
refert, vt ipse sæpe solet. Ex quibus solum
lud attingo cum Simancha citato, quod
mones, vt fatuos irrideant, atque decip
se cogi, timere, & imperari sæpius fingit.

343 Dein quotiescumque res sacræ, vt sa
menta, vel Sacramentalia, candela bene
v. g. accensa, aqua benedicta, celebratio
sarum, recitatio Orationum Diuinarum,
fectio signi Crucis, & huiusmodi alia admi
tur sortilegiis; tunc esse qualificata hæc,
pere hæresim manifestam, etiamsi solum
ctum tacitum, cum dæmone interueni
nent communiter ferè omnes, præcipue
citatos Delrium, & Torreblancam, Alpho
Castrus lib. 1. cap. 15. de iusta hæretic. puni
Penna part. 2. Direct. comment. 67. Et quide
patet hoc esse verum, & prorsus certum, qua
do dicta sortilegia fiunt ad prauum finem,
ad amorem turpem, ad vindictam, & simili
Nam credere, quod res Sacrę possint inse
uire ad tales effectus est manifesta hæresis,
hanc ad minus sapiunt huiusmodi sortile-
gia.

344 Si verò sortilegia mixta cum rebus sacris
fiant ad finem indifferentem, vt ad reuelan-
dum furtum, ad defensionem propriæ vitæ,
&c. videtur esse dubium; & non desunt, qui ne
gent sapere hæresim manifestè, maximè Iu-
lius Clarus §. hęresim. Sed immeritò, ac
iniustè iste auctor, vt aiunt Penna, & Delrius
adducti, reprehendit Barbatiam, eo quod par-
tem affirmantem teneat. Quę etiam efficaci
ratione conuincitur, quia adhuc tunc est abu-
sus

rerum sacrarum, & credere, quod istæ ex
constitutione dæmonis, & non Dei, nec Eccle-
siæ possint inseruire ad dictos fines indifferẽtes
& etiam hæresis, quam sine dubio manifestè
sapiunt talia sortilegia. Vis huius rationis
magna est, & ob eam idem dicendum in casu
illo, quem Diana ibidem discutit, nempe quã-
do quis miscuit in sortilegio hostiam non con-
secratam, super quam, vt esset accommodata
ad illud, fuerit celebrata Missa an huiusmodi
sortilegium sit hæreticale? Responsio negati-
ua est Girlandi de sortilegijs q. 10. n. 16. & alio-
346 rum. Verũ affirmatiua omnino tenenda cũ
eodem Diana, Scaccia de iudic. lib. 1. cap. 12.
n. 34. Antonio Sousa lib. 1. aphor. cap. 57 n. 11.
& cum pluribus, quos breuitatis causa omitto.
347 Sequitur indicanda quarta pars Regulæ,
nempè quod omnia sortilegia, seu opera ma-
gica sapiant hæresim manifestè, quæ natura sua
per se ferunt, seu continent aliquid, quod sit
hæresis manifesta. Ostenditur efficaciter a pa-
ritate, imò forte à maioritate rationis; quia
si in alijs quibuscumque operibus extra sorti-
legium, id verum habet, vt docent ibidem
Delrius, & Peña d. comment. 67. vers. postre-
mo generaliter, illustrans his exemplis, vt ba-
ptizare imagines, preces nefarias dæmoni fũ-
dere, idolis genua flectere, & huiusmodi, quæ
manifestam sapiunt hæresim, vt per se constat,
cum sint contra fidem, ergo similiter, seu po-
tiori ratione, si talia facta sint coniuncta cum
sortilegijs, siue cum operibus magicis, hæc
sunt qualificata, & manifestè hæreticalia.
348 Exempla sint, diuinum honorem idolis tri-
buere, adorare peculiarem stellam cultu su-
premo latriæ (quod frequenter adiungitur in
sortilegijs) proijcere salem in ignem, quamuis
non accommodatum peculiari ritu superstitio-
so, vt solet accommodari ad sortilegia, quia
etiam sine hac accommodatione ipsis adiun-
cta dicta proiectio salis in ignem, videtur indi-
care illum cultum dęmoni esse exhibitum, quẽ
Deus exigebat olim sibi exhiberi per verba
illa Leuit. cap. 2. Quidquid obtuleris sacrificij,
sale condies, nec aufers sal de sacrificio tuo,
349 in omni oblatione tua offer sal. Tametsi ipsi
dæmones, & cibos in conuiuijs solitis insipi-
dos, & actus venereos incuborum, & succubo-
rum vix vllius delectationis exhibeant; sic for-
tè Deo disponente in pœnam peccati. De hoc
sortilegio continente, proiectionem salis in
ignem, quod sit qualificatum, & sapiat mani-
festè hæresim, docet expressè Eymer. in direc.
part. 2. quæst. 43.
350 Præterea, quod præter dicta sint alia sor-
tilegia qualificata, & habentia saporem hære-
sis saltem occultę, etiamsi procedant ex solo
pacto tacito, seu inuocatione implicita dęmo-
nis, varijs exemplis, & auctoritate Doctorum
ostendemus. Tale iudicat Delrius vbi supra
sortilegium, quod quis ex consilio magi affor-
mat pro reuelatione rei furtiuę, quod sapiat
hæresim saltem occultam. Absolutè sine hac
limitatione, saltem occultam tenent idem cũ
Simancha cathol. instit. tit. 21. n. 15. Diana d.
tract. 8. resol. 15. & ante eum Bartholomæus
de Spina, vbi supra, quidquid alij in contrariũ
351 dicant. Pari modo maleficium ligaminis,
quo impeditur contractio, & vsus matrimonij;
malificia etiam, quæ fiunt ad nocendum ho-
minibus, animalibus, fructibus &c. censentur
qualificata, & hæreticalia ex constitutione In-
nocentij Tertij incip. *Summis desiderantes af-
fectibus*, indicatque bene, & defendit Farin.
de hæresi q. 181 §. 1. nu. 31. & 50. cum alijs ab
352 ipso citatis, præcipuè Delrio. Similiter hæ-
resim sapiunt multa facta lamiarum, seu stri-
garum secundum Syluestr. in summ. verb. hæ-
resis n. 1. & Roiam. sing. 98. n. 6. & Simancham
tit. 27. ob eam rationem, quod sit præsumptio
353 fidem abnegasse &c. Item facta illa supersti-
tiosa, quibus alicui creaturæ, vt loco, tempo-
ri, numero, tali personæ, ac cęremoniis plus
tribuitur, quàm Deo &c. dum creditur aliter
quam cum eis non posse obtineri id, quod de-
sideratur. Ita Farin vbi supra n. 42. cum De-
354 ciano, & Lessio, Zech. ab ipso citatis. Te-
nere pręterea ligatum dæmonem in anulo, vel
alibi, vt sortilegi falso credunt (simulat enim
ipse se ligari, vt id credentes decipiat, & vin-
cat) esse sortilegium hæreticale ex constit. Io-
annis 22. incip. *Super illius specula* probat ibi-
dem n. 28. Farinac. Qui plura similia sortilegia
adducit, quæ sapiunt hæresim; sed proposita
sufficiant: de quibus ita sentio, quod sint ali-
quo modo hæreticalia.
355 Nihilominus negari non potest, cum ab om-
nibus supponatur, vt certum, dari multa facta
superstitiosa intra latitudinem magiæ dæmo-
niacæ tàm diuinatricis, quàm operatricis, quę
sint sortilegia merè simplicia, & non sapiant
hæresim; tametsi ad ea præcedat pactum ta-
citũ cum dæmone, quod sępè efficiens ea pror-
sus ignorat. Docet de superstitionibus in cõ-
muni expresse Farin. d. n. 42. superstitiones,
inquit, non omnes sapiunt hæresim; sed illæ
dumtaxat &c. vt explicatũ iam à nobis paulò
356 ante. Idem de factis lamiarum Syluest. ci-
tatus, vt refert Farin. ibidem n. 45. quod stri-
garum sectæ sint triplicis generis, hæresis sci-
licet, superstitionis, & illusionis: ergo distinctio
ab eo assignatur inter facta earum hæreticalia,
& non hæreticalia; seu tantum superstitiosa.
Comprobant idem, quæ asserit Eymericus p. 2.
direct. q. 42 n. 2. Quidam sunt, inquit, sortile-
gi, & diuinatores meri, sicut sunt, qui agunt
merè ex arte chiromantiæ, qui ex manus li-
neamentis diuinant, & iudicant de effectibus,
& conditionibus hominis, vel qui ex equalitate
vel inæqualitate festucarum aliquid præsens,
sed absconditum indicant diuinando, & simi-
les; & isti cadunt in titulo de sortilegijs, & di-
uin. hæc Eymericus; quæ vt vera admittit eius
Commentator Peña d. comment. 67. vers. sicut
cum alijs plura exempla peti possunt ex Regu-
lis præcedentibus, nec amplius in re tàm certa
immorandum.
357 Superest vltima pars præsentis Regulæ de
Iurisdictione DD. Inquisitorum circa dicta sor-
tilegia: hi olim nequibant iudicare de sortile-
gijs merè simplicibus, aut non hæreticalibus;
sed solum de qualificatis, vel saporem hæresis

aliqualiter habentibus. Cōstat per cap. ex tuarum, extra de sortilegijs, & clarius per cap. accusatus de hæreticis in 6. §. sanè cum, ibi de diuinationibus, aut sortilegijs (nisi hæresim saperent manifestè) intromittere se non debent, nec punire talia exercentes, sed eos relinquere
358 suis iudicibus puniendos. Quæ verba, intromittere, & relinquere absolutè, vt sonant, exponit legitimè Diana d. tract. 8. resol. 111. cũ Valle de Moura, in opusc. de incant. sect. 3. c. 6. n. 10. & non quod tenentur Inquisitores remittere illos ad alios iudices, sed tantum non impedire, aut dimittere, vt illos punirent. postquam discussum ab eisdem Inquisitoribus, saperentne talia sortilegia hæresim, & repertum non sapere:

359 Notat benè idem Diana talem discussionem pertinuisse, & pertinere modo ad ipsos Inquisitores in casu dubio, ob eam rationem, quia quiuis Iudex delegatus cognoscit, an sua sit iurisdictio; ergò idē erit in Inquisitore: alioqui huius potestas, & cognitio facile subuerti potuisset, quouis affirmante sortilegia, & diuinationes non sapere manifestam hæresim, sicq. se eximente ab eius iurisdictione. Docent etiam hoc Simanchas tit. 30. n. 5. & Rodericus Acuña in tract. de confess. solicit. q. 5. num. 13.

360 Hodie tamen attento iure nouo Alexandri Sexti in constit. incip. *Cum acceperimus*, & in altera eiusdem Pontificis, incip. *Dudum*, de anno 1523. adductis à Peña in fine Direct. & citatis à Farin. de hęresi q. 182. §. 4. De quibusuis sortilegijs etiam merè simplicibus, seu non sapientibus manifestam hęresim possunt Inquisitores cognoscere, & sortilegos, ac diuinatores
361 meros, non hæreticales iudicare. In quibus Constitutionibus multi particulares casus in communi exprimũtur; sed multo plures in nouissima Constitutione Sixti V. incip *Cæli, & terræ*, sæpius à nobis citata, quā confirmauit, & ampliauit Vrbanus VIII. cōst. incip. *Inscrutabilis*, circa sortilegia fabricata ab Astrologis iudiciarijs, qui de statu Religionis Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eis consanguineorum iuditia facere, necnō eos, qui illos desuper consulere præsumpserint. Quę Constitutiones, vt sonant accipiendæ, nec vllus interpretationis locus vsquam apparet.

362 Dubitabit tamen fortè aliquis, cur hæc sortilegia merè simplicia, non hæreticalia sub iurisdictione Inquisitorum fuerint subiecta, cum Tribunalia S. Inquisitionis ad extirpationem hæreticæ prauitatis erecta fuisse censeantur? cui dubitationi, iudicium meum correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijciendo, duplici responsione ex proprio marte satisfacio. Primò respondeo causam talis dispositionis esse quod sic voluerint Romani Pontifices, & iudicauerint expedire pro bono totius Ecclesiæ.

363 Sicut enim in Regnis Hispanię, Aragonio, Gotolano, & Valentino (vt hoc obiter sit traditū cum Paramo lib. 2. de orig. sanct. Offic. tit. 2. cap 8. n. 31. & cum Diana p. 4. tract. 8. resol. 20.) de Sodomitico crimine cognoscunt Inquisitores ex concessione Clementis VII. per Bullam incip. *Si vlla*, anni 1544. tametsi non sapiat hæresim (vtique si saperet omnia Tribunalia S. Inquisitionis contra ipsum procederent) ita illi Summi Pontifices de sortilegijs simplicibus non hæreticalibus decreuerunt, vt quicumque Inquisitores sint legitimi iudices.

364 Secundò respondeo causam talis dispositionis esse, quia licet hæc sortilegia non sapiant manifestam hęresim, videtur probabile in eis reperiri suspicionem aliquam leuem de hæresi saltem occulta, vel tendentiam ad ipsam, cum procedant ex pacto tacito cum dęmone, & possit esse præsumptio de pacto expresso, & de erroribus, qui cum ipso coniuncti esse solent, vt dictum supra.

365 Tendentia autem dicta potest indicari à simili, quia quemadmodum Inquisitores procedere possunt non solum contra propositiones hæreticas, & hęresim sapientes; sed etiam contra temerarias, malè sonantes, scandalosas, piorum aurium offensiuas, vel alterius notæ, vt optimè docet Diana d. tract. 7. resol. 94. cum Petro Lorca in 2. 2. D. Thomæ quęst. 11. art. 2. disp. 4. n. 1. & cum alijs ostenditque ex concilio Constantiensi sess. 8. eò quod ad hęresim tendant: Pari modo expediens est, vt Inquisitores ipsi inquirant non solum de factis sortilegis manifestè hęreticalibus; verum etiam de alijs superstitiosis magiæ dęmoniacæ, non sapientibus manifestam hæresim, tendentibus tamen ad ipsam, temerarijs in tali materia, scandalosis piorum oculorum offensiuis &c.

366 Expressi tandem sępius, de factis seu operibus magiæ dæmoniacę: nam si quæ sunt facta superstitiosa pura, & simplicia, quæ ab illa non procedunt, nec pactum, etiam tacitum cum dæmone supponunt, probabiliter ista secundū Suarez de Religione tom. 1. lib. 2. cap. vlt. non veniunt comprehensa sub Bulla Sixti V. nec de eis Inquisitores cognoscunt, quia nec occultè hęresim sapiunt, nec ad eam vllo modo tendunt.

367 Sed talia esse rarissima meritò affirmat Valle de Moura opusc. de ensal. & incant. sect. 3. c. 1. interpretans mentem Suarez, & tradit Diana d. tract. 8. res. 107. Atque his quod Deo, sit gratiæ, vastissimæ, & difficillimæ materię superstitionum, ac magię dęmoniacæ diuinatricis, & operatricis finis impositus.

CAPVT

CAPVT XV.

De quibusuis non Sacerdotibus celebrantibus Missam, aut Confessiones Fidelium audientibus, iurisdictioni Inquisitorum subiectis?

PROOEMIOLVM,

1 PRÆSENS Caput quo compendiosius, ac breuius, eo maioris considerationis pro grauitate rei, seu enormitate duplicis delicti, de quibus in eo agitur. In Edicto Sanctę Inquisitioni his verbis linguæ vulgaris obligatio ea denunciandi omnibus iniungitur, *Che con sacrilego ardire non essendo Sacerdote s'habbiano vsurpato, ò si vsurpino di celebrare Messa, ò habbiano presunto, ò presumino di ministrare il Sacramento della Penitenza contra à i Decreti, e Constitutioni Apostoliche*, in Latinum conuersis sic. *Quod alij sacro Presbyteratus ordine nō initiati sacrilego ausu sibi vsurpauerint, aut vsurpent, celebrare Missam, vel præsumpserint, aut præsumant Christifidelibus Sacramentum Pœnitentiæ administrare*. Pro quorum sufficienti declaratione duplex tantum Regula breuissimè à nobis proponatur; sicut à Sousa duplex caput, nempè 32. & 33. lib. 1. aphoris. & à Diana duplex resol. 11. & 12. par. 4. tract. 7.

Qui per celebrantes Missam non constituti in Sacerdotij ordine intelliguntur? et quousque subditi iurisdictioni Inquisitorum?

REGVLA CXXV.

2 PResbyteratus Ordine non initiati Missas celebrantes intelliguntur tàm laici sæculares quàm Ecclesiastici, aut Religiosi, etiam in subdiaconatus, & Diaconatus gradu constituti. De his omnibus cognoscunt Inquisitores
3 fidei non solum si semel tantum celebrauerint; sed etiam si sacris vestibus induti Missam inceperint; quamuis non perueniant ad consecrationem, cum iam sic de idololatria sint suspecti.

4 DEcisio istorum omnium sumitur manifestè tùm ex decreto à sacra Congregatione Sanctæ Inquisitionis Vrbis edito, tempore Pauli IV. quod affert Diana in fine 4. part. sol. mihi 497. tum ex Bullis Pontificijs, quæ postea ad maiorem claritatem prodierunt, vt ex illa Gregorij XIII. incip. *Officij nostri*, pro Regnis præcipuè Hispaniæ, vbi adhuc dubitabatur à Doctoribus, vt in exordio ipsius Bullæ dicitur, an contra committentes hæc delicta celebrandi Missam &c possent procedere Inquisitores, alijs affirmantibus posse, alijs verò negantibus.
5 Sed per Constitutionem Gregorij sublatum fuit dubium, & iniunctum quibuscumque Inquisitoribus, vt procedant: sicut per aliam Clementis VIII. incip. *Et si alias*, in qua peculiariter exprimitur, quod ignorantiam nullum ex-
6 cuset. Tandem nouissimè prodijt Bulla Vrbani Octaui incip *Apostolatus officium*, cum confirmatione omnium, & extensione ad minores 25. annis, dummodo vigesimum sue ætatis annum complerint, quod isti ob talia crimina sint tradendi Curię sæculari per Inquisitores, vt ab ea vltimo supplicio irremissibiliter puniantur: sed de hac punitione opportunius lib. 6. nostri operis.

7 Per celebrantes Missas absque ordine Presbyteratus, quod intelligantur quicumque, & meri laici, & Ecclesiastici tàm sæculares, quàm Religiosi etiam aliquo ordine sacro insigniti, tradit Sousa citandus, & patet ex terminis generalibus dictarum Bullarum, cum formula negatiua, quoscumque comprehendente, videlicet ad ordinem Presbyteratus promotos, in ordine sacro Sacerdotis non constitutos, & si-
8 milibus. De sæcularibus laicis maximè ex illa clausula Gregorianæ, §. 1. vbi indicatur causa sic statuendi, vt se opponat errori peculiari hęreticorum. His præsertim, inquit, temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, etiam sæculares eorum Sacramētorum ministros pos-
9 se esse. De Ecclesiasticis, vel Religiosis, etiam Subdiaconatus, vel Diaconatus Ordine insignitis constat ex Clemen. §. 2. vbi præcipit taliter delinquentes realiter degradari, priusquam curiæ sæculari tradantur; at realis degradatio communiter non solet esse, nisi ab Ordinibus sacris; ergo si Diaconus, vel Subdiaconus Missam celebret, poterit contra eum Inquisitor procedere, sicut contra quemcumque laicum.
10 Ad hanc similium prosecutionem, quod vna tantùm celebratio Missæ sufficiat, & non requirantur plures. Antonio Sousa opusc. de confess. solicit. tract. 1. cap. 9. num. 11. & lib. 1. aphoris. cap. 32. n. 9. docet Diana par. 4 tract. 7. resol. 12. Fundatur hoc in maxima huius criminis enormitate, & quia ex dictis Bullis nullo modo colligitur, quod requisita sit frequentia, aut pluralitas actuum ad incurrendas pœnas ab eis
11 iniunctas; imò neque vnus omnino cōpletus, ex mente eorumdem Sousæ, & Dianæ, sed quod sufficiat, si sit inchoatus, vt si quis vestibus sacris indutus incipiat Missam, quamuis non perficiat, nec perueniat ad consecrationem.

Ratio est quia iam inde insurgit præsumptio de errore idololatriæ in mente sic inchoantis celebrare, & quod intenderit per hunc actum ad eamdem idololatriam alios inducere.

12 Limitando tamen asserunt ijdem Doctores non contrahi pœnas dictarum Bullarum ab eo qui Sacerdotalibus vestimentis induitur celebrare intendens, sed postea non celebrat, nec incipit; quia in illis solum est sermo de celebratione Missæ in re ipsa, & nõ de tantum intenta.

43 Quæ limitatio secundum Constitutiones Pontificias admittenda est; aliunde tamen propter abusum vestium sacrarum in laico posset hic ab Inquisitoribus puniri, vel saltem acriter reprehendi ob præsumptionem erroris, qui inter hereticos nostri temporis viget circa dictas vestes, quod vsus earum sit communis quibuscumque tam laicis, quàm Ecclesiasticis, vide Bellarminum.

Quid de non Sacerdotibus confessiones audientibus? & qualiter hi iurisdictioni Inquisitorum subijciantur?

REGVLA CXXVI.

14 PAri modo quicumque ad Presbyteratus ordinem non promoti, tàm Laici, quàm Ecclesiastici, etiamsi Diaconaru, vel Subdiaconatu insigniti iurisdictioni S. Inquisitionis subijciuntur, si confessiones sacramentales audiant; etiam casu, quo non tribuunt absolutionem, vndecumque id contingat; & casu quo inchoatur confessio tantùm generaliter, non expresso ali-
15 quo peccato in particulari. Secus, si non inchoatur confessio, vel non sit sacramentalis; sed tantum fiat deuotionis causa.

16 COnstat similiter ex eisdem Constitutionibus Apostolicis citatis in Regula precedenti, circa hoc eadem generalitate loquentibus. Quas legitimè interpreratur Sousa vbi supra num 3. quod in eis delicta illa celebrandi Missam, & audiendi confessiones sint sumenda diuisim, & sufficiat, si vnum vel alterum committatur ad incurrendas pœnas in eis præscriptas.

17 Legitimè etiam idem Sousa ibidem num. 4. dictas Bullas strictim interpretatur, quod ex vi ipsarum non subijciantur iurisdictioni Inquisitorum carentes ordine presbyteratus, si aliud Sacerdotis munus exequantur præter celebrationem Misse, & auditionem confessionum; quia
18 de his tantùm ibi disponitur. Atque ideo benè ait ex vi ipsarum; nam aliundè equidem si laicus v. g. ministret extremam vnctionem, baptismum solemnem &c. sine dubio iurisdictio Inquisitoris ad eum extendetur, tanquã ad suspectum de illa hæresi, cuius meminit, vt dictum supra, Gregorius XIII. in sua Constitutione citata, quod hodie purfricata fronte defendant hæretici, posse laicos esse ministros Sacramentorum, quæ doctrina est manifestè Castri Pal. tom. 1. trac. 4. disp. 9. punct. 1. vbi de hoc breuiter agens proponit titulum generalem in §. 9. de reo, inquit, non Sacerdote Missam celebrante, aut aliud Sacramentum ministrante, ac resoluit talem ministrum esse suspectum de heresi.

Aliqui, vt Sanctarellus de hæresi cap. 42. dub.
19 vnic. n. 5. & Acuña in tract. de confess. solicit. q. 13. n. 14. nolunt comprehendi sub dictis Bullis aut iurisdictioni Inquisitoris subesse illum, qui sine ordine Sacerdotij confessionem sacramentalem audiuit, sed non dedit absolutionem, & multo minus eum, qui solum in communi inceptam absque expressione alicuius peccati particularis audiuit. Ratio est, quia non ministrat tunc Sacramentum, & dispositio dictarum Bullarum videtur intelligenda de actu completo, & consũmato, cum sit valde rigorosa, cum iniungat penam vltimi supplicij omnium grauissimã.

20 Nihilominus consequenter loquendo ad dicta in superiori Regula de celebratione Misse absque consecratione, & de ea tantum inchoata à non Sacerdote, probabilius iudicio oppositum cum Freyta in editione nouissima de conf. solic. q. 18. num 36. & cum Sousa lib. 1. aphor. cap. 33. n. 3. vt refert Diana d. tract 7. resol. 11. non exprimens, an ipsis adhæreat. Ratio est, quia, quamprimum non Sacerdos incipit audire confessionem; quamuis per accidens non prosequatur, aut non tribuat absolutionem, siue ex indispositione pœnitentis, siue aliunde, iam ex tunc redditur suspectus de mala credulitate circa Sacramentum pœnitentiæ, seu de errore dicto, quod laici, seu non Sacerdotes possint esse
21 eius ministri. Confirmatur inde, quia in alijs materijs S. Inquisitionis de delicto incepto, & non consũmato cognoscunt Inquisitores, vt si quis Neophytus in fide tentet fugam ad partes Aphricæ animo apostatandi, aut si viuente adhuc prima vxore, iniat sponsalia de futuro cum secunda (hos casus sepius habuimus in nostro Tribunali Melitensi S. Inquisitionis) ergo idem erit in casu præsenti. Quod dicitur de pœna, alibi expendetur, vt in proprio loco.

22 Quando vero confessio nequaquam fuit inchoata, nulla insurgit suspicio de mala credulitate, quod patet à simili ex iam traditis cum Sousa de non inchoata celebratione Missæ, etsi paratus sit non Sacerdos ad celebrandum; ergo pari modo non inchoata auditione confessionis ob rationem eandem, quia in illis Bullis tantum est sermo de vera celebratione Missæ, & de
23 vera auditione confessionis. Atque idem dicendum in casu, quo confessio fit non sacramẽtaliter; sed consolationis spiritualis, aut humilitatis gratia, vt solet fieri, cum deest Sacerdos, in tempestate periculosa nautæ, & alij sibi inuicem confitentur, nõ est tamen confessio sacra-
24 mentalis. Nec de ea intelligitur illud Iacob. 5. Confitemini alterutrũ peccata vestra: quidquid aliqui in contrarium dicant, vt ait Bonacina disp. 5 de pœnit. q. 7. punct. 1. cũ agatur de veris Sacerdotibus, quibus præcipitur vt hoc Sacramentum sibi inuicem ministrent, vt exponunt idem Bonac. Coninch. disp. 10. dub. 1. & alij.

CAPVT XVI.

De abutentibus aliquo Sacramento, maximè confessionis in re venerea, aut in quouis delicto, iurisdictioni Inquisitorum subiectis?

PROOEMIOLVM.

1 HÆC materia delicti adeo execrandi, quoad Sacramentum Pœnitentiæ sequitur immediatè in Edicto S. Inquisitionis per huiusmodi verba, *Ch'habbiano abusato, ò abusino: il Sacramento della Penitentia contro à i Decreti, ò Constitutioni Apostoliche*, in Latinum translata sic, *quod abusi fuerint, vel abutantur Sacramento Pœnitentiæ contra Decreta, & Constitutiones Sedis Apostolicæ*. Verum non extra rem, sed valdè congruum fuit titulum huius capitis ad quoduis Sacramentum, & ad abusum in quolibet vitio extendere: quandoquidem id iam à recentioribus 2 Theologis communiter attingitur. Sed quænam Decreta, & Constitutiones de quibus in clausula Edicti proposita? Non constat omnino inter Doctores. Lærtius Cherubinus Bullarum Pontificum Collector præstantissimus, quod potuerim apud ipsum inuenire vnam tantum adducit Pij IV. incip. *Cum sicut*; eam Paramus lib. 3. de origin. Sanctæ Inquisitionis q. 10. in fine tribuit Paulo IV. atque ibidem proponit circa eandem materiam Decretum Sacræ Congregationis pronunciatum iussu Clementis VIII. quo confirmatur, ait ipse Paramus, Bulla Pauli? sed non aduertit hic auctor in tenore dicti Decreti, quod ad verbum ibidem refert, fieri expresse mentionem duarum Bullarũ Pij IV. & Pauli IV. fortè eiusdem tenoris, ac proinde Cherubinus illam Pauli IV. separatim non exhibuit. Extat etiam aliud Decretum eiusdem Sacræ Congregationis de mandato Pauli Papæ V. quod sub nomine Bullæ ipsius citant sæpè Sanctarellus, & Diana vbi infra. Prodijt postea in lucẽ egregia Constitutio Gregorij XV. incip. *Vniuersi Dominici gregis*, cum magna declaratione, & 3 extensione circa varios casus, spectantes ad hanc materiam, de quibus erat prius dubium. Tandem adest epistola ex præscripto sacræ Congregationis, seu potius Vrbani VIII. ad Archiepiscopũ Mediolanensem, in qua resoluuntur aliqua huc relata, & habetur iam communiter vti Constitutio Pontificia, cum iniungatur dicto Archiepiscopo, vt eam Episcopis suæ Prouinciæ notificet pro casibus occurrentibus. Attentis itaque dictis Apostolicis Decretis, Constitutionibus &c. decidenda omnia, quæ in Regulis sequentibus expendentur.

4 Extra eas tamen liceat mihi, vnico verbo, dubium illud resoluere, fortè iam hodie prorsus speculatiuum, nimirum, an dicta Decreta, Constitutiones &c. se extendant ad eos, qui antequam promulgarentur delicta, de quibus in eis agitur, commiserunt? Duplex est sententia, altera affirmans, altera negans, vtraque probabilis censetur à Diana part. 4. tractat. 5. resolut. 40. & pro vtraque citantur ab eo varij Doctores, pro negante Portellus, & Fagundez, quibus additur Sousa de confession. solicit. tractat. 1. cap. 20. num. 6. Quæ fundatur in eo principio, quod leges tàm ciuiles, quàm Canonicę, maximè pœnales, vt in plurimum respiciant sola futura, iuxta cap. cognoscentes de constit. & l. leges, C. de legibus, vbi dicitur, Constitutiones futuris certum est dare formam negocijs, non ad facta præterita reuocari; & intelligunt Expositores cum ampliatione, quod ita sit, etiam quando loquantur per verba de præsenti, vt ait Angelus consil. 261. numer. 5. & quando verba sunt communia, videnturque posse trahi tàm ad præterita, quàm ad futura; quasi 5 sit de ratione legis respicere futura, & non præterita, ex glos. in cap. 2. de constitut. in 6. Nihilominus ex eadem Glossa, & ex Imola in cap. vltimum de constitut. num. 12. secus se res habet, vbi paret de mente Legislatoris, quod velit legem suam extendi ad præterita, vt contingit in casu præsenti. Clarè enim deduci videtur ex ipsis Bullis citatis hoc intendisse illos Summos Pontifices, vt comprehendant crimina solicitationis in Sacramento confessionis præterita, ibi, *Quomodo-*6 *libet diffamatos &c.* & ibi super præmissis diligenter inquirentes &c. Quare hæc secunda sententia affirmans est multo probabilior, suntque pro ea Freytas in editione nouissima de confess. solicit. q. 2. num. 15. Hieronymus Rodriguez in comp. qq. Regul. resol. 131. num. 1. & Diana citatus, quibus adiungo Sanctarellum de hæresi tract. 1. cap. 26. num. 12. qui pluribus id discutit.

An abutentes Sacramento Confessionis circa alia vitia extra Venerem subsint iurisdictioni Inquisitorum? & quid de simili abusu in alijs Sacramentis?

REGVLA CXXVII.

7 QVicumque abutentes Sacramento pœnitentiæ circa alia crimina, extra rem veneream valde probabile est, quod subsint iurisdictioni Inquisitorum. Hæc tamen doctrina in praxi nusquam recepta apparet, & opposita communiter admittitur, attentis Bullis, & Decretis Pontificum citatis. Atque pari modo ex vi eorumdem philosophandum est de abusu aliorum Sacramẽtorum, etiam circa Venerem.

8 Secus ex vi iuris Diuini, & communis Pontificij quod possint, & debeant Inquisitores contra abutentem quouis Sacramento in materia cuiuslibet delicti procedere.

9 GRaues Doctores defendunt primam partem huius Regulæ, quod cognoscere possit Inquisitor de abusu Sacramenti Pœnitentiæ non solum circa libidinem, sed circa furtum etiam, homicidium, infamiam, & huiusmodi solicitando ad ista pœnitentem in actu confessionis. Ita Peña par.2. Direct. cõmen. 81. Lælius Zecchius in summ. tom. 1. tract. de fide cap. 11. num. 5. Emanuel Moura opus 1. de ensal. & incant. sect. 3. cap. 3. num. 17. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 5. de fide disp. 9. punct. 5. num. 4. optimè specificans, quod competat hoc illi ex generali facultate, quam habent Inquisitores à iure Diuino, & communi, vt dictum à nobis in Prolegomen. procedendi contra quoscumque hæreticos, aut suspectos de hæresi, qualis haud dubiè est, qui abutitur Sacramento confessionis, sollicitando ad quoduis delictum.

10 Quod ostenditur efficaciter à simili, seu potius à minori ad maius, quia si quis v. g. abuteretur vestibus sacris, aut religiosis, applicando eas ad vsus laicales, prophanos, & iocosos, insurgeret sine dubio præsumptio contra eum de mala credulitate, & possent Inquisitores ipsum

11 punire. (Sic audio fuisse aliquando ab Inquisitore huius loci punitum quemdam, qui diebus bacchanalibus habitu religioso capuccineo indutus per risum, & iocum incedebat) ergò quanto magis insurget talis præsumptio contra abutentem re multo magis sacra, nempe pœnitentię Sacramento ad furtum, homicidium, &

12 simile. Imò in hoc abusu apparet maior suspicio erroris, quàm in illo dicti Sacramenti ad rem veneream; cum abutens ipso ad hanc plus ex passione libidinis, quàm ex mala credulitate videatur induci.

13 Nihilominus apud nullum auctorem legitur, nec aliunde mihi constat, quod alicubi fuerit dicta doctrina ad praxim reducta, vt Inquisitor aliquis cognouerit de abusu Sacramenti confessionis circa alia vitia extra venerem. Et quidem in nostro Tribunali Melitensi sanctę Inquisitionis inauditum prorsus, quod quis denunciauerit talem abusum ad furtum, homicidium &c. cum tamen, me consultore teste oculato spatio 30. annorum, permultæ causæ solicitationis ad Venerem fuerint in eo tractatæ,

14 multique Confessarij puniti. Quare non pauci ex Doctoribus classicis, & Bonacina in tract. variar. disp. *6*. punct 3. Sanctarellus tractat. de hæresi cap. 46. num. *6*. Freytas in nouissima editione de confess. solicit. cap. 17. num. 21. & quæst. 8. num. 18. Sousa de confess. solic. tract. 1. cap. 13. à nu. 4. & Diana par. 4. tract. 5. resol. 17. cum alijs quos ipse citat par. 1. tract. 4 resol. 20. absolutè tenent hoc vt certum. Sed interpretandi sunt attentis Decretis, & Bullis Pontifi-

15 cum citatis. Nec valet quidquam, quod Moura vbi supra cum Acuña ait de particula, *Illicitos* in Bulla Gregorij XV. posita, nam non est extensiua ad alia vitia, cum intra idem genus libidinis se contineat, quod alia particula, *Inhonestos*, quæ in textu post illam sequitur (in quo decipitur Moura) clarè indicat; ex vi itaque iuris Diuini, & communis tantum est valdè probabilis doctrina tradita Peñæ, Castri Palai, & aliorum, quibus libenter adhæreo.

16 Dein quod abusus aliorum Sacramentorum, vt Baptismi, Extremæ vnctioni, Matrimonij &c. etiam in re venerea secundum dicta Decreta, & Bullas citatas non spectat ad iurisdictionem Inquisitorum, docent expressè Acuña quæst. 16 num. *6*. Freytas vbi supra num. 10. & Sanc. in select. disput. 11. quos citat, & sequitur Castrus

17 Palaus adductus punct. *6*. num. 3. Inde ostenditur, quia in illis nullo modo cautum fuit de simili abusu; sed de solo illo Sacramenti pœnitentiæ, in quo solicitatio ad venerem frequenter contingere solet ex occasione, quod pœnitens sua peccata carnalia Confessario manifestet; non sic in alijs Sacramentis. Vnde de his nihil ibi dispositum.

18 Prædicta autem disparitas inter pœnitentiæ sacramentum, & alia licet communiter assignetur, & vera sit; pro re tamen præsenti videtur non omnino satisfacere; nam constitutiones Pontificię in materia Sancti Officij etiam circa ea, quæ raro contingunt, quandoque rigorosissimè disponunt, vt patet exemplis adductis toto capite præcedenti, de non Sacerdotibus Missam celebrantibus, vel confessiones audientibus, quibus iuxta Bullas ibi citatas etiam pro primo lapsu ab Inquisitoribus pœna mortis iniungenda, tametsi casus hic celebrandi Missam, vel audiendi cõfessionem ab aliquo non Sacerdote rarissimè contingat, vt per se

19 stat. Ratio vtraque potissima cur contra aliquod delictum in Decretis, vel Constitutionibus Pontificijs iniungitur Inquisitoribus procedere, ea est, quod in mente committentis tale delictum, vel sit error contra fidem Catholicam, vel aliqua saltem eius præsumptio insurgat, atque hanc, aut illarum similes Bullæ Papales necessario supponunt. Vnde consequenter loquendo (saluo quoad hoc meliori Doctorum, aut Romanæ Ecclesiæ iudicio) dicendum est, quod ante earum emanationem potuerint iam Inquisitores contra committentes similia delicta procedere per facultatem generalem, vt aiebat Castrus Palaus, quam à iure Diuino, & Canonico habent procedendi contra quemcumque de hæresi suspectum.

20 Sed quæres ad quid inseruiant Bullę dictæ Pontificiæ, si antequam edantur iam aliunde Inquisitores habent suam iurisdictionem? Respondeo inseruire ad multiplices effectus, Primò ad prescribendas grauiores pœnas pro maiori enormitate delictorum. Secundò ad excitandam iurisdictionem, si fortè obdormiebat, vel frigescebat, vt diximus in Prolegom. de simili excitatione iurisdictionis in Episcopis cõtra hæreticos, quem à iure Diuino habebant. Tertio ad eam modificandam in ratione procedendi, vel etiam augendam; non quod iam prius sufficientem non haberent Inquisitores.

21 Quare quod per hanc ipsi, & debeant procedere contra abutentem quouis Sacramento in materia cuiusuis delicti, vt dicitur in vltima parte Regulæ, fit mihi valdè probabile ex ea doctrina Peñę, Castri Palai, & aliorum supra iam tradita, & efficaci ratione stabilita, nempe

quod

quod de abusu Sacramenti Pœnitentię in quibuscumque vitijs possint Inquisitores cogno-
22 scere. Et confirmatur ex clausula quadam Bullæ Pij Quarti citatæ, ibi, nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè senserint, Sacramentis in Ecclesia institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant, ex quo loquendi modo generali, & indefinito à contrario sensu deducitur, quod malè sentiant de fide, qui abutuntur quouis Sacramento, quamquam Papa in ea Bulla postea solum de abusu Sacramenti Pœnitentiæ in re venerea di-
23 sponit. Hanc meam resolutionem ad modum probabilem iudicant viri doctissimi à me consulti, præcipuè Illustrissimus, & Reuerendissimus Dominus Inquisitor, & Delegatus Apostolicus in hac Insula, & locis ei adiacentibus, D. Fabius Ghisius Episcopus Neritonensis, innitentes maximè doctrinæ Peñę, Castri Palai, & aliorum firmiter stabilitæ, quæ valde notanda pro casibus similibus in hac materia, de quibus statim dicetur.

Qui nomine solicitantium in confessione veniunt? & qualiter diffamati, vt subsint iurisdictioni Inquisitorum?

REGVLA CXXVIII.

24 VEniunt intelligendi nomine solicitantium in confessionis Sacramento quicumque Sacerdotes cuiusuis gradus, & præeminentiæ. Item Sacerdotes facultate, seu iurisdictione ad audiendum confessiones, vel ad absoluendum à peccatis carentes, vndecumque hęc carentia proueniat, & licet sit nota
25 etiam pœnitenti. Non vero interpretes confessionum, siue Sacerdotes siue Laici sint, ex vi Decretorum, & Bullarum Pontificum: secus vero probabiliter ex vi iuris Diuini, vel Cano-
26 nici. Nequaquam tamen requiritur, diffamati reperiantur infamia propriè, & simpliciter dicta, sed sufficit qualiscumque, vt iurisdictioni Inquisitorum subsint.

---

27 DE solo abusu Sacramenti Pœnitentiæ ad venerem tantum, tàm in hac, quam in sequentibus Regulis agimus: (de abusu aliorum Sacramentorum, & ad alia delicta, vltra venereum, sufficiant tradita Regula precedēti) de eo copiosissime tractant ex recentioribus Diana duplici tractatu in prima par 4. & in quarta par. 5. Castrus Palaus vnico, non quidem exiguo, & Sanctarellus duobus capitibus 44. & 45. sed vix vllus ordo in hac materia ab eis seruatur, sed vt occurrunt dubia discutiuntur, & resoluuntur. Vnde claritatis gratia perpendendo circumstantias personarum rei, loci, temporis, modi &c. procedemus.

28 Perpendit hic ex professo Castrus Pal citatus punct. 9. illud dubium, an Episcopi, Nuncij, & similes Officiales Sedis Apostolicę, sint sub iurisdictione Inquisitorum, & his denunciandi ob solicitationem ad turpia in confessione? & similiter quoad hoc, an vnus Inquisitor alteri subijciatur? verum tale dubium commune est respectu cuiusuis delicti spectantis ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, vt si Episcopus v. g. hæreticaliter blasphemet, aut hæreticam propositionem proferat, aut similem operationem exequatur? Vnde ne actum agamus, videat Lector iam tradita à nobis tribus Regulis 28. 29.
29 & 30. Nunc solum in communi addimus, nulli delinquenti in materia hæresis, vel præsumptionis eius deesse Inquisitorem, cui subsit, & dictos Episcopos, Nuncios, & similes respectiuè subesse, vel supremo Inquisitori Romano Pontifici, vel sacræ Congregationi Vrbis, vel Generali Hispaniarum &c.

30 Circa Sacerdotes facultate, seu iurisdictione ad ministrandum Pœnitentię Sacramentum, quouis modo carentes, diuisi sunt Doctores; negantem partem sequuntur Portellus in additionibus ad dubia regularia verb. solicitare, num. 13. Sousa lib. 1. aphor. cap. 34 num. 16. & Estephanus Fagundez de precept. Eccles. par. 2 lib 4. cap. 3. num. 79. Ratio est quia tunc realiter non fit Sacramentum, & Sacerdos solicitans hoc scit; ergo solicitando non infert ei iniuriam, neque est presumptio, quod de ipso malè sentiat, & consequenter non subijcietur Inquisitori.

31 Pars tamen affirmans vti certa prorsus tenenda, quod Sacerdos facultate absoluendi priuatus, si solicitet in confessione taliter inualida, subsit iurisdictioni Inquisitorum. Ita Ioannes Sancius in select. disp. 11. num. 39. Acunna tract. de confession. solicit. q. 14. num. 4. Castrus Palaus vbi supra punct. 9. num. 1. & Diana par. 1. tract. 4. resol. 17. & par. 4. tract. 5. resol. 8.

32 Et quidem attento tenore Constitutionis Gregorij XV. nullum potest esse dubium circa rem istam, cum in ea expresse disponatur, vt quiuis Sacerdos solicitans ad venerem sub pretextu confessionis fiat reus ab Inquisitore puniendus; at Sacerdos iurisdictione carens, si solicitet pœnitentem ad turpia, ad minus sub pretextu confessionis id facit; ergo fiet reus dicto modo. Nam etiam tunc quamuis non conficiatur verè Sacramentum, insurgit aliqualis præsumptio malæ credulitatis contra sic solici-
33 tatem. Addit autem benè Sancius vbi supra, esse hoc verum etiam quando tam persona solicitata, quàm solicitans sunt in mala fide circa dictam carentiam iurisdictionis.

34 Quid quòd in terminis cuiusuis Bullæ, aut Decreti aliorum Pontificum idem omnino est affirmandum, vt docet idem Diana post Castrū Palaum citatum adductis ab illo huius verbis efficacem rationem continentibus; vnde nec
35 grauabor ego ea adducere. Certum, inquit, esse debet, Sacerdotem iurisdictione carentem ad audiendas confessiones, si exponatur illas audire, & pœnitentem solicitet, fore denunciandum, quia absolutè censetur confessarius, cum ordinis potestatem habeat, & à peccatis venialibus, & mortalibus confessis possit absoluere, & ab omnibus in articulo mortis: alias

possit

posset quilibet Sacerdos solicitãs affirmare, ausum fuisse solicitare pœnitentem, eo quod iurisdictionem non haberet ad absoluendum à peccatis, quæ sibi erãt confessa, quod esset eludere Decreta Inquisitionis, & Constitutiones Pontificum: hactenus Palaus. Ad rationem pro parte negante iam patet solutio ex dictis.

36 De Interpretibus confessionum, si in eis solicitent, quid? subsunt ne Inquisitoribus ex vi Decretorum, & Bullarum Pontificum? Aliqualis est etiam difficultas; Freytas additionator Acuñæ tract. de confess. solic. q. 15. nu. 27. & in editione nouissima, num. 37. affirmanter

37 respondet. Sed oppositum meritò alij communiter defendunt, vt Ioannes Sancius in select. disp. 11. num. 10. Castrus Palaus tractat. 4. disp. 9. punct. 9. num. 6. Fagundez de præcept. Ecclesiæ par. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 78. Diana par. 4. tract. 5. resol. 9. & Sousa lib. 1. aphoris. cap. 34. num 14. vbi ait siue laicus, siue Sacerdos interpres mulieris confitentis, qui ipsam confitentem solicitat, non comprehenditur in Summorum Pontificum Decretis. Ratio potissima ab eis hæc assignatur, quia interpres absolutè loquendo non est Confessarius, sed potius se tenet ex parte pœnitentis: at in dictis Bullis semper est sermo de confessarijs solicitantibus; ergo &c.

38 Nihilominus ex vi saltem iuris Diuini, ac cõmunis Pontificij, interpretes confessionum solicitantes in eis, probabiliter subsunt iurisdictioni Inquisitorum ob eam rationem, quam pro sua sententia adducit Freytas, quia in hoc casu idem est fundamentũ præsumendi malam credulitatem, nempè abusus Sacramenti cum grauissimo sacrilegio, & quod sumatur ipsum Sacramentum vt medium ad peccandum; ergo insurget dicta præsumptio in interprete confessionis, & consequenter propter eam poterit Inquisitor contra ipsum procedere per generalem facultatem, quam habet procedendi contra quemcumque de mala credulitate in quauis materia fidei suspectum, vt diximus cum Peña, Palaō, & alijs.

39 Tractat hic dubium idem Castr. Pal punc. 9. num. 5. cum Acuña q. 19. num. 5. & Sancio in select. disp. 11. num. 36. de laico, qui fingit se Sacerdotem, & audiendo confessiones in eis solicitat, atque resoluit bene, quod non comprehendatur in Bullis, & Decretis disponentibus contra solicitantes, quæ tantum de veris

40 Sacerdotibus, & Confessarijs loquuntur. Comprehendi tamen addit in Constitutione Gregorij XIII. edita contra non Sacerdotes confessiones audientes; sed de hoc iam à nobis dictũ capite præcedente, ac proinde nihil in hac Regula fuit expressum, neque nunc aliud addendum occurrit.

41 Denique qualiter diffamati esse debeant prędicti solicitantes, de hoc crimine solicitationis, vt sint sub iurisdictione Inquisitorum, & his denunciandi: diuersimodè sentiunt Doctores, Fagundez vbi supra cap. 3. num. 31. & alij neganter respondent, scilicet non posse Inquisitores se intromittere in hoc delicto solicitationis nisi præcedat infamia; quia sic deducitur ex Bullis Pontificijs, ibi, *quomodolibet diffamatos*, & Constitututio pęnalis non est extendenda vltra verborum latitudinem ex Regul. odia, de Regulis iuris in 6 & ex l. cum quidem, ff. de liberis, & posthumis.

42 Verùm si auctores huius sententiæ id intelligant, vt videntur intelligere, de vera, & propria infamia, qua quis dicitur simpliciter, & absolutè diffamatus, nullo modo probabiliter loquuntur; nam sic destruunt praxim Tribunalium Sanctæ Inquisitionis; apud quæ sufficit qualiscumque infamatio de delicto cõtra fidẽ; atque in materia solicitationis innotescit hoc ex ipsa particula, *Quomodolibet diffamatos*, quam pro se Fagundez adducit; sed frustrà, nam solicitans in confessione censetur iam aliquo modo diffamatus, cum non habeat famam integram, & illæsam; sed mutilam ex notitia delicti, præsertim apud fœminas, & adsit periculum proximum publicitatis. Docent multi, præcipuè Sanctarellus dict. cap. 44. dub. vnico, num. 8. Castrus Palaus vbi supra punct. 10 num. 3. Sousa de confess. solicit. tract. 3. cap. 21. &

43 num 2. & Diana 4. par. tract. 5 resolut. 1. Qui omnes cum Penna par. 3. Direct. commen. 16 Campegio tract. de hæresi cap. 9. nu. 9 Simã Cathol. instit. tit. 3. num. 7. & cum alijs vniuersaliter, vt certum tradunt in crimine hæresi vel in præsumptione eius posse fieri inquisitionem; quamuis contra reum nulla pręcedat diffamatio, sicque est in vsu in fauorem fidei & ob delicti enormitatem.

Quænam personæ per solicitatas in confessione attentis Bullis, & Decreti Pontificijs intelliguntur? & quid circa hoc in Hispania?

REGVLA CXXIX.

44 SEcundum tenorem Bullarum Pij IV. & Pauli IV. ac Decretorum Clementis VIII. & Pauli V. nomine personarum solicitatarum in Sacramento pœnitentiæ, non solum veniunt certò fœminæ, sed etiam probabiliter masculi.

45 At ex dispositione Constitutionis Gregorij XV omnino certum est, quod tam isti, quam illæ

46 æqualiter intelligantur. Verum in Tribunalibus Sancti Officij Hispaniarum statur dictæ dispositioni priorum Pontificum, cum Gregoriana ibi non fuerit recepta.

47 COntrouerterunt semper inter se Doctores circa hoc punctum, an nomine mulierũ in Bullis Pij IV. & Paulj IV Decretisque Clementis VIII. & Pauli V. comprehendantur etiã masculi? Neganter respondent non sine aliqua probabilitate Aloysius Bariola in floribus Inquisitorum fol. 227. Fagundez trac. 2. lib. 4. cap. 3. num 31. Portellus in additionibus ad dubia regularia verb. solicitare fœminas, Paramus de orig. Inquis. lib. 3. num. 96. & alij. Fundantur

48 hac ratione, quia lex pœnalis non debet extendi

tendi, quamuis militet eadem ratio in alijs casibus diuersis ab eo, de quo ipsa disponit; patet exemplis ex iure desumptis in Clement. vnica de consanguin. & affinit. excommunicatur moniales professæ, cuicumque nubentes, & viri accipientes eas in vxores; & tamen si fœmina sęcularis nubat homini professo, nullam contrahet excommunicationem. Similiter in Tridentino sess. 25. de regularibus, cap.
49 18. fertur excommunicatio contra omnes qui cogunt mulieres ad ingrediendam Religionẽ, & non comprehendit cogentes ad ingrediendũ viros; ergo pari modo in præsenti, cum in dictis Bullis, & Decretis de solis fœminis solicitatis disponatur, nequaquam hæc dispositio de masculis etiam intelligenda.

Pars tamen affirmans, vt multo probabilior
50 in praxi recepta, & efficaciter defensa à Salcedo in pract. cap. 82. verb. deponatur, Graff. consf. de cognat. spirituali num. 45. Manuel. Rodriquez tom. 2. qq. Regul. quæst. 27. art. 3. Stephan. Quaranta in Bullario verb. confessor. & Sanctarell. citat. cap. 45. qui præ cæteris hanc controuersiam copiosè discutit, & concludit pro hac parte affirmante. Quæ inde ostenditur, quia principium illud de non extendenda
51 lege pœnali ad alios casus etiam quando videtur militare eadem ratio, licet vt verum communiter receptum ex dict. regul. odia. de regulis Iuris in 6. habet tamen hanc limitationem, nisi ex tenore ipsius legis, vel aliundè deducatur, quod hoc intenderit legislator, vt fiat extensio ad casus similes, vbi est par, vel maior
52 ratio. At ex constitutione Pij IV. clarè deduci videtur mentem huius Pontificis fuisse, vt sub nomine fœminarum, quas expressit, forte exemp. gr. quod in eis frequentius solicitatio contingat, masculi etiam comprehendantur; cum in his verba dictæ constitutionis propriè verificentur, in clausula illa iam supra addu-
53 cta. Nos, inquit, in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè senserint, Sacramentis in Ecclesia institutis abutantur, & illis iniuriam faciant, &c. & quidem maior iniuria fit Sacramento Pœnitentiæ, si in eo solicitentur masculi, quam si fœminæ; cum multo turpius crimen per illorum solicitationem committatur, ergò nomine fęminarum à maioritate rationis in dictis Bullis veniunt etiam masculi; & consequenter de solicitantibus istos in confessione ex vi illarum possunt Inquisitores cognoscere.

54 Rationi pro parte negante, & exemplis ex Clementina, & ex Tridentino adductis, & alijs quæ pro ea adduci poterant, non est cur respondeamus; cum iam ex traditis solutio pateat. Vide plura apud Sanctarellum citatum, qui multoties ibi diuersimodè, & ingeniosè sibi obijcit, & his obiectionibus valdè doctrina-
55 liter respondet. Sed pro maiori intelligentia dictorum, vltima eius verba in dicto cap. 45. ne graueris andire. Nec obstat, inquit, quod in pœnalibus, & odiosis, sit facienda stricta interpretatio l. interpretatione ff. de pœnis: nã hæc regula non procedit in his, quæ sunt eiusdem generis, cap. pœnale. 14. q. 5. & cap. Meretrices 23. q. 4. Dein in hoc casu non fit extensio sed inclusio potius, iuxta id quod dicit Glossa in cap. 1. de tempor. ordin. in 6. verb. Italiæ; satis enim est canonum conditori, si faciat mentionem de vsu magis frequenti, in quo includitur alius casus, qui non ita frequenter accidit. Deinde hic casus non est expressis verbis propositus ex quadam honestate; quia scandalum est audire, quod confessarij solicitent pueros ad nefandum crimen in Sacramento pœnitentiæ: hæc ille.

56 Laudaui, & meritò doctissimum nostrum Antonium Sanctarellum de præstantia eius, & eruditione circa rem præsentem; sed excusandus equidem, quod immoretur in resoluendo dubio apud ipsum prorsus speculatiuo: tametsi in spectantibus ad Tribunal Sanctę Inquisitionis, si practica sint, copiosius tractanda; si speculatiua, vel leuiter attingenda) & quod sæpius repetet initio, medio, & fine dicti capitis 45. potuisse de hoc esse controuersiam ante Bullam Gregorij XV & quod post eam nulla sit, sed prorsus certum; cum dicta Bulla fuerit lata contra confessarios solicitantes quamcumque personam; ibi qui personas, quæcumque illæ sint, soli citare, vel prouocare tentauerint &c: Debere autem huius constitutionis dispositionem in quibuscumque Christiani orbis partibus firmiter, ac inuio abiliter obseruari præcipit, & mandat ipse Gregorius XV. ibi. & præterea omnes hæreticę prauitatis Inquisitores &c.

57 Nihilominus quod in Regnis Hispaniarum non fuerit recepta, nec promulgata dicta constitutio Gregoriana, testatur Castrus Palaus tom. 1. tractat. 4. punct. 1. cui circa hoc pręcipuè adhibenda est fides, tum quod ibi munus qualificatoris, & consultoris sancti Officij pro meritis exercuit, tùm quod asserat se id audiuisse à Doctore Isidoro de San Vincente Inquisitore Cæsaraugustano viro pio, & valde docto, atque in rebus sanctæ Inquisitionis satis versato.

58 Hanc autem assignat causam ipse Castrus, cùr ibi Inquisitores de Constitutione adeò salutifera non curarint, nempè quod in ea ipsis ordinarij locorum in iudicando crimine solicitationis æquales fiant, cum ijdem Inquisitores secundum Bullas, & Decreta aliorum Pontificum, soli sint iudices contra solicitantes in confessione quemcumque pœnitentem, siue masculum, siue fæminam, sequendo doctrinam magis probabilem traditam: Atque hoc adhuc in illis Tribunalibus obseruatur, vt Inquisitores tantum priuatiue quoad alios quosuis Iudices de crimine solicitationis in Sacramento confessionis cognoscant.

59 Nec mirum videri debet alicui de hac obseruantia contra Gregorianam Constitutionem: nam hac non obstante, idem prorsus obseruatur in nostro Tribunali Melitensi Sanctæ Inquisitionis: quod eius Inquisitor solus procedat contra solicitantes in confessione, sicut contra committentes alia delicta, quæ sunt mixti fori, & posset secundum Canones ordinarius loci de eis cognoscere, vt de crimine
60 duplicis matrimonij. Tentauit quidem semel Tribunal Episcopale contra accipientem secundam

cundam, nondum mortua prima vxore procedere, eumque ad fustigationem condemnare, propter quod magni rumores excitati sunt; pro quibus sedandis, volente, imo rogante Ordinario per Illustrissimum Equitem Hierolosolymitanum magnæ Crucis, ne causa Romam deferretur, Dominus Inquisitor eam iterum discussit, & sententiam die quadam congregationis coram ipso Ordinario, Vicario generali, condemnatoriam ad triremes per quinquennium pronunciauit, cum hac clausula; Annullantes
61 quidquid actum est in Curia Episcopali. Quæ iterum tentauit accipere denunciationes contra quemdam sacerdotem, qui solicitauerat in confessione: sed ex meo consilio Illustrissimus Dominus Episcopus Balthasar Cagliaresius iussit in tali causa non vlterius procedere ad vitandos similes rumores, & dictas denunciationes ad nostrum Tribunal Sanctæ Inquisitio-
62 nis transmittere. Quod cum sit in possessione cognoscendi de huiusmodi criminibus, sciente; & volente Sede Apostolica, vt iam alibi attigimus, non permittet vmquam, vt Tribunal Episcopale se intromittat in eorum cognitione, atque hæc obiter sint dicta, infra agetur de competentia Iudicis ex professo.

Quid si Confessarius, & pœnitens se inuicem solicitent, ab vtrouis solicitatio incipiat? & quid si alteruter actum consummet vel tantum consentiat?

REGVLA CXXX.

63 QVoties se inuicem ad turpia solicitat in Sacramento pœnitentiæ confessarius, & pœnitens, si incipiat, vel prosequatur solicitare ille, vel saltem ex parte consentiat, semper fit certo reus sub Inquisitore secundum Bullas Pij IV. & Pauli IV. ac Decreta Clementis VIII. & Pauli V. atque multo certius secundum Constitutionem Gregorij XV. Quando vero initium, aut prosecutio solicitationis prouenit à persona pœnitente; hæc non est sub Iurisdictione Inquisitoris, attentis prædictis Decretis, & Constitutionibus, etiamsi ibi consumet actum; bene tamen probabiliter attento iure diuino, & communi; sed nullo modo, si tantum consentiat in
64 actum turpem alibi consummandum. Tenetur nihilominus denunciare confessarium solicitantem tacito proprio consensu.

65 EGimus diuisim duabus Regulis præcedentibus de solicitantibus in Sacramento Confessionis, agendum nobis de vtrisque coniunctim in hac, et sequenti, vt circumstantiam magis discutiatur: Negant aliqui quod possit procedere Inquisitor contra confessarium, quando hic, & pœnitens in confessione se mutuo solicitant, & pelliciunt, si à pœnitente actus solicitandi, & pelliciendi incipiat, & confessarius prosequatur, quia tunc non est prouocatio ex parte huius, sed in prouocationem factam consentire, & eam continuare censetur. Ita Acuña de confess. solicit. quæst. 11. num. 1. & Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 9. pun. 5. num. 4. tradunt.

66 Oppositum absolutè vt certum tenent alij, præcipue Freytas in editione nouissima de confess. solicit. quæst. 11. num. 35. Sousa lib. 1. Aphor. cap. 34. num. 11. & in opusc. de confess. solicit. trac. 1. cap. 6. num. 9. vbi efficacem sic reddit rationem; quia confessarius, inquit, in simili euentu fuit verè solicitator, animumque impudicum actu exteriori patefecit, nec vt faceret, prouocatus fuit ab incontinente fœmina, cum non ideò solicitauerit; quia solicitatus fuerit, atque adeò solicitatio fœminæ per accidens se habuit ad solicitationem Confessoris. Ex quo sequitur nullo modo excusari posse Confessarium, qui postquam fœminam prouocauit, nouit se ab illa solicitandum fore; quia hoc etiam per accidens est: hactenus Sousa; quocum in vtroque sentit Diana part. 4 tract. 5. resol. 14.
67 & addit bene, ita se habere hoc, non solum attenta constitutione Gregorij XV. secundum quam certitudo multo maior est huius partis affirmantis, sed etiam in terminis Bullarum,
68 & Decretorum cuiusuis Pontificis. Atque ego addo esse verum, siue Confessarius in ipsa confessione actum turpem exequatur, vt tactus impudicos in partibus verendis, mollitiem, &c. siue solum ibi cum pœnitente conueniat de exequendo postea alibi; vtroque enim modo reperitur vera solicitatio, vel inductio ad turpia ex parte ipsius Confessarij, licèt initium à pœnitente sumpserit.

69 Dixi, vel saltem ex parte consentiat: nam potest contingere, vt fœmina solicitet ad copulam, & Confessarius renuat, & sit contentus solis osculis, vel tactibus inhonestis. In quo casu ipsum nō fieri reum solicitationis sub Iurisdictione Inquisitoris attentis Bullis, & Decretis prædictis defendit Castrus Palaus tract. disp. 9. punct. 5. num. 4. Ratio eius est, quia fœmina solicitando ad copulam, solicitat simul ad tactus, & oscula, vtpotè præuia ad illam, ergo non solicitatur ad ipsa à Confessario, qui renuens congressum, eis solis delectatur, ergo non fit reus solicitationis.

70 Contrariam tamen doctrinam meritò defendunt Ioannes Sancius in Select. disp. 11. nu. 28. Diana dict. tract. 5. resol. 13. ob eam rationem, quia Confessarius tam à tactibus, & osculis, quam à copula feminam auertere poterat, & tenebatur, ac cooperando huius solicitationi, seu ex parte consentiendo, iam ipsam aliquo modo ad executionem huis partis solicitat, & quoad eam in abusu Sacramenti confirmat, non solum si tunc in ipsa confessione impudicè osculetur, vel tangat; sed etiam si solum conueniat cum fœmina pœnitente de osculis, & tactibus turpi-
71 bus alibi exequendis. Et quidem si femina inducat ad sodomiam, & Confessarius ad congressum naturalem prouocet, vel sit contentus de hoc solo habendo, fiet reus solicitationis ex vi Bullarum, & Decretorum Pontificum; quod vt certum tradit Diana dict. resolut. 13. etiam ex

ex mente Castri Palai ibidem; ergo idem erit,si contentus maneat solis tactibus, & osculis inhonestis,cum,licet soleant esse præuia ad copulam, reperiatur inductio ad ea, seu ad abusum Sacramenti ex parte etiam Confessarij.

Adiungit in fine illius resolutionis Diana
72 alium casum, quando fæmina confessarium solicitauit, & posteà dolore tacta pœnituit,vt absolutionem obtineat;ille verò deindè in eodem actu confessionis eam solicitat, nullum dubiũ, quod Inquisitor possit contra ipsum procedere, & quòd sit ab illa denunciandus; quia est noua solicitatio ex parte Confessoris; & non potest dici continuatio illius prioris ex parte fœminæ.

73 Et quamuis esset continuatio, adhuc deberet denunciari iuxtà iam dicta cum ipso Diana, vnde non erat cur ipse hunc casum adiungeret, cum iàm ex doctrina eius, & Ioannis Sancij duplici numero præcedenti à nobis tradita clarè innotesceret.

74 Sed de persona pœnitente confessarium solicitante quid? certum est non posse Inquisitores contra eam procedere attentis Bullis,& Decretis Pontificum citatis, siue ille cõsentiat,aùt cooperetur solicitationi, siue non; quia in eis solum cautum fuit contra confessarios solicitãtes, eò quòd istorum solicitatio frequentius contingat, & sit animorum saluti magis perniciosa.

75 Attento tamen iure communi,& diuino,valdè probabile iudico talem pęnitentem solicitantem esse sub iurisdictione Inquisitorum ex vi generalis facultatis, quam ipsi habent ad procedendum contra quemcumq;de hæresi suspectum, qualis sine dubio est pęnitens inducens confessarium ad turpia in ipsa confessione, vel extra eam exequenda. Deducitur clarè ex doctrina admodum probabili sæpius tacta Pennæ,Castri Palai, & aliorum &c.

76 Sed petes à quonam denunciandus talis pęnitens solicitans confessarium? Respondeo à quocumq;qui extra confessionem aliquid de dicta solicitatione audiuit; siue sit confessarius solicitatus, siue alius; cum omnes æquè sub edicto Inquisitoris obligatione denunciandi astringantur.

77 Restat dicendum de persona pęnitente non solicitante,sed Confessoris solicitationi tantum consentiente,hunc casum decidunt ex proprijs, & benè Sanctarellus de hæresi tract. 1. cap 44. dub.vnico num. 12. & Acuña de confess.solicitantibus,q.10.nimirum, quod talis pęnitens teneatur denunciare Inquisitoribus Confessariũ solicitantem; non tamen proprium consensum, etiamsi ab illis de hoc interrogetur; quia nemo tenetur se ipsum prodere ex cap. si quis aliquando,de pęnitentia dist.1.

78 Et addit Acuña se circa hoc consuluisse Franciscum Suarez, Doctorem celeberrimum, & ita respondisse. Sed melius eandem decisionem sumit Diana dict. tract. 5. resol.31. ex quadam Epistola Italico idiomate Cardinalis Mellini ad Cardinalem Carrafam Archiepiscopum Neapol.de mandato Sacræ Congregationis,seu Fel.Mem.Vrbani Papæ VIII.,quam ad verbum refert, & inuenies eandem in compendio paruo aliquarum Bullarum eiusdem Pontificis, & Gregorij XV.edito Neapoli. Adiungitur autem in ea epistola post decisionem propositam,vt pęnitentes, qui consenserunt solicitationi facilius inducantur ad denunciandum confessarios solicitantes per sequentia verba.

79 Significhino à i penitenti l'obligo,che hanno di denunciare i Confessori da' quali saranno stati sollecitati,& hauendogli consentito; e facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso conforme alla resolutione, che si è fatta,gli dichino apertamente che non sono tenuti à propalare il detto consenso,e che tanto i penitenti, quanto i Confessori sollecitanti procedendosi cõtro di loro,nõ saranno di ciò interrogati,e dicẽdolo da se,non si scriuerà,ne riceuerà il loro detto.

80 E quando il penitente tuttauia persistesse nella medesima renitenza; N.S.si contenta che dal Vescouo; ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denuncia per portarla subito a chi gl'hauerà data autorità di pigliarla, e se oltre le cose sudette occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre a denunciare,vuole sua Santità,che si scriua quì,e s'aspetti la risposta, & in tanto si soprasceda nell'assolutione,&c. Hactenùs verba ex illa epistola,quibus nihil aptius,nihil suauius, ad hunc finem alliciendi pœnitentes solicitatos in confessione, etiamsi consenserint, ad denunciandum confessarios ad turpia solicitantes.

81 Hinc merito reijcit Diana dict. tract.5. resol. 31.duplicem opinionem extremæ oppositam, alteram Sousæ de confess.solicit tract.2.cap.7. n.4.dicentis non teneri fæminam denunciare confessarium,si consentiat solicitationi, & exequatur eam,præsertim in ipsa confessione.

82 Alteram Freytas in editione nouissima de Confess.solicit.q.10. n.40 affirmantis teneri fæminam in tali casu non solum ad denunciandũ Confessarium solicitantem,in quo verum dicit; sed etiam ad manifestandam copulam cum eo habitam,vel alios actus turpes;quod si non manifestet, posse ab Inquisitoribus interrogari circa ista: Sed hæc doctrina, sicut,& illa Sousæ prorsus falsa; cum è diametro opponatur dispositioni in ea epistola Sacræ Congregationis, seù potius Vrbani Papæ VIII.

83 Qui admodum rationabiliter exemit a Iurisdictione Inquisitorum personas pœnitentes, solicitatas in confessione, & absolutè voluit,vt earum consensus, etiam executioni mandatus nullo modo sit casus Sanctæ Inquisitionis (tametsi aliunde videatur probabiliter esse; sicut est consensus Confessarij solicitati a pœnitente, vt Paulo ante diximus)ob finem prædictum inducendi eas ad denunciandum confessarios solicitantes,eò quod istorum solicitatio,perniciosissima sit Ecclesiæ Catholicæ atq; ingentia detrimenta ex ea contra animarum salutem proueniant.

84 Quid enim pernitiosius illi, quam abuti eo Sacramento,quod in remedium,& medicinam peccatorum, in reconciliationem cum Deo, & reparationem gratiæ deperditæ fuit institutũ? Quid maioris detrimenti animæ, quam ei loco

medicinæ venenum a Confessario propinari, & loco gratiæ reparandæ nouam occasionẽ perditionis adiũgere? Atq; ideò per Bullas, & Decreta Pontificum sunt comprehensi soli confessarij solicitantes, & exempti a Iurisdictione Inquisitorum per dispositionem dictam in illa epistola pęnitentes solicitati, etiam consentientes.

Quid si Confessarius, aut pœnitens solicitet vel solicitetur ad Lenocinium pro ipso solicitante, vel pro alio tertio?

REGVLA CXXXI.

85 CONfessarius semper est sub iurisdictione Inquisitorum, tam ex vi cuiusuis Bullæ, & Decreti Pontificum, quàm ex vi iuris diuini, ac communis, si pro se, vel pro alio solicitet in confessione ad lenocinium, aut si extrà eam solicitatus, illud ipsa exequatur, vel si ibi solicite-
86 tur & tantum consentiat. Est etiam sub eadem iurisdictione probabiliter, attento eodem iure diuino, & communi quiuis extra confessionem inducens confessarium, vel pœnitentem ad faciendum in ea lenocinium pro ipso inducente,
87 vel pro alio tertio. Pari tandem modo possunt probabiliter Inquisitores ex vi eiusdem iuris diuini, & communis procedere contra pœnitentem solicitantem in confessione ad lenocinium pro se, vel pro alio confessarium; secus si ab isto ad idem in eadem ille solicitetur, & ipse pœnitens solum consentiat.

88 HIs omnibus modis potest contingere solicitatio actiua, vel passiua de lenocinio faciendo in confessione; quos haud vllus Doctorum, quòd inuenire potuerim, omnes attingit. Solum de casu, quo Confessarius pœnitentem ad lenocinium solicitat, ex professo tractant aliqui, atqui hi circa ipsum minime concordant. Nam non posse de eo cognoscere Inquisitores ex vi Bullarum Pij IV. & Pauli IV. ac Decretorum Clementis VIII. & Pauli V. defendit cum alijs Ioannes Sancius in Select. disp. 11. nu. 44. cuius ibi hæc sunt verba; Quando Con-
89 fessarius fœminam solicitat, non quidem sibi, vel alijs copulandam, sed quòd mediet, & intercedat, vt alia fœmina in fornicationem consentiat, pœnas Breuis euitabit, cum talis solicitatio non sit directa ad exequẽdum carnis flagitium cum pœnitente fęmina. Iam verò reor ex Decreto Gregorij XV. denunciandum fore huiusmodi Confessarium, ex illis verbis, aut cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint, inhonesti sanè sermones sunt pęnitentem inducere, quòd mediet, vt alia fœmina in fornicationem consentiat. Hactenus Sancius, quem sequitur Antonius Sousa, lib. 1. Aphor. cap. 34. n. 21. Qui hoc etiam post constitutionem Gregorij adhuc probabile iudicat.
90 Sed oppositum vti multo probabilius secundum Bullas, ac Decreta priorum Pontificum, & vti omninò certum secundum Bullam Gregorianã meritò tenendum. Atque ita tenent Acuña q. 17. n. 8. ibi eius additionator Freytas n. 14; & in nouissima editione num. 19. Castrus Palaus, tract. 4. disp. 9. punc. 5. num. 2. Bonacina in tract. variar. disp. 6. punc. 3. num. 19 Peyrinus in priuil. Minim. tom. 2. constit. 4. Greg. XV. §. 5. n. 16. Sanctarellus dict. cap. 44. num. 19 in fine; & Diana, par. 1. tract. 4 resol. 19. & par. 4. tract. 5. resol. 12. Ratio efficax desumitur ex ipsis Bullis, & Decretis, quia in eis iniungitur obligatio denunciandi Inquisitoribus Confessarios, qui personas pœnitentes ad actus inhonestos prouocant, seù alliciunt: prouocans autem pœnitentem, vt mediet, absolutè prouocat ad actus inhonestos, cum illa meditatio actus inhonestus sit, & eiusdem
91 speciei cum delicto committendo. Confirmatur inde, quia Confessarius inducens ad lenocinium pœnitentem abutitur Sacramento propinans venenum ei, cui antidotum salutis propinare debebat, ergò insurgit præsumptio, quod
92 malè sentiat de ipso Sacramento. Quæ rationes etiam procedunt attentis Decretis, & Breuibus Pontificum priorum, quæ cum edita fuerint in fauorem Sacramenti pœnitentiæ, benè docet Castrus Palaus citatus non esse limitanda, sed potius extendenda.
93 Eisdem rationibus clarè innotescit, quòd Inquisitor ex vi cuiuslibet Bullæ, ac Decreti Pontificum possit inquirere contra Confessariũ, qui extra confessionem solicitatus, lenocinium in ea exercet inducendo pœnitentem ad peccandum cum solicitante, aut cum alio; ac e conuerso contra confessarium, qui in eadem confessione solicitatus ad faciendum lenocinium extra
94 ipsam consensum præstat. Primum indicat obiter Sancius per particulam illam in verbis eius adductis, sibi vel alijs, & docet expressè Sanctarellus citatus sic, dico 14; inquit, Confessarius incurrit dictas pęnas, si fęminam pœnitentem in confessione solicitet, non ad exercendos actus inhonestos secum, sed cum alio homine, etiam
95 iuxta Bullas Pij IV. & Pauli IV. Secundum de consensu præstito, nullus quòd sciam, affert, deducitur tamen manifestè ex dictis supra de alio simili consensu eiusdẽ Confessarij, quando hunc pęnitens solicitat ad peccandum secum, & ipse consentit, quia par est ratio vtriusq consensus, cum in vtroq; sit abusus Sacramenti pœnitentiæ, ac proinde insurgat præsumptio de mala credulitate in mente Confessarij.
96. Dicendum sequitur de illo, quicũque sit, qui extra Confessionem inducit Confessarium, vel pœnitentem ad lenocinium in ea faciendum pro ipso inducente, vel pro alio. Quod attento iure Diuino, & communi, talis sic inducens probabiliter sit sub iurisdictione Inquisitorum, inde efficaciter ostẽditur, quia licet inductio illa fiat extra confessionem; tamen ad abusum eius tendit, & ad maximam iniuriam Sacramento pœnitentiæ inferendam, seù est causa, vt ab alio inferatur, atq. iuxta axioma philosophicum, quod est causa causæ, est causa causati; & iuxta illud iurisperitorum, qui causam damni dat, damnum dedisse censetur; ergò per facultatem generalem, quam habent Inquisitores, vt dictum supra cum Castro Palao, & alijs, ad procedendum contra quemcumq; suspectum de mala credulitate, poterunt

terunt

tenentur ipsi contra prædictum inducentem procedere, cum præsumatur, quod malè sentiat de Sacramento pœnitentiæ; ita viri admodum docti quos consului, quandoquidem autores nihil in specie de hoc casu.

Circa pœnitentē superest duplex casus bre-
7 uiter decidendus de solicitatione eius actiua, & passiua, nimirum de actiua, si ipse in confessionē solicitet Confessarium ad lenocinium faciēdum pro se, vel pro alio. Nullum dubium, quod talis penitens, attento iure diuino, & cōmuni, sit probabiliter sub Iurisdictione Inquisitoris, & debeat huic denunciari à quocumq; qui extra cōfessionem de huiusmodi solicitatione aliquid audiuit, non verò à Confessario solicitato, ne violetur eius sigillum. Patet quia ex parte sic solicitantis est verè abusus Sacramenti pœnitentiæ, & consequenter præsumptio, quòd de ipso malè sentiat; ergo &c.

8 De solicitatione tandem passiua, si idem pęnitens in eadem confessione solicitetur à Confessario ad mediandum, & ipse consentiat solicitationi, hic consensus, tametsi ex vi iuris diuini, & communis videatur spectare ad iurisdictionē Inquisitorum; meritò tamen fuit exemptus ab ea, seu declaratus talis per Vrbanum Papā VIII. in illa epistola Regula præcedenti à nobis citata, & cum extensione, de qua ibi, ad illum finem inducendi pœnitentem solicitatūm ad denunciandum Confessarium solicitantem. Expedit
9 enim maximoperè Ecclesiæ Catholicæ pro salute animarum, vt huiusmodi Confessarij denuncientur, & pro enormitate tāti criminis puniantur, pręcipuè ad terrorem aliorum; cum sic solicitando loco reconciliationis, grauem peccati molem pęnitentibus imponant & lympidissimo fonti pœnitentiæ sacramenti lutum admisceant. Atq; hæc de solicitatione ad lenocinium in confessione, saluo meliori iudicio Doctorum, & matris nostræ Ecclesiæ Romanæ.

Quæ materia sufficiens in solicitatione, vt hæc sit casus Sacræ Inquisitionis? venialis nè tantum? an executa verbis, vel factis dubijs? an porrecta in scriptis.

REGVLA CXXXII.

100 Constituitur sub iurisdictione Inquisitorum quiuis Confessarius solicitās in cōfessione pœnitentem, etiam vbi materia, circa quā solicitationis ex se non excedit peccatum veniale, vt si laudet pulchritudinem fęminæ cō-
101 fitentis. Pari modo quādo materia eius in verbis, vel factis est ambigua, potestque de mala intentione solicitantis dubitari. Tandem vbi ipsa
102 materia contenta in scriptura à Confessario porrigitur confitenti, ab hoc alibi postea legenda.

---

103 Negant esse sub iurisdictione Inquisitorū Confessarium solicitantem in materia ex se tantum veniali, præcipuè Castrus Palaus to. 1. tract. 4. disp. 9. punc. 3. & Sousa lib. 1. Aphor cap. 35. n. 4. vbi sic ait, vt solicitans puniatur iuxtà hæc decreta, necesse est, vt actus solicitationis sit peccatum mortale, ita ille, atq; tract. 1. de confess. folic. cap. 1. n. 7. ostendit, casu quò solicitatio sit tantum circa veniale, non adesse obligationem denunciandi; quia excommunicatio maior posita in edicto Sanctæ Inquisitionis non potest iniūgi nisi pro peccato mortali, nec iniuncta pro veniali obligat. Ergo, &c.

104 Hanc tamen partem negantem, meritò reprobant, & oppositam amplectuntur plures, vt Ioannes Sancius in Select. disp. 11 nu. 22. Freytas q. 7. n. 33. Fagundez de præcept. Ecclesiæ in editione nouissima, par. 2. lib. 4. cap. 3. n. 52. Diana par. 4. tract. 5. resol. 5. & Antonius Nouarius in Summ. Bull. tit. de solicitatione in confessione
105 n. 4. Atq; addit Sancius sequentia verba; si fiāt tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè ante, vel post erunt mortalia, & damnata ob grauem iniuriam illatam Sacramento, ita ille. Ratio efficax est, quia licet respectu virtutis castitatis illa leuia sint; respectu tamen Religionis grauia censentur; sicut respectu virtutis temperantiæ, die ieiunij modicum cibi sumere, leue peccatum erit; respectu vero Religionis esset graue, si quis, illo sumpto cibo, ad Eucharistiam
106 sumendam accederet, Confirmatur, quia opinio Castri, & Sousæ præbet occasionem malis Confessarijs labendi, & prophanandi sacramētum pœnitentiæ impunè, sine periculo denunciationis, si dicant fęminis sic solicitatis illos tactus esse solum peccata venialia, & aliūdè si ipse consentiant, habebunt Confessarij interum; ergo prorsus reijcienda eorum opinio.

107 Circa exemplum in Regula expressum laudandi pulchritudinem fœminę confitentis potest esse aliqua difficultas, negatiue eam resoluit Freytas in editione nouissima de confess. solicit. q. 7. n. 44. quòd non sit casus Sanctæ Inqui-
108 sitionis huiusmodi laudatio, attento tenore cuiusuis Decreti, & Bullæ etiam Gregorianæ. Freitam sequitur ex parte Sousa lib. 1. Aphor. cap. 34. n. 5. nempe secundum Bullas, & Decreta antiquorum Pontificum; at secundum constitutionem Gregorij XV. probabilius esse ait subesse iurisdictioni Inquisitoris Confessarium, qui ex pulchritudine, venustate &c. laudauit fęminam pœnitentem in confessione.

109 Verùm melius ex vi cuiuslibet constitutionis, & Decreti affirmatiuè resoluunt alij, vt Acuña de confess. solicit. q. 7. n. 13. Sanctarellus de hæresi c. 44. n. 9. Barbosa de officio Parochi c. 19. n. 49. Bonac. in tract. variar. disp. 6. pun. 3. n. 3. & Diana par. 4. tract. 5. reso. 18. Qui benè limitant,
110 nisi fortè constet verba laudis fuisse prolata à Confessario alio fine, quàm intentione inducēdi ad actus turpes, vt si v. g. inquit, Bonacina, fœminę penitenti dicat Confessarius suæ pulchritudini, & venustati iniuriam facere prostituendo
111 se ipsam alijs. Sed adhuc ab his verbis abstinendum Confessario optimè monet Diana ibidem.

112 Hinc iam patet manifestè decisio ad aliam partem regulæ, quando continetur materia solicitationis, sub verbis, aut factis dubijs, & am-

 biguis

biguis, latetq. intentio Confessarij solicitantis, quòd hic tunc sit sub iurisdictione Inquisitoris, & debeat ei denunciari; docet expressè Peyrinus de priuileg. Minim. tom.2.const.7 Gregor. XV. §.6.num.21. exemplificans in dicta laude pulchritudinis sic: Inquisitores, inquit, possunt, & debent procedere contra Confessarios, qui non verbis expressis, sed solum tacitis, & occultis alliciunt pœnitentes ad actus inhonestos, vt si illos de pulchritudine, venustate &c. laudent,
113 ita ille. Atq. ibidem de obligatione eos denunciandi sic, *Mulieres si non solum verbis claris, sed etiam tacitis, seu obscuris, & ambiguis, seù etiam nutribus, vel tactibus fuerint à Confessarijs solicitatæ, debent eos Inquisitoribus denunciare.* Peyrino meritò adheret Diana dict. trac. 5. resol.25. & ego vtrique. Inde ostenditur, quia Inquisitoribus competit circa verba, vel facta dubia Confessarium interrogare, & explorare de mente eius, vt constet, an delictum commiserit; ergò possunt ipsum vocare, & constituere alioquin frustra in multis casibus contra hoc crimen daretur eis iurisdictio. Sed benè ad-
114 uertit Diana circa vocandum Confessarium cautè procedendum ab Inquisitoribus, & an expediat prudenter examinandum: de quo nos ex professo lib. sequenti.
115 Quoad factum dubium cum verbis ambiguis sunt varia exempla, vt si Confessarius iniungat pęnitentiam fęminæ, vt nuda ab ipso sit verberanda, esse casum Inquisitionis, maximè secuto effectu, benè docent Sousa opusc. de Confess. solic. tract. 1. cap.18. num.14. & Diana vbi supra
116 resol.47. Qui ibidem adducunt alium casum spectantem ad Sanctum officium, nempè si Confessarius petat à fæmina sibi actu confitente, vt ipsi tunc vas naturale ostendat, quod in eadem confessione dixerat ipsa morbo affectum habere; nam, cum talis petitio non dirigatur ad medicinam, tacita solicitatio præsumitur.
117 Dissident verò inter se Sousa, & Diana circa tertium casum, quando Confessarius suadet fœminæ in confessione, vt in domo eius pateat accessus alteri fœminæ, ad præbendam ipsi Confessario commoditatem peccandi cum ea, negat ille spectare ad Sanctum officium; hic verò benè affirmat comprehendi saltem in Bulla Gregorij XV. ibi, ad inhonosta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, atq; iste
118 casus ad lenocinium pertinet. Addam ego hic alium eiusdem lenocinij, quem apud nullum auctorem inueni, nimirum si audiens Confessarius seruæ v.g. confessionem, laudet pulchritudinem, & venustatem Dominæ eius, suadeatq: ipsi seruæ, vt nuncium ad dominam de huiusmodi laudibus deferat, non est mihi dubium, quod sit inductio ad lenocinium spectans ad Sanctum officium.
119 Sed quid tandem si materia solicitationis in scriptis contenta à Confessario porrigatur pęnitenti actu confitenti, ab hoc alibi postea legenda, est ne casus sanctæ Inquisitionis? Non esse indicat probabile Castrus Palaus tom.1. tract 4. disp. 6. punc.4. n.2. si scriptura non immediatè post acceptam absolutionem, sed transacto aliquo tempore legat, quia porrectio illius scripturæ non est solicitatio, cum non tunc moneatur pęnitentis voluntas ad malum: sed postea quando eam legit, ergò dum lectio eius durat adest solicitatio, & non antea; & sola solicitatio in confessione secundum Bullas, & Decreta Pontificum est casus sanctæ Inquisitionis, ergo &c.
120 Contra hoc tamen iudicium Palai, meritò insurgunt, ipsumq. improbant Fagundez de precep. Ecclesiæ in editione nouissima, par.2. lib.4. cap.3. num.62. & Diana dict. tract.5. resol.2. adhærentes Ioanni Sancio in Select. disp.11. n.33. vbi affirmanter sic ait, Confessarius pœnas Breuis non effugiet, si chartam continentem solicitationem tradat fœminæ pœnitenti, quam non statim legendam conferat; nam cum traditur charta, incipit solicitatio, & iniuria fit Sacramento, quo monendam erat pęnitenti vitam in melius mutare, instrumentum confertur, quo
121 saucietur; hæc ille. Ex quibus soluta manet ratio Castri, quia non requiritur omnino completa solicitatio, vt de ea Inquisitor possit cognoscere; sed sufficit incepta, & quidem iam incipit moraliter loquendo, quando traditur pęnitenti scriptura, in quâ solicitatio continetur; ergo &c.

Quid de circumstantia temporis, seù quando Confessarius solicitaturus, vt sit sub Iurisdictione Inquisitorum.

REGVLA CXXXIII.

122 SEcundum tenorem antiquarum Bullarum Pontificum, tunc solum fit reus probabiliter Confessarius sub Iurisdictione Inquisitorum, quando in ipsa confessione saltem inchoata, vel nondum finita pœnitentem solicitat. Idem
123 tamen erit in terminis Constitutionis Gregorij XV. si ante, vel post immediatè solicitet, vt si post datam absolutionem cubiculum ingrediatur, vt fidem confessionis tribuat iuueni confesso, huncq. ibi ad turpia inducat; secus si aliquo tempore priori, aut posteriori.

---

124 DVæ sunt Doctorum opiniones æquè probabiles circa primam partem Regulæ. Paramus de orig. Inquis. lib.3 q. 10. n.44. Rodriguez de qq. Regul. tom.2. q.27. ar.2. & 3. Henriquez in summ. lib.6. cap.17. num.4. in Glossa, littera L, & alij affirmant, attenta quauis Bulla constitui sub Iurisdictione Inquisitorum confessarium, qui immediatè ante, vel post confessionem, pœnitentem solicitat, eò quod paria sint aliquid fieri in actu confessionis, vel paulo ante, seù post, secundum Glossam, l. Pomponius, ff. de officio Proconf. & secundum doctrinam Tiraquelli de retract. conuent par.2. §.1. Gloss.4.
125 numero 25. Sed hoc probabiliter negant Fagundez de præcept. Ecclesiæ tract. 2. libro 4

cap.3.

cap.3.n.31. Portellus in addittion. ad dubia re-
gul.verb.solicitare fœminas nu.6. Diana par.1.
tract.4.resol.14.& alij,ob eam rationem,quia in
Decretis Clem.VIII.& Pauli V. expressè dicitur
***In actu audiendi confessiones, & dum eorum
audiunt confessiones***, quæ cum sint verba le-
gum penalium strictè sunt accipienda.
127 Per constitutionem tamen Gregorianam
haic opinioni neganti omnis probabilitas sub la
ta est,& illi affirmanti omnimoda certitudo ad
iuncta (excipe vbi hæc constitutio non fuit re-
cepta, puta in Hispania, vt iam supradictum) in
illa manifesta clausula, quomodolibet perpe-
tranda in actu Sacramentalis confessionis, siue
128 ante, vel post immediatè. Hoc aduerbium
immediatè, extenditur ad vtramq. particulam
ante, vel post. Exemplũ pro particula *ante con-
fessionem immediatè*, fit, quando Confessarius
fœminam ad confessionem accedentem, ante
signum Crucis solicitat, licet confessio in aliud
tempus differatur, siue quia solicitata confiteri
postea noluit, siue quia Confessarius audire re-
cusauit aut ad alium Confessarium remisit, Ver
ba sunt Sousæ de confess. solicit. tract.1 cap.18.
num 7. ita sentientis, quod sit casus sanctæ In-
quisitionis; atq Diana, par.4.tract.5.resol.39. ait,
in terminis Bullæ Gregorianæ non posse esse du-
bium quamuis in aliorum Bullarum terminis
vtraq.pars affirmans, & negans sit probabilis,
vt iam dictum.
129 Pro particula *in actu confessionis Sacra-
mentalis* oppurtunum illud exemplum, de quò
idem Diana resol.20.cum Bonacina in tract va-
riar.disp.6.pun.3.num.17.vbi sic ait fœmina nõ
obligatur ex vi constitutionum Apostolicarum
ad denunciãdum, cui expressè, vel tacitè suum
libidinosum animum ergà ipsum significauit, vt
ipsum ad peccatum induceret, & confessarius
occasionem inde arripit turpem aliquem actũ
130 cum ea exercendi. Hoc tamen intelligitur,
modo fœmina turpem suum amorem confessa-
rio significet animo ipsum prouocandi, tunc
enim ipsa dicitur solicitare Confessarium, non
autem ab ipso solicitari; secùs si hoc aperiat
Confessario animo confitendi, seù accusandi, se
de graui illo affectu, & Confessarius causam in-
dè assumat exequendæ libidinis, tunc enim cõ-
fessarius dicitur solicitare pœnitentem. Hacte-
131 nus ille, cui omnino adhęreo quoad secundũ;
quandoquidem ignoranter se accusauit in con-
fessione, dicta fœmina habuisse animum peccan
di cum ipso Confessario, quod non debuisset,
sed sufficiebat dicere in communi peccandi cũ
religioso, vel cum persona voto solemni castita-
132 tis astricta. Quoad primum, iam decisis supra
standum est, quòd ex vi iuris diuini, & commu-
nis fœmina solicitans in confessione sit denun-
cianda Inquisitori à quouis extra confessionem
talis solicitationis notitiam habente.
133 Tertia particula, *vel post immediatè*, clare
ostenditur casu illo in Regula expresso de con-
fessario post datam in Ecclesia absolutionem ad
cubiculum suum vnà cum iuuene confesso
ascendente, pro tribuenda ei in scriptis fide cõ-
fessionis, & ibi ipsum ad venerem solicitante,
quòd spectet ad sanctum officium, docent be-
nè Sousa lib.1.Aphor.cap.34.num.39.& Diana
par.4 tract.5.resol.11. quia est immèdiatè post
confessionem, imo hanc aliquo modo includit
ratione dependentiæ. Atq. est idem, ac si in ipso
confessionario post datã fidem confessionis sta-
tim confessarius pœnitentem solicitet; Vndè
sicut iste censetur casus sanctæ Inquisitionis
certò comprehensus in constitutione Gregoria-
na, ita & ille.
134 Verum quid si Confessarius audiens in con
fessione mulierem commisisse aliqua peccata
carnis, insequatur eam discedentem paulo
post ab Ecclesia, & in itinere, aut in domo eius
solicitet ipsam, erit ne reus solicitationis sub
Iurisdictione Inquisitoris? Affirmat Peyrinus
in priuileg. Minim. tom 2. constitut. 4.Gregor.
XV. schol.2.num.2. & addit idem esse casu, quò
per lenonem solicitaret; Peyrinum sequitur,
Lezana in summ.quęst regular.cap.19.n.34.
135 Audi tamen circa hoc Dianam, dict. tract 5.
resol.7. secundum aliquos, inquit si confessarius
diuertit ad alios actus, in dicto casu solicitatio,
neq. moraliter, neq. physicè incepit in locis pro-
hibitis à Pontificibus; ergo &c.& licèt Confes-
sarius vtatur scientia confessionis, non tamen
vt dictum est, solicitat pęnitentem in locis pro-
hibitis solicitare; ergò non incidit in pęnas Bul-
136 læ, neq. denunciandus erit. Imo putant, ne-
que Pontificias Bullas contrauenire, si ante di-
scessum ab Ecclesia talis confessor fœminam
solicitaret; dummodo id efficeret extra tempo-
ra, & loca in Bulla Gregor.XV. contenta. Et ita
sentiunt docti recentiores à me consulti, & prę-
sertim aliqui Magistri Illustrissimæ Societatis
Iesu; quia prætextus confessionis, de quo agitur
in Bulla, debet esse proximus, non autem remo-
tus à loco, & statu confessionis, vt docet Sousa
opus. de confess. solicit. in addition. num.10. &
idem de occasione dicendum putant; sed ego
137 in hac quæstione de meo nihil asserere volo.
Hæc doctissimus Diana Illustrissimæ Religio-
nis Clericorum Regularium, à me hic libenti
animo ad verbum translata; quandoquidem
accepta a viris doctis per ipsum consultis, ma-
gistris præsertim meæ Religionis, quibus ego vti
minimus discipulus prorsus assentior, ob vim
rationis adductæ, ibi, quia prætextus confessio-
nis, de quo &c. quæ diligenter notanda pro di-
cendis in Regula sequenti.
138 Sed quidquid sit de traditis pręcedenti nu-
mero, sufficit pro ostendenda vera vltima parte
præsentis Regulæ, quòd non sit casus sanctæ In-
quisitionis, non solum quando transacta confes-
sione post longum tempus confessarius pœni-
139 tentem solicitauit. In quo omnes conueniunt
contra Nauarrum falsò oppositum affirmãtem
lib 5. Consilior. tit. de hereticis consil.2.n.1. vt
cum Paramo de orig. Inquis. lib.3. q.10. n.91. re-
fert Diana par.1 tract.4. resol.14. Sed etiã quan-
do id facit aliquandiu, seu aliquo tempore ante,
vel post confessionem, ita vt censeatur morali-
ter loquendo non fieri in continenti, seù imme-
diatè post, vel ante præter id, quod ipsa Bulla
Gregoriana pręscribit, & docet bene Acuña de
confess. solic. q 5. num.15.

Quid de circumstantia loci, seu vbinam solicitatio exequenda, vt Confessarius solicitans sit sub Iurisdictione Inquisitorum.

REG. CAP. CXXXIV.

140 Fit reus sub Iurisdictione Inquisitorũ Confessarius, si solicitet fœminam in Confessionario, aut in quouis loco, vbi confessio Sacramentalis auditur, aut de nouo ad eam audiendam eligitur, siue re vera ipsam audiat, siue sit ibi occasione, vel prætextu confessionis, simulãs eam audire, quamuis simulatio ex parte vtriusq.
141 proueniat. Imo idem erit, si absq. huiusmodi pretextu, & simulatione stans, vel sedens in con fessionario, illam in eo etiam stantem, aut se-
142 dentem solicitet. Nequaquam tamen dicto modo reus fiet, si vocatur prætextu confessionis agendæ, & postea eandem in domo solicitet, vel ex conuentione vtriusq. præcedente rem cum ipsa habeat.

---

143 HVius Regulę maior ferè pars habetur expresse in Constitutione Gregorij XV. ibi, occasione vel pretextu confessionis huiusmodi, etiam ipsa confessione non sequuta, siue extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco quocumq. vbi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tenta-
144 uerint, &c. Et quidem si in Confessionario, seu in loco electo confessionem verè audiens Confessarius solicitet pœnitentem, res per se est manifesta, quod secundum quæcumq. Breuia, aut Decreta Pontificum, & secundum quodcumq. ius diuinũ, & humanũ iurisdictioni Inquisitorũ subijciatur, nec maiori hoc indiget probatione.
145 Si verò audire simulat, aut si in dicto Confessionario, vel loco, confessionis prætextu, potest esse dubium in aliquibus casibus. Primò si accedente illuc fœmina, & dicente se velle in crastinum confiteri, ipsam solicitet, & confessionem dissuadeat. Negat Sancius in select. disp. 11. n. 49. quia non dicitur proximè ante confessionem solicitare Sancium sequitur Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 8. num. 4. Sed
146 benè affirmant Fagundez de præcept. Eccl. in vltima editione par. 2. lib. 4. cap. 2. num. 49. & Diana par. 4. tract 5. resol 6. ob hanc rationem, quia dum Confessarius solicitat talem pœnitentem in Confessionario; simulat eius confessionem audire, ergò hic casus sine dubio comprehenditur in Bulla Gregorij XV. Atque ego istis adhæreo, etiam ex vi Decreti citandi Pauli V.
147 Dubitatur secundò de eo casu, quando Cõfessarius, & pœnitens conueniunt de confessione simulanda in Confessionario, vt ibi inhonestos sermones habeant. Castrus Palaus vbi supra num. 2. non spectare ad Sanctum Officium absolutè defendit, eò quod neuter eorum astringatur obligatione denunciandi, non Confessarius, vt per se patet, neq pœnitẽs, alioquin teneretur prodere se ipsum, quod nullus dicit; & cũ sit mutua solicitatio, videtur par ratio vtriusq. ergo &c. Hoc probabile iudicat Diana ibidem resol. 10. in terminis Bullarum Pij IV. ac Pauli
148 IV. & Decreti Clem. VIII. Nihilominus ex vi Constitutionis Gregorij XV. contrarium prorsus tenendum cum Sancio vbi supra num. 3. Acuña de solicit. Confess. q 15. num. 2. & eodem Diana. Ratio est quia tunc peccat Confessarius sub pretextu confessionis, & in eius opprobrium ergò insurget præsumptio, quòd malè sentiat de ipsa; nec eximetur à Iurisdictione Inquisitorũ inde, quod de simulatione confessionis conuenerit inter ipsum, & pœnitentem, vt liberius de rebus inhonestis tractare possint; sed denunciari debet ille à quouis, qui extra confessionem aliunde notitiam habet de tali simulatione, &
149 tractatione, imò & ab ipo pęnitente iuxtà tradita iam supra ex illa epistola ad Archiepiscopum Neapolitanum de mandato Sacræ Congregationis, seu potius Vrbani Papæ VIII. & iuxtà modum ibi expressum.
150 Est item dubium circa tertium casum, qui attingitur in vltima parte Regulæ de confessario vocato confessionis audiendæ prætextu, & postea in domo fœminam solicitante. Hunc esse sub Iurisdictione Inquisitorum affirmante videtur respondere Ioannes Sancius in Selectis disp. 11. n. 68. Amplectenda tamen, vt vera resolutio negatiua Dianę 37. dict. tract 5. ex Freitas de confess. solic. in nouissima editione q. 15. n. 44. explicante etiam ibi, quando opinio Sancij locum habere potest per sequentia verba. Si
151 confessor, inquit, domum vocetur sub prætextu confessionis, veluti, vt prælatum confessor decipiat, cum tamen ex præcedente tractatu, tã confessor, quam fęmina intentionem habeant venereorum agendorum, puto Breui non esse locum, eò maximè, quia in casu Sancij non ponitur solicitatio ex parte Confessoris in Sacramento pœnitentiæ, vel proximè, sed tractatus remotus ex vtriusq. placito, qui tractatus præcedens nihil ad rem facit, siue simuletur, siue nõ
152 Confessio. Opinio ergo Sancij defendi tantum potest, quando in ipsa domo, & loco ad cõfessionẽ deputato, & sub confessionis figura, vt ita dicã, simulet confessor ad inspectantes illudendos confessionẽ audire, etsi ab ipso non incipiat solicitatio, nec precedat inter eos tractatus, simulatio namq ipsa per se sufficiet: hactenus Freitas, & egregie quidẽ. Concludit ergò Diana cũ Sousa de confess. solicit. in addit n. 10. quod prætextus confessionis, de quo in Bulla Greg. XV. debeat esse proximus, & non remotus à loco ac statu confessionis, vt iam in simili supra diximus, nec est locus aliter interpretandi.
153 Quid tandẽ de Confessario, qui nec audit cõfessionẽ, nec simulat audire, neq est in cõfessionario sub pretextu eã audiendi, sed ibi stans, vel sedens cum fęmina stante, vel sedente de rebus inhonestis tractat? Pro decisione huius dubij extat decretum Sacræ Congreg. seu potius Pauli Papæ V. quod cum Peirino de priuil. Minim. tom. 2. Constit. 4. Greg. xv §. 5 n. 15. & Coriolano de casib. reser. par. 1. sec. 2. art. 23. num. 4. affert Diana vbi supra resolut. 38. cuius tenor, post exordium ordinatium, & citationem Cardinalium, qui ei interfuerunt, sic habet, facta

relatio-

relatione, quòd multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra confessionis occasionem de rebus inhonestis, Sanctissimus decreuit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in Sancto officio. Huius Decreti etiam fit mentio in practica Cardinalis N. manu scripta, quæ circumfertur ad procedendum in
154 causis Sancti officij. Nihilominus non obstante hoc Decreto, adhuc aliqui tenent confessarium sic tractantem non esse sub iurisdictione Inquisitorum, ita Sousa de Confess. solicit. tract. 1. cap. 15. & Freitas in nouissima editione q. 15. num. 52. & q. 13. n. 30. vbi affirmat Decretum Pauli V. fuisse a Gregorio XV. restrictum, non ostendens qualiter in eius constitutione fiat hæc restrictio; qui enim vnum affirmat, alterum non
155 negat; sed relinquit vti fuerat prius dispositū. Quare talem restrictionem Diana dict. tract. 5. resol. 38. non admittit, dicens, sed cum contra Doctores istos habeamus apertam declarationem S.E.R. & vniuersalis Inquisitionis, ab ea non est recedendum: sicuti non recedit Practica illa, m. 5. neque ego recedam.

156 Ex vi itaq. dicti Decreti Pauli V. erit sub iurisdictione Inquisitoris Confessarius, qui in confessionali lasciuè arguit suam concubinam de zelotypia; cum hæc actio maximè prouocatiua sit ad libidinem, sicq; confessarius signa ostendat pœnitenti alium, & nō ipsum solum participem esse lasciui amoris fœminæ. Atq; à fortiori idem
157 erit ex vi constitutionis Gregorij XV. si tunc simulet audire illius cōfessionem, aut sit ibi sub prætextu eius, vt egregie docent Sancius in Select. d sp. 11. n. 32. & Fagundez de præcept. Eccl. in editione 2. p. 2 lib. 4. cap. 3. n. 63. quidquid in contrarium magis speculatiuè, quam practicè dicat Freitas in nouis addition. de cōfess. solicit. q 9 n 21. Vide Dianā dict. tract. 5 resol 43. nulli, vt aliquando solet, adhærentem.

Ob quem finem Inquisitor procedit contra Confessarium solicitantem, aut consentientem solicitationi? & an aliquando id non possit?

REGVLA CXXXV.

158 CVm varij extent antiqui, & noui hæreticorum errores contra pœnitentiæ Sacramentum; cumquè insurgat præsumptio sæpius de aliquo saltem eorum in mente Confessarij solicitantis, aut consentientis solicitationi, proptereà Inquisitores possunt, & debent cōtra ipsum procedere; imò quandoque habēt ad idem facultatem, tametsi nulla adsit circa confessionem Sacramentalem erroris suspicio. Exi-
159 metur tamen a iurisdictione eorum Confessarius magis probabiliter, si consentiat solicitationi ob finem honestum, vel ob vitandam infamiam.

---

160 HÆc nona & vltima Regula in hac materia solicitarionis proponitur ad indicandum in ipsa circumstantiam finis, quæ est præcipua inter reliquas, & ad indicandos hac occasione errores, qui contra Sacramentum confessionis huc vsq; prodierunt, quibus mens Confessarij solicitantis aut consentientis solicitationi, quòd si imbuta præsumi aliqualiter po-
161 test. Ludouicus Paramus in longissima illa, & eruditissima qu. 10. lib. 3. de orig. Sancti officij per 167. numeros hoc solum punctum discutit, an Inquisitores possint procedere cōtra confessarios solicitantes &c. & propositis varijs motiuis dubitandi, præcipue illo quòd inductio ad libidinem in actu confessionis Sacramentalis, vel proximè potius dimanat ex inclinatione naturæ corruptę, & carnis instigatione, quàm ex contemptu Sacramenti, & consequenter non insurget præsumptio erroris in inducente; ergò Inquisitor non poterit contra hunc procedere; cū eius iurisdictio solum contra habentem errorem fidei Catholicæ contrarium, vel præsumptionem eius aliquam se extendat. Priusquam
162 ipse Paramus totaliter ad resolutionem quæstionis affirmatiuam gradiatur, errores omnes, quos hęretici antiqui, & moderni contra Sacramentum Confessionis excitarunt, eruditè percurrit: vnde eosdem, totidem eius verbis ante inceptam decisionem præsentis Regulæ non incongruum iudico hic apponere, omissis aliquibus, quæ non ita ad rem faciunt ad vitandam prolixitatem.

163 Siquidem inquit, vt omnes norunt, hæretici summopere curarunt hoc Sacramentum auricularis confessionis tollere, & improbare profanando, illo impiè abutendo, vt conantur persuadere veteres illi hæretici, impij Nouatiani, & Montanistę, test: Epiphanio, hæres. 59. & August. heres. 18. quibus adhæserunt Audiani temporibus Valētiniani Senioris, vt ex Theodoreto li. 4. de fabulis hęreticor. intelligi potest. Hi namquè nullam iniungebant pœnitentibus mulctam; & ideò pœnitētes, quia per iocum, ac ludum Confessionem à se exigi intelligebant, grauia peccata celabant, & pauca quædam ac leuia fatebantur; planè ad eum modum, quo nunc Lutherani confiteri peccata coram suis mini-
164 stris solent. Messaliani quoquè iisdem temporibus exorti, Damasceno teste, in lib. de Centū hæresibus, peccata dimittebant, nulla habita ratione pœnitentiæ, & Canonum Ecclesiæ. Post
165 modum Ioan. Vvicleffus, vt testatur Thomas Vvaldens. tom. 2. de Sacrament. cap. 125. confessionem Sacramentalem apertè oppugnare cœpit, asserens eam in scripturis non fundari, & ex sola institutione Papali introductam esse. Exti-
166 tit etiam ante annos circiter centum quidam Petrus Oxomensis, qui confessionem peccatorum in specie affirmabat non esse de iure diuino; sed ex aliquo statuto vniuersalis Ecclesiæ, vt videre est in Summ. Conciliorum in Decretis Sixti Papæ IV. In eodem errore, nostro etiam sæculo versati sunt Erasmus Roterodamus, & Beatus Rhenanus, ille in annotation. de Epist. Sancti Hieronymi ad Oceanum de obitu Fabiolæ; hic in annotationibus ad librum Tertullia-
167 ni de pœnitentia. Martinus Lutherus in lib. de captiuitate Babylon. cap. de pœnitentia, addit tres errores. Primò, non posse eam probari ex scripturis; secundò non esse necessarium confi-

teri omnia Sacerdotibus;si quis enim correptus
est à fratre, quam fortè lęsit agnoscat coram
illo peccatum suum, & veniam petat. Tertiò
damnat omninò eos, qui docent circumstan-
tias peccatorum in confessione esse detegen-
das. (Ego inquit, quid quid est circumstãtiarum
consuluerim penitus contemnere) & in ser-
mone de pœnitentia docet non esse confiten-
da venialia, neque omnia mortalia;sed ea tan-
168 tum, quæ sunt manifestè mortalia. Eosdem
errores profitentur,& sequuntur Philipp. Melã-
chehon in confessione Augustana, & eius apo-
logia art.11. & 12. & in locis communibus tit.
de pœnitentia Ioannes Oecolampad. lib. de
confessione, Ioannes Brentius in confessione
Vvirtembergensi, Ioannes Caluinus lib.3. inst.
cap.4.§.7.Vvigandus in lib. qui inscribitur, Me-
thodus doctrinæ Ecclesię Magdeburgẽsis c.18.
Petrus Palladius in admonitione de pęniten-
tia, & iustificatione, Dauid Critheus in sua Ca-
techesi loco 8.Martin.Xemnitius in 2.part.exa-
minis Tridentini Concilij ad 14.sessionem.The
od.Beza in sua confessione fidei, cap.2.
169 Hactenus ex Paramo errores hæretico-
rum contra Sacramentum pęnitentiæ, quos ta-
les esse, ac fidei Catholicæ contrarios multis
ostendit ille ex scriptura sacra, & ex Concilijs,
ac Sanctis Patribus, & tandem benè concludit,
quòd oriri possit suspicio contra confessarios in-
ducentes ad libidinem in confessione fœminas,
quasi id faciant in contemptum huius Sacra-
menti, & præsumantur adhærere dictis hęreti-
170 corum erroribus. Atq. ob hanc pręsumptio-
nem,& ex fine illos penitus eradicandi,Sacra-
mentumque illęsum tuendi, meritò hęreticæ
prauitatis Inquisitores contra Cõfessarios quẽ-
cumq. pœnitentem taliter solicitantes proce-
dunt, ac pr cedere tenentur; quamuis ex hu-
iusmodi solicitatione ad turpia leuis, ac modi-
ca suspicio erroris expurgat, cap. Accusatus de
hæreticis in 6. ibi,leuis,& modica suspicio,quòd
171 autem hęc saltem ex ea solicitatione oriatur,
inde ostenditur; quia etiam concesso eo, quod
in motiuo dubitandi dicebatur, inductionem
scilicet ad libidinem in confessione prouenire
ex indicatione naturę corruptæ, & instigatione
carnis: adhùc tamen est contemptus Sacra-
menti, & ex consequenti pręsumptio, quòd ibi
solicitans fęminam malè sentiat de eo, cum ta-
lis contẽptus,& suspicio malè credulitatis orian
tur non ex solicitatione ad venerem simplici-
ter, sed ex solicitatione adiuncta actui Sacra-
mentalis confessionis saltem simulatę. Confir-
172 matur a simili,quia si Sacerdos,aut religiosus
aliquis vxorem duceret,tametsi ex actu carna-
li non posent absolutè loquendo inquisitores
contra eum procedere, vt suspectum de hęresi;
ob coniunctionem tamen Sacramenti matri-
trimonij, cum insurgat præsumptio hæresis, seu
quod malè sentiat de Sacramentis, possunt, &
debent contta ipsum inquirere, sed par est ratio
in casu præsenti, ergò &c,
173 Quid quod, vt dicitur in altera parte Regu-
læ, etiam nulla existente erroris præsumptione,
manet Confessarius sub Iurisdictione Inquisito-
ris in aliquo casu, vt in illo exposito Regula pre-
cedenti iuxtà Decretum Pauli V. si in Confes-
sionali non audiens confessionem, nec simulans
audire de rebus inhonestis cum fœmina con-
fessarius tractet, quod tunc nulla sit suspicio er-
roris docent benè Sousa in adnotat. ad Bullam
Gregorij XV. & Diana par.4. tract.5. resol.50
ob eam rationem; quia ibi nequaquam est abu-
sus Sacramenti, neq. contemptus eius; cum Con-
fessarius non audiat verè confessionem, nec si-
mulet audire; ergò nulla est suspicio erroris. At
174 quòd sit procedendum contra ipsum ab In-
quisitore, habetur expressè in dicto Decreto
Pauli V. & affert Practica illa m. s. citata asserens
debere expediri similem confessarium absq. ab-
iuratione, cum pœna arbitraria: sed de his in-
175 Deniq. quoad vltimã partem Regulæ qu
Antonius Sousa opusc. de confess. solicit. tra
1. cap.7. num.9. & lib.1. Aphor. cap.34. num.
tenet non improbabiliter Confessarium con-
tientem solicitationi metus causa, esse denun-
ciandum, & expediendum cum pęna arbitra-
176 absq. abiuratione. Sancius verò in Select.
sput.11. n.30. oppositum his verbis defendit,
vocatus, inquit, confessarius ad ęgrotantis fęmi-
næ confessionem, ab ipsa solicitatur, minas fu-
addente se exclamaturam vim sibi ab illo
ferri, nisi consentiat, sicq. ipse ob vitandam infa-
miam actui impudico consentiat, non erit locus
constitutioni Pontificiæ: Hæc ille, & adducit
pro sua sententia Graffium, & Acuñam, quibus
additur Peyrinus de priuileg. Minim. tom. 1.
const.4. Gregorij XV §.3 num. 9. a Diana dict.
tract.5 resol.15. non exprimente quamnam par-
177 tem ipse sequatur. Sed ego posteriorem ne-
gantem Sancij, & aliorum probabiliorem iudi-
co; atq. his huic materiæ solicitationis sufficien-
ter hactenus pro tenuitate ingenij mei expo-
178 tæ finem impono. Non proposui peculiar
Regulas pro circumstantijs, *Quomodo, & qui-
bus auxilijs* eò quòd iam in alijs satis, superq.
explicatæ maneant præcipuè in eis, vbi agitur
de simulatione, aut pretextu Confessionis, & de
179 solicitatione ad lenocinium &c. Plura dubia
aliqui Doctores hic discutiunt, quę communia
sunt huic, & alijs materijs, pręcipuè spectantia
ad obligationem, & excusationem denuncian-
di Inquisitoribus, ad probationem delicti, ad ab-
iurationem, & pœnam iniungendam &c. de qui-
bus nos Deo benè iuuante, in proprijs locis op-
portunius, secundum ordinem executionis no-
bis præscriptum, agemus, vt in commentatione
edicti Sanctę Inquisitionis iam vlterius progre-
diamur.

CAPVT XVII.

De celebrantibus conuenticula in materia Religionis, ac de illis, qui huiusmodi conuenticulis, vel concionibus Hæreticorum asistunt.

PROOEMIOLVM.

1 SOla prima pars huius tituli in Edicto S.Inquisitionis exprimitur per hęc verba. *C'habbiano celebrato, ò celebrino occulti conuenticoli in materia di Religione*, Latinè sic; *Quòd circa res ad Religione pertinentes, occulta conuenticula celebrauerint, vel celebrent*. Visum est tamen peropportunum alteram partem, de illis, qui dictis conuenticulis, vel concionibus hęreticorum assistunt, hic apponere pro complemento huius materiæ, & vt sufficiens nobis porrigatur ad formandam in hoc
2 breuissimo capite vnam saltem Regulam. Eius autem breuitas inde tanta; quia cum differentia
4 magna sit, vt manifestè per se apparet, inter celebrantes talia conuenticula, seu auctores ipsorum & inter assistentes eisdem, vel concionibus hæreticorum, de istis pauca admodum apud Doctores de rebus Sancti Officij agentes; de illis verò nullum prorsus verbum in particulari, quòd inuenire potuerim, licet non paucos euoluerim; eo quod omnes, vt certum supponant esse ipsos sub iuris-
3 dictione Inquisitorum, & inter hereticos, seu dogmatistas comprehendi. Vnde mirum in Edicto Inquisitionis peculiare caput fuisse de eis expressum, à quo citò nos expediemus.

An & qualiter celebrantes conuenticula in materia Religionis, aut eis, & concionibus Hæreticorum assistentes, sint hæretici, vel suspecti de hæresi sub iurisdictione Inquisitorum? aut secus?

REGVLA CXXXVI.

4 EX facto cogendi, & celebrandi conuenticula in materia Religionis certò concluditur, quod auctores huius actionis sint verè hæretici. Credentes verò istorum censentur illi, qui dictis conuenticulis frequenter assistunt, vel conciones ibi audiunt. Quinetiam id faciens semel tantùm, aut bis, maximè si in terris Christianorum talia conuenticula, vel conciones occultè fiant, erit aliqualiter suspectus de hæresi, attenta qualitate personæ, &
5 modi. Secus aliquando, si fiant in terris ipso-
6 rum hæreticorum. Imò absque vlla culpa potest quis illuc ire ob finem bonum, vt refutandi eorum errores, sublato scandalo, & periculo peruersionis.

7 PRima pars huius Regulæ adeò ex se constat, vt non indigeat probatione, conuincitur tamen à fortiori per probationem secundæ: Qui enim frequenter intersunt conuenticulis, & concionibus hæreticorum, credentes eorum communiter censentur, vt docent Geminianus in cap. 2. de heretic. num.7. Syluest. heresis 1. num.10. Ananias in cap. excommunicamus, il primo, §. credentes num.12. de hæretic. Eymericus par 2. direct. quest.50.n.3. vbi Peña comment. 75. & Azor tom. 1. lib. 8.
8 cap. 15. quest. 1. Atque taliter credentes sunt propriè heretici, vt cum Simanch. Catholic. instit. tit.15. num.2. Nauar. in manual cap.27. num.55. Suarez tom.5. disp.10. sect.2. num.5. Toleto in summ. lib. 1. cap. 19. & cum alijs tradit Sanctarellus de heresi cap.11. num.30. reddens optimè rationem, cur sic vocentur, & vt distincti ab hereticis in Bulla Cœnę exprimantur; quia, inquit, non explicitè alicui errori, & heresi assentiuntur; sed tantum credunt doctrinam, quam heretici sequuntur, & predicant, potius appellantur credentes hereticorum, quàm hæretici ad differentiam eorum, qui explicitè, & distinctè assentiuntur erroribus, qui ab hereticis proponuntur, ita ille.
9 Quod sit assistentes frequenter conuenticulis, & concionibus hæreticorum sunt istorum credentes, & consequenter heretici; quanto magis erunt cogentes, & celebrantes huiusmodi conuenticula, & concionantes, seu docentes in illis, ergo &c.
10 Circa tertiam partem Regulæ est aliquale dissidium inter Doctores, Archidiaconus, Geminianus, Ioann. Andreas in cap. quicumque, §. heretici, verb. credentes, de hæreticis. in 6. Zanchinus de heretic cap. 3. num.6. Calderinus tract. de hereticis cap.3. num.4. affirmant absolutè accedentem plusquam semel, seu bis ad conciones, & conuenticula hæreticorum, esse eorum credentem, eo fundamento adducti, quod ex geminato actu crimen videatur
11 in consuetudinem trahi. Negant tamen hoc alij, vt Suarez de fide disp.24. sect.3. Sousa in Bull. cœnę cap. 2. disp. 8. num. 10. Sanctarellus, vbi supra, & Diana par. 4. tractat. 8. resolut. 93.
12 Distinguunt tamen optimè Peña dict. comment. 75. vers. si & plurimum, Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 1. & alij de celebratione conuenticulorum circa materiam Religionis

in

in terris Christianorum, vel in terris ipsorum Hereticorum, & secundum mentem vtriusque si quis illis intersit, etiam semel tantum, licet non erit credens hæreticorum, fiet suspectus de heresi, saltem leuiter, vt volunt Sousa, & Diana citati; vel etiam vehementer fortè attenta qualitate personæ, & modi assistendi; si non statim denunciet Inquisitoribus, quidquid in similibus conuenticulis in aliquo loco Christianitatis celebratis vidit, & audiuit. Atq in
13 hanc vehementem suspicionem videntur inclinare Peña loco allegato, vbi sic ait, si autem quis in terris Catholicorum occulta ab hereticis conuenticula celebrari intelligat, etsi semel tantum vadat, ni denunciet Episcopo vel Inquisitori non carebit iudicio meo credentiæ suspicione: cum in hoc casu approbare censeatur, quod potuit auertere, si iudicibus Ecclesiasticis, vt debuit, indicasset, nisi considerata persone qualitate ob ignorantiam excusetur. Item Sanctarellus vbi supra asserens eũ
14 qui semel tantum interfuit hereticorum concionibus, tametsi non reputetur credens corũ, esse de hæresi suspectum, non exprimens de qua suspicione loquatur, de leui ne, an de vehementi? sed de hac intelligendus, quandoquidem credentiam hereticorum, quæ respectu
15 ipsius est quid magis, excludit. Tandem admittent saltem eamdem vehementem de hæresi suspicionem in accedente semel vel bis ad dicta conuenticula, auctores citati Geminianus, Ioann. Andreas, Archidiaconus, Calderinus, & Zanchius, qui eum esse credentem hereticorum volunt. Quibus adiungo Campegium in annotat. ad Zanchium cap. 3. num. 6. qui sub dubio relinquit, sit credens nec nè.

16 Si autem conuenticulis, vel concionibus in terris hæreticorum habitis semel, aut bis quis interfuerit, censebiturne eorum credens, vel de hæresi suspectus? Neganter, & benè respondet Peña vbi supra, maxime si pluries potuit interesse, & noluit; nam tunc ex curiositate, vel ex alio fine, non opposito fidei Catholicæ illis interfuisse iudicabitur, quod nisi aliud circumstantię personę, & modi illuc accedendi suadeant, ita euenire, vt in plurimum indico.
17 Quin etiam addo, vt habetur in vltima parte Regulæ, posse licitè, absque vlla culpa aliquem Catholicum ad ea Templa, & conuenticula hæreticorum accedere, atque ingressum ibi ceremonias, & ritus eorum videre, concionesq. audire, si id faciat ex bono fine, vt sciendi, & refutandi eorum errores, ac alijs debitis circumstantijs, ita docuit Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 4. num. 16. & Azor instit. moral. lib. 8. cap. 11. quęst 4. cuius hęc sunt verba; Respondeo ex sententia Nauarri conf. 15 num. 3. & 4. de heret. id esse licitum fecere sub triplici conditione; Prima, ne in Catholicorum animis vlla offensio generetur. Secunda ne vlla sit communicatio ritus, ceremoniæ, ac impietatis hereticę. Tertia ne vllum periculum immineat propriæ perfidię, subuersionisque, & Christia-
18 nę Religionis contemptus: hactenus ille. Sed notandum circa primam conditionem ab eo assignatam, spectantem ad scandalum, quod possit hoc insurgere etiam respectu ipsorum hereticorum, nempe, vt isti in suis erroribus confirmentur, ni statim dicta refutatio ipsorum sequatur; eo quod videant a veris Catholicis
19 se honorari, & suas conciones audiri. Sicut insurgit scandalum respectu meretricis & confirmatur in statu vitæ turpis, quod à viro nobili, licet non ad congressum carnis, sed solum ad confabulandum inuisatur, & honoretur.
20 De quo modo scandali à me olim publicè lecto, & à viris doctis approbato, dum loquerer cum quodam magnæ auctoritatis viro, subijt ipsi scrupulus, quod aliquando Geneuram transiens hæresiarcham illum Theodor. Bezam curiosè, & honorificè visitauerit. Vnde postea de hac actione tanquam ipsi Bezæ fortè scandalosa inter confitendum se accusauit.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De Blasphemia in communi, ac de speciebus, seu modis eius, maximè de hæreticalibus ad iurisdictionem Inquisitorum pertinentibus?

PROOEMIOLVM.

1 TANTVM est sermo in Edicto Sanctæ Inquisitionis de blasphemantibus hæreticaliter per sequentem clausulam: *Che contra Dio, e de suoi Santi, e particolarmente contro della Beatissima Vergine Maria proferiscono bestemmie heretcali*. Latinè sic: *Quòd contra Deum, ac Sanctos*
2 *suos, præsertim contra Beatissimam Virginem Mariam blasphemias hæreticales proferant*. Expediens tamen iudico à blasphemia in cõmuni initium ducere &, omnes eius species, ac modos indicere, vt de blasphemijs hæreticalibus, quæ sunt magis propriæ nostri instituti, clariùs innotescat.
3 Præter id, quod in iure disponitur præcipue toto titulo de Maledicis: Extant variæ Bullæ Summorum Pontificum de hac materia contra blasphemos quoscumque, præcipuè Leonis X. incip.
4 *Supernæ*. §. 33. ad abolendam: Iulij III. *In multis*, & Pij V. *Cum primùm*, §. 10. De eadem ex professo tractant D. Thomas 2.2. quæst. 13. & 14. ibi eius expositores Caietan. & Valentia, item Suarez tom. 1 de Religion. tractat. 3. lib. 1 Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32 & Sanctarellus tract. 3. de blasphemia per 10. capita. ex quibus, & in alijs discutienda Regulis sequentibus desumentur.

Quid & quotuplex blasphemia? quibus modis exprimatur, & contingat?

REGVLA CXXXVIII.

5 DEfinitur blasphemia, Verbum maledictionis, seu conuicij, quo aliquid de diuina excellentia detrahitur, aut breuius sic, locutio contra Deum per modum contumeliæ.
6 Duplex est, altera interna, si solum mente Dei excellentiæ deroges; altera externa, si talem
7 derogationem verbis, vel scripto proferas. Est item duplex (omissis nunc alijs eius diuisionibus infra indicandis) altera hæreticalis, continens, vel sapiens hæresim; altera non hæreticalis, nihil secundum se contra fidem affir-
8 mans. Hæc exprimitur dicendo aliquid de Deo per modum contemptus, seu conuicij, illa vero asserendo de ipso Deo, quod ei non conuenit, aut negando, quod eidem soli conuenit, vel id
9 tribuendo creaturę. Vtraq. sub varijs formis in fine Regulæ indicandis contingit.

---

10 SEcundum totam suam latitudinem nomen blasphemiæ significat quamcumq. maledictionem, seu execrationem, qua de alicuius dignitate, aut honore detrahitur, vt aduertunt S Augustinus lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 11. & S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. Atque hac ratione accipitur in epistola ad Titum cap. 3. *Admone illos neminẽ blasphemare*, idest maledicere, ex mente D. Hieronymi, ibi, siue maledictio tendat contra Deum, siue contra homines, siue contra alias creatu-
11 ras: Aliquando idem est blasphemia, quod vituperium, & idem blasphemare, quod vituperare, ita Paralip. 1. cap. 20. Isa. 51. & Ezech. 5. omissa vtraque hac acceptione lata.
12 Propriè, & strictè sumimus hic blasphemiã prout sumitur communiter à Theologis, & Sanctis Patribus, præcipuè à D. Augustino citato pro maledictione respectu Dei, sicque ei quadrat vtraque definitio proposita desumpta ex doctrina D. Thomæ 2.2. q. 13. art. 1. Atque ita traditur, & declaratur eius essentia a Doctoribus. Albertin. de agnoscen. q. 27. num. 1. Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. n 1.
13 & Bañes 2.2. q. 13. art. 1. notab 2. Pro maiori tamen declaratione, & decisione dubiorum huc spectantium perpendendæ aliquæ particulæ.
14 Dixi *verbum*, seu *locutio*, quia blasphemia essentialiter non consistit in factis, sed in verbis, vt est omnium sententia contra Alphonsum de Castro lib. 1. de iust. hæret. punit. cap 12. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 4. casu 376. & Cordub. in quæst. lib. 5. q. 17. §. 15. notab. 1. qui asserunt, quod committeretur blasphemia ab homine, qui in contemptũ Dei lapides in cælũ proijceret, cederet, vel conculcaret imagines, vel Eucharistiam, aut hanc, vt communem, & vsualem panem comederet, & similia.
15 Verum eorum assertio meritò ex mente Diui Thomæ, d. art. 1. S. Augustini citati, & aliorum Patrum reijcitur à reliquis, maximè ab Alens. 3. par. q. 13. mem. 6. Nauar. in summ. cap. 12. num. 81. Suarez vbi supra cap. 4. & Sanctarello tract. 3. de blasphem. cap. 1. dub. 3. nu. 5. Nam quando dicitur blasphemia esse verbum intelligitur propriè de verbo oris; & declaratur à contrario eius, nempè laude diuina, quæ tantum proprio verbo fit, & est actus solius oris, iuxta illud psalm. 33. semper laus eius in ore
16 meo. Hinc D. Th. 2.2. q. 103 art. 1. ad 3. assignat discrimen inter laudem, & honorem, quod illa per sola verborum signa, hic vero per quæcumque

que signa externa exhibeatur, ergo blasphe-
mia propriè dicta, quæ laudi Dei opponitur, pa-
ri modo verbis tantum exprimetur, maximè
cum infamationem in se contineat, quæ non
17 fit sine verbis. Et confirmatur, quia alias
idololatria, & alia similia vitia possent dici bla-
18 sphemia, quod nullus concedit. Facta ergo illa
proijciendi lapides in cælum, cõculcandi ima-
gines, Eucharistiam &c. non sunt blasphema
propriè loquendo, sed sacrilega, vel etiam hę-
reticalia, & hinc sub iurisdictione Inquisitorũ.
19 Quamquam dicuntur aliquando blasphema
largo modo, seu impropriè, vel consequenter,
quod coniuncta sint cum verbis blasphemis,
vt bene notat Sanctarellus adductus, & ait ita
esse exponenda aliqua loca Scripturæ sacræ, vt
2. Esdræ cap. ibi: Fecerunt que blasphemias
grandes &c. & illud Matt. 27. blasphemabant
eum &c.

20 Dixi *contra Deum*, & non est cur addatur
contra Sanctos, vt addit Nauarr. loco citato
num. 81. cum sine hac additione sit completa
definitio blasphemiæ, & iam subintelligatur.
Nam contumelia in Sanctos non censetur pro-
priè blasphemia, nisi quatenus aliquo modo in
Deum profertur, & in suis Sanctis ipse maledi-
citur, vt docet expresse D. Thomas 2.2. q 13.
art. 1. ad 2. sicut, inquit, Deus in Sanctis suis
laudatur, in quantum laudantur opera, quæ
Deus in Sanctis efficit; ita & blasphemia, quæ
fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redun-
21 dat. Quemadmodum est etiam blasphemia
maledicere creaturis rationabilibus, & irra-
tionabilibus, vt sunt effectus, & opera Dei se-
cundum eumdem D. Thomam 2.2. q. 76. art. 2.
quem in vtroque reliqui sequuntur, præcipuè
Caiet. ibi, Valentia disp. 5. q. 19. pun. 1. & Sua-
rez vbi supra cap. 5. declarans optimè qualiter
blasphemia contra Sanctos sit etiam contra
Deum, quia cadit in huius opprobrium, licet
sit indirectè, & implicitè à blasphemante vo-
litum.

22 Nihilominus opportunè exprimuntur in
edicto Sanctæ Inquisitionis blasphemiæ in
Deum, & in Sanctos, & præsertim in Sanctissi-
mam Virginem, & Deiparam Mariam: Sumi-
turque expressio ista ex iure Canonico, cap. 2.
de Maledicis, ibi, si quis contra Deum, vel ali-
quem Sanctorum suorum, & maximè contra
Beatam Virginem linguam in blasphemiam
publicè relaxare præsumpserit, atque ex Glossa
in illud ad Ephes. 4. Blasphemia auferatur à
vobis, addit ipsa, in Deum, & in Sanctos, &
en prima diuisio blasphemiæ.

23 Dixi *per modum contumeliæ*, seu conuicij,
quo derogatur diuinæ excellentiæ; non tamen
requiritur ad rationem essentialē blasphemiæ,
vt quis directè velit talem derogationem; sed
sufficit si ijs circumstantijs, & eo modo bla-
sphemat, vt huiusmodi locutione in actu exer-
cito diminutionem dignitatis diuinę significet.
24 Quamquam negari non potest esse magis cõ-
summatam blasphemiam, quando adest illa
peruersa voluntas, seu intentio contumeliam
inferendi Deo; & hoc modo blasphemant sem-
per damnati, diciturque blasphemia formata,
quia procedit ex illa mala intentione, seu ex
odio Dei; sicut fides dicitur formata, quæ pro-
cedit ex caritate, seù est coniuncta cum ea. E
contra vero blasphemia, quæ non prouenit ex
25 odio Dei, sed ex ira, vel alia animi passione di-
citur informis, & non omnino completa; licet
iam habeat veram rationem blasphemiæ, ita
docẽt, & diuidunt in blasphemiam formatam,
& informem Petrus Ledesm. tom. 2. summ. trac.
1. cap. 9. concl. 4. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32.
nu. 2. & Sanctarellus tract. de blasphemia lib. 2.
& alij.

26 Blasphemiæ diuisio in internam, & externam
expressa in Regula traditur à D. Thoma 2.2.
q. 13. art. 1. ab omnibus recepto, & explicatur
benè à Suar. citato cap. 4. supponendo quod di-
ctum iam supra, blasphemiam consistere in
verbo contumelioso; hoc autem duplex est,
aliud prorsus internum mentis, seù intellectus;
& aliud externum, siue sensibile linguæ corpo-
reæ: per illud blasphemant Dęmones, & animæ
damnatæ in inferno, per hoc homines scelerati
in hoc modo. Sicut duplex est laus, altera me-
rè intellectualis, qua Sancti Angeli, seu beati spi-
ritus Deum laudant; altera linguæ materialis,
qua viri pij eidem benedicunt. Distinguendus
27 verò inter affectum, seu voluntatem blasphe-
mandi, & ipsam blasphemiam internam, quæ
sine dubio ad intellectum spectat, & est huius
actus formalis, licet à voluntate recipiat, quod
sit voluntarius.

28 Valdè celebris est inter Doctores diuisio
blasphemiæ in hęreticalem, & nõ hęreticalem
seu simplicem, traditur ab Eymer. c. in Direct.
par 2. q. 41. Peña ibi comm. 66. Azor. to. 1. lib. 9.
cap. 28. q. 5. & Ledesma vbi supra conclus. 6. Al-
bert de agnosc. q. 6. num. 25. Sanchez dict. c. 32.
num. 36. & Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib.
29 1. cap 5. Declaraturq quòd hæreticalis sit, quæ
errorem, vel saporem erroris contra fidẽ con-
tinet; & fit quando per verbum indicatiui mo-
di aliquid fidei contrarium asseritur, seu tribui-
tur Deo, quod ei non conuenit, aut negatur
quòd ipsi soli competit, vel hoc applicatur cre-
turæ, sed de hoc plura statim.

30 Alterum membrum blasphemię simplicis,
seu non hęreticalis sic exprimitur ab omnibus
pręcipuè à Sanchez citato nu. 3. & ab Azor di-
cto cap. 28. qu 2. consistere scilicet in dicendo
aliquid contra Deum, vel Sanctos, quod eorum
honori deroget; vel magis specificè in nomi-
nando, quæ Deo, & Sanctis competunt, absque
iusto, & debito honore, ac reuerentia, irriden-
do, aut per ea turpiter, & inhonestè iurando
(quamquam non semper blasphemia cũ Iura-
mẽto, aut periurio coniuncta, vt notat benè idẽ
Azor ex D. Thoma 2.2. q 13. art 1. ad 3.) Hinc
31 sub titulo de Maledicis iuris canonici blasphe-
mi in Deum, vel Sanctos continentur, quod
blasphemia, vt iam dictum, nihil aliud sit nisi
conuicium in Deum, vel Sanctos coniectum;
ex Hugone Sancti Victoris affert Couar. in cap.
quamuis pactum, de pactis in 6. p. 1. §. 6. n. 8. &
ex hoc Azor citatus q. 1.

32 Formulæ seu modi dictæ blasphemiæ sim-
plicis, seu non hæreticalis diuersi à Doctoribus
ma-

ximè à Sanchez vbi ſupra num.36.& ab Antonio Sanctarello cap.2. adducuntur: exemplificat ille cum Eymerico in Direct.2.p.q.41.n.1. maledictus ſit Deus,hiſpanicè, malgrado aya Dios,& cum Bañez 2.2.q.13. numero 1.tædeat Deum,ideſt poſete Dios,ſimiliter a diſpecho de Dios,ad Dei diſpectum hoc faciam;item ſi quis dicat,reddes mihi pecuniam,quam tibi mutuũ dedi,etiam ſi nolit B.Virgo,cum ſenſus ſit, reddes mihi pecuniam ad diſpectum B. Virginis:
33 ita adductus Sãctarellus,cum Claro §. blaſphemia, Menoch.de arbitr.lib.2. cont.4. caſu 375. num.7 & alijs. Ex quorum omnium mente eſt etiam blaſphemia, iurare per vitam Dei,vel per vitam alicuius Sancti; nam tunc ſignificatur, quòd ſi non ſit verum id quod dicitur, velit vt
34 Deus,vel Sanctus puniatur in vita.Secus alij,vt Graffius 1.p. deciſ.lib.2. cap.2. num. 13. & Decian.in trac.crimin.tom.2 lib.6. cap.2.num.13. & quidem non improbabiliter ſentiunt;niſi forte ſic iurans dictam punitionem intendat; ſine hac enim intentione tantum adducitur Deus in teſtem veritatis; ſicut adduceretur abſq vlla blaſphemia ab eo,qui hac forma iuraret, viuit Deus,vti ſępe iurabant Sancti Prophetæ, vt patet ex ſcriptura ſacra. *Vide* plura apud Sancta-
35 rellum, & Sanchez. Qui benè docet, vniuerſaliter eſſe blaſphemias ſimplices, quaſcumq. in Deum vel Sanctos maledictiones,& verba contumelioſa: de formulis, ſeu modis blaſphemiæ hęreticalis, paulo poſt dicetur.

Quam graue peccatum blaſphemia,& cuinam virtuti opponitur?

REGVLA CXXXVIII.

36 Blaſphemia tametſi ob inaduertentiam, vel ob nimiam iræ paſſionem poſſit aliquando eſſe tantum veniale,imo nullum;ex ſuo tamen genere, ſeu ex vi materiæ ſemper eſt mortale peccatum; & quidem grauiſſimum attentis virtutibus, quibus oppoſitum; & pręceptis,quibus vetitum,ac multiplicibus pęnis,qui-
37 bus punitum. Abſolutè loquendo blaſphemia opponitur virtuti Religionis, cuius eſt Deum, ſanctoſq.reuereri, quandoq; etiam ratione adiunctæ hæreſis,vel infidelitatis fidei virtuti, aut
38 eius confeſſioni contrariatur. Atq. ob vtramque oppoſitionem primo, & ſecundo Decalogi præcepto prohibetur.

---

39 Certa, & communis eſt doctrina apud auctores Theologiæ moralis, in quouis genere peccatorum poſſe dari actum cum ſola malitia veniali, aut cum nulla ob defectum aduertentiæ, ſiue hæc ex nimia paſſione, ſiue aliunde proueniat. In genere autem
40 peccati blaſphemię id precipuè habere locum tradunt cum D.Tho.2.2.q.13.art.2. ad 3.(idem affirmante de periurio,q 89.ar.3.ad 2.) eius expoſitores, & alij, vt Alenſis par. 2. quæſt.131. memb.3.Couar.de pactis, 1. par. §.5. num. 10. Suarez tom.1.de relig.trac.3.lib.1.cap.6.& Sanctarellus tract.de blaſphemia cap 4.dub.2. Ratio eſt quia ſæpius proferuntur blaſphemiæ ab hominibus contra Deum, & Sanctos ex tali paſſione iracundiæ, vt omnem rationis vſum præueniat,ſitq.motus primo primi,& non actus humani,atq.ideo tunc nullam continebunt mali-
41 tiam. Si tamen proferantur cum aliquali, ſeu ſemiplena deliberatione, ac ſint motus primo ſecundi, excuſabuntur quidem à malitia mortali,ſed non à veniali.
42 Verum vbi adeſt plena deliberatio in prolatione cuiuſuis blaſphemiæ, & complete aduertit homo ſe peccare, ſeu blaſphemare;nunquam deeſt in ea peccatum mortale. Ita præter Doctores num. præcedenti citatos Bannes, & Aragon.2.2.q.13.ar.2.Valent.ibi,diſp.1.q.13. pun.1. Caiet.in Summ.verb.blaſphemia,& Sayrus in claui reg. lib.6.cap.13.num. 5. Inde patet,quia in genere peccati blaſphemię non da-
43 tur, nec dari poteſt paruitas materiæ,ratione cuius,quod eſt de ſe mortale, fiat veniale; ergo quoties cum plena aduertentia blaſqhemauerit homo, peccabit ſine dubio mortaliter; antecedens ſic oſtenditur; nam per blaſphemiam grauis Deo, & Sanctis infertur iniuria, eorumq. honor, & cultus valde diminuitur.Si enim grauis,& atrox cenſetur iniuria à perſona vili illa-
44 ta Magiſtratui, vel Senatori,prolatis in eos maledictis §. atrox inſtit. de iniur. & l. Prætor §. atrocem ff. eodem; quanto magis erit grauis iniuria illa,quæ Deo, vel Sanctis per blaſphemiã infertur, ergo ratione materiæ non poteſt eſſe, niſi peccatum mortale.
Limitat hoc, & optimè cum Bañes, & Ara-
45 gon, & Sayro adductis, Sanchez lib 2.in Decal. cap.32.num.42. eſſe ſcilicet ſolum veniale conuicium in Sanctos,non vt Sancti ſunt;ſed ex alio reſpectu ob paruitatem materiæ, vt ſi quis per iocum diceret,Sanctos Ioannem, & Paulũ fuiſſe Euruchos, & Sanctos Criſpinum, & Criſpinianum fuiſſe ſutores. Quamquam bene docet
46 idem Sanchez num. 41. ex mente Nauar. in ſumm.cap. 12.num.48. contrahi culpam mortalem ab eo, qui per iocum nominat membra pudenda Chriſti Domini, vel Sanctorum,quia ſic eis non leuis irreuerentia infertur. Niſi fortè iocus ſit talis,qui omnino auferat irreuerentiæ
47 rationem, & conſequenrer rationem blaſphemiæ:ita ibidem Sanchez;cui adhęreo.
48 Grauitas maxima, & atrocitas peccati blaſphemiæ ex diuerſis capitibus perſpicitur.Primò ex eo quod vbi in Sacris litteris eius fit mentio,nomen benedictionis ſumatur per Antiphraſim,ita 3.Regum cap.21.Benedixit Deo, & Regi,ideſt maledixit, ſeù blaſphemauit,Iob.2.Benedic Deo,ideſt maledic,ſeu blaſphema; horret enim animus ſacri ſcriptoris nomen maledictionis, ſeu blaſphemiæ vſurpare ob atrocitatem criminis; ac proinde vtitur antiphraſi, vt notatur in Catechiſmo Romano, tract. de 2. præcepto Decal.num.29.Perſpicitur item atro-
49 citas blaſphemię ex diſpoſitione Concilij Lateranenſis,ſub Leone X.ſeſſ.9 §. ad abolendam, per ſequentia verba,quicumq. blaſphemantem audie-

audierint, eum acriter verbis obiurgare teneātur, si citra periculum suum id fieri posse contingat. Quod Concilij præceptum nouum est,
50 & districtum ab eo iuris diuini, quod de correctione fraterna traditur, Matth. 18. cum hoc sit exequendum cum suaui monitione, & illud cum graui obiurgatione, ac reprehēsione, etiam absq; spe emendationis obiurgati. Ita Nauar. in Summ. cap. 12. num. 83. Graff. lib. 2. par. 1. decis. cap. 19. num. 16. & cum alijs Sanctarellus cap. 6. de blasphemia, dub. vnico. Et quamuis Azor.
51 tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 7. distinctionem inter hæc duo præcepta non admittat, benè tamen ait illud Concilij Lateranen. non fuisse vsu receptum. Dein grauitas maxima blasphemiæ de-
52 prehenditur ex inflictis acerbissimis supplicijs, & pœnis in Deum, vel Sanctos blasphemantibus, hinc Sennacherib cum 185. millibus ob blasphemiam cæsus est, & Pharao in mari rubro mortuus, dixit enim impius Princeps: Non noui Dominum. Similiter Syri dicentes Deus montium est, Dominus eorum, & non est Deus vallium, multi à paucis Israelitis in Valle prælio occisi sunt 3. Reg. 20. D. Paulus blasphemum Satanæ tradidit, 1. Timoth. cap. 1. Antichristus etiam blasphemus deijcietur in Infernum, Apocal. 13. & 19. Arius in Filium Dei blasphemans viscera effudit, dum aluum purgabat. Lingua tandem
53 Nestorij à vermibus fuit erosa, eò quod diceret B. Virginem esse quidem Cristiparam, non Deiparam, atq. similia sæpe apud Historicos. De pœnis ex iure blasphemo iniungendis dicemus Deo dante lib. 6.

54 Verum de grauitate peccati blasphemiæ loquendo comparatiue, vt hinc iam constet de eius oppositione cum aliqua virtute, pro certo habetur apud omnes odium Dei, disperationē, & infi delitatem esse grauiora peccata, quàm peccatum blasphemiæ, ob eam rationem, quod opponantur virtutibus præstātioribus, nimirum Theologalibus, odium Dei charitati, desperatio spei, & infidelitas fidei diuinæ. At blasphemia
55 cum opposita sit per se, & ex sua natura soli virtuti morali Religionis, (nisi fortè blasphemans per accidens habeat errorem contra fidem, quo casu ex D. Thoma 2. 2. q. 13. ar. 2. est etiam infidelis) dictis tribus exceptis: peccatum blasphemiæ in grauitate, & enormitate superat quæcumq. alia peccata, etiam homicidij, & periurij, ita cum D. Thoma eadem q. 13. art 2. ad 2. & ar. 3. ad 2. Valent. disp. 1. pun. 2. Sotus lib. 8. de iustitia q. 2. ar. 3. Sanctarellus cap. 5 trac. de blas-
56 phemia, dub. 1. Ratio est eadem iam tacta, quia eo grauius est peccatum quo præstantiori virtuti opponitur; sed inter virtutes morales præstantior est Religio, cui contrariatur blasphemia; ergo hęc in grauitate malitiæ superat pec-
57 cata, quæ opposita sunt illis. Nec refert quod homicidium grauius soleat puniri, quam blasphemia; nā in hac vita merito grauius puniuntur ea peccata, quæ statum Reipublicæ, & eius quietem magis auertūt, quale est homicidium.
58 Neque item refert, quod periurium etiam sit Religionis virtuti contrarium; nam ex mente D. Augustini lib. contra mendacium cap. 9. peius est blasphemare, quàm peierare, cum peierando falsæ rei Deus adhibeatur testis, blasphemando autem de ipso falsa dicantur, sic vtrique difficultati satisfacit Sanctarellus adductus numero 3. & 4.

59 Tandem quibus præceptis blasphemia prohibetur? verum quod in fine regulæ asserimus esse nimirum prohibitam primo Decalogi præcepto, cum opponatur Religioni, qua debitus Deo honor exhibetur, & dicto præcepto exhiberi iniungatur; vel opponatur confessioni fidei, vbi per accidens blasphemiæ adiungitur infidelitas, & hæc eodem præcepto sit interdi-
90 cta. Item esse blasphemiam vetitam secundo Decalogi præcepto, eò quod magis in vanum nomen Dei assumat, qui aliquid falsum de Deo asserit, quam qui confirmat falsum per Dei nomen; ità ex D. Thoma 2. 2. q. 13. art. 2. Sanchez lib. 2. in Decal. c. 32. num 8.

De quibus blasphemijs cognoscant Inquisitores? & qualiter hæreticales innotescunt, aut indicantur.

REGVLA CXXXIX.

61 Contra hæreticales tantum blasphem[ias] aut saporem erroris fidei diuinæ oppo[si]ti aliqualiter habentes procedunt Inquisitores. Nonnullæ ex eis facilè cognoscuntur esse tales, tum ex modo ipsas proferendi, tum ex clare earumdem materia, vt si quis per indicatiuum modum aliquid fidei manifestè contrarium
62 de Deo affirmet, vel neget. Aliæ vero quæ sapiant hæresim difficulter, etiam ex parte modi prolationis innotescit; quare singulę perpendendæ, vt indicentur; sicq exactè in particulari, quoad poterit, fiet.

---

63 DOctrina huius Regulę & explicatio eius perneceßaria est Consultori sanctæ Inquisitionis pro qualificandis blasphemijs, assignandisq. illis, de quibus Inquisitores cognoscere, & iudicare possunt. Quippe ex communi omnium ferè sententia de solis hæreticalibus, aut quoquomodo hæresim, seu infidelitatem sapientibus cognoscunt, & iudicant, secus de
64 alijs simplicibus, & haud errore infectis, ità Simanch. de Cathol. instit. cap. 8 Couar. de pactis par. 1 §. 7. Eymeric. par. 2. Direct. quæst. 41. & ibi Peña, Cōmen. 66. Azor tom. 1. lib. 9. cap. 28. q. 5. & Sanchez lib. 2. in Decal. cap 32. num 73. sicq vsu receptum vidi semper spatio 36. annorum per quos munus Consultoris in Sacro Tribunali sanctæ Inquisitionis iugiter exercui, quod Inquisitores tantum processerint contra eos, qui protulerunt blasphemias continentes, vel sapientes hæresim.
65 Nihilominus vnus Sanctarellus nouiter prodijt non sine aliquo fundamento asserens c. 8. tract. de blasphemia, etiam dub. 1. num 1. spectare ad Inquisitores cognitionem, & iudicium de blasphemijs haud continentibus hæresim, vel saporem eius, si sint graues, & impiæ, vt communiter tales esse constat ex dictis; fundat as-

sertio

sertionem suam in Bulla Iulij III. incipit, in
multis, vbi sũmus Pontifex non distinguendo
inter hæreticales, & non hæreticales, omnium
blasphemiarum iudices constituit Inquisito-
res, ibi, Iudices vero tam horrendi, & impij
criminis deputamus, & instituimus RR. DD.
Inquisitores nostros Generales, quos volumus
66 &c. Doctrinam hanc nouam Sanctarelli no-
tat benè Diana par. 4. tract. 7. resol. 8. & eam
non refutat, nec ego refutabo, sed sapientio-
ris iudicij trutinæ relinquam. Solum hic ad-
uertam id quod nec Sanctarellus, nec Diana
notarunt, vt debuerunt, dispositionem dictæ
Constitutionis Iulij tantum esse contra blas-
phemantes in Alma Vrbe Romæ, vt patet ex
titulo, & contextu eius: Atq. non video quo-
modo possit trahi ad blasphemantes extra
67 ipsam. Equidem ad hos potuisset extendere
hic Pontifex, vel alius vniuersali Bulla sic con-
tra quoscumq. blasphemos disponere, sicuti
dispositum fuit iure nouo, maxime per con-
stitutionem Sixti V incip. Cæli, & Terræ, vt In-
quisitores de quibusuis sortilegijs, etiam sim-
plicibus, & non sapientibus hæresim cogno-
scũt; tametsi attento iure antiquo de solis hę-
reticalibus cognoscere possent, vt alibi à no-
bis fuit traditum; sed talis extensio, vel dispo-
sitio contra blasphemias non hęreticales vbi-
cumq. prolatas adhuc non apparet.
68 Meo sanè iudicio esset valde optandum vti
rationabile, & conducens ad bonum Eccle-
siæ Catholicæ, vt de blasphemijs non sapien-
tibus hæresim pro quouis loco Inquisitores fi-
dei legitimi Iudices constituerentur; quando-
quidem istæ magis ad saporem hæresis, quam
sortilegia simplicia videantur accedere. Quod
69 inde ostenditur manifestè; quia tametsi non
sit de ratione blasphemiæ, vt in actu signato,
seu enunciatiuè aliquid falsi contineat, in actu
tamen exercito, seu ex modo saltem profe-
rendi eam, nunquam deest falsitas in ipsa, vt
cum inhonestè pudenda Christi, aut Sancto-
rum membra nominantur, ista in in eis irriso-
rio, & contumelioso modo reperiri à blasphe-
mãte significatur, quod prorsus est falsum, ità
Caiet 2.2.q.13.art.1. ibi Bañes notabil. 2. Ara-
gon. concl. 3. Valent. disp. 1. pun. 1. Tolet lib. 4.
Summ. cap. 13. n. 6. Simancas de Cathol. instit.
tit. 8. n. 2. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. nu 6.
70 & alij: quibus cur Suarez tom. 1. de Religio-
ne tract. 3. lib. 1. cap. 4. n. 9. & Azor, tom. 1. in-
stit. moral. lib. 9. cap. 28. q. 1. & 2. non consen-
tiãt, nequaquam percipio.
71 Contra hæreticales itaq. tantum blasphe-
mias, vel saporem hæresis continentes pro-
cedunt extra Vrbem Inquisitores; vnde quæ-
72 nam sint istæ, diligenter perpendendum. Pri-
mò quotiescumq. in actu signato, seu enun-
ciatiuè per modum indicatiuum aliquid dici-
tur contra Deum, fidei oppositum, est manife-
sta blasphemia hæreticalis, siue affirmando
de Deo, quod ipsi secundum fidem non con-
uenit, siue negando de eo, quod conuenit; vel
etiam tribuendo creaturæ id, quod eidẽ Deo
soli competere fides docet; aut de his etiam
dubitationem aliquam verbis ostendendo.
73 Exempla clara sunt, Deus est iniustus, accep-
tor personarum, non est omnipotens, non cre-
do in Deum, *discredo di Dio*, renego Deum, fi-
dem, crucem, puritatem Deiparæ &c. Tradũt
Eymericus in direct. 2 p. quæ. 14. & ibi Peña
comm. 66. Roias de hæret. p. 1. assertione 12.
nu. 170. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1.
cap. 5. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. nu. 36.
& alij communiter. Ratio est, quia dicta exẽ-
74 pla, & similia, sic per modum indicatiui pro-
lata fidei abnegationem, vel infidelitatem in
mente blasphemantis connotant.
75 Dixi connotari tunc abnegationem fidei,
vel infidelitatem, non quod blasphemia hæ-
reticalis habeat necessario coniunctam hęre-
sim, aut infidelitatem, cum possit esse sine ea.
76 Pro cuius intelligentia notandum id, quod
egregiè docent Sanchez vbi proximè, num. 3.
& Valentia 2.2. disp. 1. q. 13 pun. 2. cum Caiet.
eadem quæst art. 1. vers. ad euidentiam horũ,
& Castro lib. 1. de iust hęret punit. cap. 12. blas-
phemiam non consistere in sentiendo aliquid
contra Deum; sed in dicendo; infidelitatem
verò, seu hæresim, e contra in assensu aliquo
77 falso de Deo. Vnde licet blasphemia non sit
propriè infidelitas, nec eius species, potest ta-
men inueniri coniuncta cum infidelitate, seu
hæresi, & ab ipsa separata, vt si quis dicat
Deus est iniustus, credens ita esse, erit simul
hæreticus, quatenus credit; & blasphemus,
quatenus dicit; si credit, & non dicit erit tan-
tum hęreticus; si deniq. dicit, & non credit,
erit solum blasphemus; eius tamen blasphe-
mia vocatur hæreticalis, quia est de materia
contra fidem; & quia ipsam proferens erro-
rem in mente contra eandem fidem habere
præsumitur.
78 Est item manifestè hæreticalis blasphemia,
si quis per falsos Deos, aut idola, vt per Iouem,
vel Mercurium verè, vel falsò iuret; quæ blas-
phemia à Sanchez citato, & à Sanctarello
tract. de blasphem. cap. 2. dub. 2. meritò repo-
nitur in primo gradu, tanquam omnium ne-
fandissima; quia simul est actus Idololatrię; cũ
honorem, qui soli Deo vere debetur, sic iurãs
falsis Gentilium Dijs tribuat, atq asserat ipsos
Deos, aut Idola, seu Dæmonia in eis loquen-
tia esse summam, & infallibilem veritatem:
quod attributum soli Deo vero competit. Si-
79 militer ob eandem rationem, est clara, & gra-
uissima hæreticalis blasphemia, si quis iuret
per quamcumq. creaturam, non vt est, quid
Dei; sed in ea sistendo, vt ex doctrina D. Tho-
mæ 2.2.q. 89. art 6. & Soti lib. 8 de iust. qu. 1.
artic. 6. notauit idem Sanctarellus, & Suarez
tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 4. quia qui
iurat per creaturam sistendo in ea, tribuit ipsi
esse summam, & infallibilem veritatem, ac pro
inde blasphemat tribuendo creaturæ, quod
est proprium solius Dei, nempe adduci in te-
stem, tanquam summam, & infallibilem veri-
80 tatem. Tandem vniuersaliter loquendo, vt
ex communi omnium adducit Diana vbi su-
pra, quæcumq. sunt propria solius Dei, quo-
ties quis tribuit creaturis, id verbis exprimẽs,
toties hæreticaliter blasphemat. Hinc sine

dubio est blasphemia hæreticalis tribuere
81 omnipotentiam, vel sanctitatem Diabolo, ipsum vocando sanctum, etiamsi non affirmatur, sed cum sola exclamatione id fiat ò San-
82 ctum Diabolum. Sicut quamcumq. aliam blasphemiam hæreticalem posse simili modo proferri, vt ò Deum iniustum? docent egregiè Suarez citatus, & Sanchez vbi supra num. 36.
83 Qui numero 34. circa hanc blasphemiam tribuendi creaturę, quod est proprium Dei, cum Azor ibidem qu. 3. vere sic affirmat, crimen hoc, inquit, solent admittere lasciui fęminarum amatores, quas ita ardenter amant, & immodicè laudant, vt blasphemantes nominibus Dei proprijs eas appellent.

Sed quid quando de Sanctis renegatur, pro-
84 fertur ne blasphemia hæreticalis? vt si quis dicat; renego D. Petrum, aut renego Sanctum Angelum Custodem? idem Sanchez n. 36. ait se nihil inuenisse apud Doctores circa hoc, & benè iudicat non esse, nec Inquisitores contra eam inquirere, vt ab ipsismet accepisse ille affirmat, Ratio est, quia in simili blasphemia haud negatur. de illis aliqua veritas ad fidem spectans; sed solum profertur in Sanctos verbum contumeliosum, quod blasphemiam tantum simplicem continet, quæ resolutio Sanchez omnino placet.

85 Quid item si absq. expressione Dei, aut alicuius Sancti, indeterminate vtitur quis hoc modo dicendi, renego talem, aut vulgariter, renego il tale, erit ne blasphemia hereticalis? vel simplex? aut nulla? certum est pendere hoc ex intentione proferẽtis, sit blasphemia, nec ne? & qualis; si enim nomine, tale, Deum inteligat, hęreticalis erit, si Sanctum aliquem, simplex tantum, si verò neutrum, erit nulla. Ità cum Ludou. Lopez 1. par. institution. cap. 282. & Manuele Rodi. 1. tom. summ. 2. editi cap. 34. n. 1. Sanchez adductus n. 23. & Sanctarellus cap. 2. de blasph. dup. 1. num. 10 Qui be-
86 ne aduertunt pro foro externo ex coniecturis ferendum esse iudicium; sicut in similibus difficilis probationis, quę in corde latent, iuxta communem doctrinam, quam tradunt Bald. in l. Deo nobis C. de Sacros. Eccles. Albert. tract. de agnoscen. assert, q 27. n. 19. & alij. Si
87 enim quid ex iracundia, & furore diceret, renego il tale, eleuans oculos ad Cœlum, essetque homo prauæ conscientiæ, præsumeretur blasphemasse contra Deum, vel Sanctum aliquem: secus si esset vir timoratæ conscientię.

88 Præterea erit hęreticalis blasphemia, quando quis dicit, deuoueo Deũ, vel deuoueo Deo si sensus talium verborum sit, non credo in Deum, aut abnego Deum, talemq. esse eorum sensum tenet Couar. de pact. 1. par. §. 7. nu 9. aut si sensus sit, Deum maledico, seu Deum execror, videturq sic esse ex mente D. Augustini in lib. quęst super numeros cap. 40. Atque hoc defendunt Azor tom. 1. lib. 11. cap. 3. q. 2.
89 & Sanctarellus loco citato n. 14. Addens probabiliter secundum aliquos, quos non citat, sensum illius formę, deuoueo Deo, esse, se Deo vouere, sicq. non esse blasphemiam vllam; sed votum potius, vel iuramentum.

90 Continet etiam blasphemiam hęreticalem ille modus dicendi conditionaliter, nisi te percussero, nisi hoc, quod dico verum sit, Deũ abnego, vel Deus est impotens, iniustus, potest errare &c. Ratio est, quia proferens talia verba pręsumitur ita sentire, quod fides Christiana non sit omnino certà; sed pendeat ex conditione, quæ potest euenire, & non euenire, pręsumitur tenere, quod sit neganda fides, vel onnipotentia diuina, aut iustitia &c. si non sequatur percussio, quam ipse blasphemans minatur, aut si non sit verum id, quod dicit, tradit Cordub in summ. quęs. 61. Couar. de pactis par. 1. §. 7. n. 9. & Rojas de hære. 2. p. assert. 12. quibus idem Sanctarellus n. 13. adhæret.

91 Si quis contra Deum, vel Sanctos per iocum verba contumeliosa proferat, censetur blasphemasse, & quidem hæreticaliter; si illa fuerint hæreticalia, & possunt Inquisitores contra eum procedere, atq ad ipsum pertinet probare se ioci gratia, vel ex lubrico linguæ talia verba protulisse. Docent communiter omnes, præcipue Simanch. cathol. institut. 17. num. 18. Zanch in. tract. de hæret. c.
92 num. 6. Rojas sing 103. Peña in direct. par comm. 17. Farin. de hæresi. q. 179. §. 4. nu. Gundisaluus tract. de hæret. q. 8. nu. 6. Quamquam hic sibi contrarius q. 1. n. 8. & Decianus tract. crim. lib. 5. cap. 37 n. 8. absq. fundamento asserunt, quod non ad Inquisitores; sed ad ordinarios spectet procedere contra tales ioco vel lubrico linguæ similia verba hæreticalia vel sapientia hæresim proferentes, vt refert Sanctarellus vbi supra cap. 8. dub. 2. hos duos reijciens, & illos sequens.

93 Dubium excitari solet circa hanc blasphemiam, *al dispetto di Dio*, an sit hæreticalis? supra Regula 137. prima huius materiæ, vers. formælę, seu modi inter exempla blasphemiarum simplicium, seu non hæreticalium reposuimus, idq. probabiliter tantum, atq. talem esse defendunt graues auctores, vt Rojas de hæret. par. 2. n. 170. & Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 8. & Sanchez in Decal. to. 1. lib. 2.
94 cap. 32. nu. 36. Probant inde, quia illis verbis, *al dispetto di Dio*, non significatur posse aliquid fieri contra efficacem Dei voluntatem; sed vel proferuntur per modum imprecationis, optando Deo displicentiam, aut tædium de tali re, vel significant voluntatem in proferente faciendo aliquid, etiam si Deo displiceat, ea ratione, qua displicere potest per voluntatem antecedentem, aut signi, ità perdocte Suarez.

95 Plures tamen Doctores etiam melioris notę, vt Nald. in summ verb. blasphemia num. 1. Florius de casibus reser. par. 2. cas. 3. nu 8. Sanctarellus tract. de blasphem. cap. 2. dub. 1. n. 3. Fillucius de casibus reser. casu 3. n. 2. & Lazarius de blasphem qu. 6. n. 39. contrariam partem, quod sit hæreticalis, absolutè tuentur Diana dict. resol 8. hoc vt probabilius tenet: & ego vt tutius etiam in vtroque foro sic te-
96 neo. Ratio est, quia illo modo loquendi derogatur omnipotentiæ Diuinæ; cum sensus illius

illius sit debere fieri id, quod blasphemans profert, etiamsi Deus sua omnipotentia nolit.
97 Vndè merito reijciendi sunt vti falsò sentiẽtes, nullo modo esse blasphema dicta verba, al dispetto di Dio, nempe Baldus lib.3.consil. 476. Angel. in l. his verbis, ff de hæred. instit. Alexander ad Bartol. in l. apud Labionem, §. ait prætor, de iniur. & Felin. in proemio Decret. n. 11. sicuti reijciuntur à Mascardo lib. 1. de probat. conclus. 194. n. 3. Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 4. casu 275. ab Azorio to. 1. lib. 11. cap. 3. q. 2. & ab alijs.
98 Modus dicendi vulgaris, può far Dio, non continet blasphemiam hereticalem, sed tantum simplicem, vbi quis sic dicit ex iracundia, vt conuitio Deum afficiat. Imo nullam, si
99 solum intendat dicere, cum exaggeratione, quod Deus possit facere; est tamen aliqualis irreuerentia contra Diuinum nomen, & consequenter peccatum saltem veniale, ita Sanctarellus dict. cap. 2. dub. 1. n. 16.
100 Ad affirmandum esse aliquid certissimum quandoque vtuntur homines his modis dicẽdi, hoc est Euangelium, hoc ita est verum, sicut verum est Christum natum esse de Beata Virgine, sicut Deus est ipsa veritas, & similibus, in quibus dubitatur, an subsit blasphemia? aliqui vt Suarez tom. 1. de releg. tract. 3. lib. 1. cap 6. & Sanctarellus vbi supra, nu. 19. adhærentes Couarruuiæ de pactis, 1. par. §. 7. nu. 9. absolutè asserunt subesse blasphemiam, & quidem hæreticalem, quia per huiusmodi loquendi modos cõceditur creaturæ, id quod est proprium creatoris, nẽpe esse prorsus certam, & infallibilem veritatem, cum in illis tãta certitudo locutioni humanæ tribuatur, quanta est in diuina, vti per se sonat quiuis ex dictis modis, hocq; præsumitur saltẽ, quoad forum externum de intentione sic loquentis: vnde fundata mihi videtur istorum Doctorum assertio.
101 Nihilominus alij, vt Medina lib. 1. summ. cap. 14. §. 2. Azor tom. 1 lib. 11. cap. 3. qu. 2. & Sanchez in Decal. lib. 2. capit. 32. bene sub distinctione respondent, quod blasphement sic dicentes, & comparantes, si intendant profiteri tantam esse certitudinem in ijs, quæ dicunt, quanta est in prolata fidei veritate. E
102 contra verò quod nullo modo blasphemẽt, si velint aliquam tantum similitudinem, & non æqualitatem indicare, nempe suo modo, hoc, quod dicunt, sit ita verum, sicut est verũ Euangelium &c. Atq. in hoc etiam videtur inclinare Suarez, & placet quidẽ hæc rẽspõsio.
103 Quid tandẽ de illo modo loquendi, quando in infortunijs contingentibus, quis dicit, sic erat futurum? Resoluitur breuiter talem modum loquendi non esse passim vsurpandum eò quod per ipsum videatur significari Deum hominibus imponere necessitatem absolutam & non esse admittendos contingentes rerum euentus, quod dicere de se blasphemia est
104 hæreticalis. Verum si intelligatur non de necessitate absoluta, tollente libertatem humanam, & rerum contingentia; sed de necessitate conditionali, & ex suppositione, quã omnia à Deo ordinata, & præuisa necessario eueniunt, tunc ille modus loquendi nulla ratione est malus, ita ijdem Sanchez num. 35. & Sanctarellus nu. 17. cum Corduba in Summ. q. 62. & cum alijs.
105 In edicto Sanctæ Inquisitionis merito fit peculiaris mentio de euomentibus blasphemias contra Sanctissimam Virginem Deiparam Mariam, & non contra particularem aliquem Sanctum, ob hanc sine dubio rationem, quod tametsi omnes blasphemiæ sint per se eiusdem speciei, quippe oppositæ eidem virtuti religionis, vt dictum supra; ac proinde eiusdem specificę malitiæ, præter diuersas malitias, quæ per accidens eis adiunguntur oppositas alijs virtutibus, vt malitiam hæresis contra fidem, aut malitiam desperationis cõtra spem, vel malitiam odij Dei contra caritatem, si ex odio Dei, aut ex desperatione, vel ex errore fidei contrario proferantur, vt ex
106 communi doctrina affert Sanchez loco citato n. 38. Nihilominus attenta qualitate, seu excellentia personæ, etiam in ratione blasphemiæ, quæuis contra B. Virginem prolata habet aliquid maioris grauitatis, seu enormitatis. Audi Peñam sic istud egregiè asserentem 2 p. Direct. comm. 66. Illæ verò, inquit, inter maximas blasphemias computandæ sunt, quę contra Sacratissimam Mariam Virginem Matrem Dei prolatæ fuerint, has enim diuina
107 etiã vltio grauiter coercet: hæc ille. De corrosione à vermibus linguę Nestorij iam supra egimus, legendus Nicephorus lib. 18. historiæ Eccl. cap. 33. Inter blasphemias aduersus B. Virginem illa præcipuè pias aures valde offendit, horroremq. maximum excitat, cuius frequens est vsus alicubi in Italia, nempe, Putana di Dio; esse autem hæreticalem, & seuerissime puniendam, etiam in locis, vbi est valdè in vsu, iam dubium fuisse declaratum audiẽ à Sacra Congregatione Vrbis. Quod si dictis
108 verbis, vel alijs blasphemis contra B. Virginem facta iniqua, & horrenda quis adiungeret, vt si in eius imaginem lapides proijceret, eam pedibus conculcaret, fœdaret, si pugione, vel gladio dirumperet, nullum prorsus dubium scelus multo magis iniquum, magisque horrendum committeret, vt per se patet.
109 Quid quod si absque verbis blasphemis per sola talia facta aduersus Christi Saluatoris, vel Deiparæ, aut alterius Sancti imaginem quis furibundus insultaret, vti blasphemus censeri deberet, & contra eum, tanquam contra blas-
110 phemum ab Inquisitoribus esse procedendum. Ita cum diuersis ab ipso citatis docet benè noster Sanctarellus, tract. de blasphem. cap. 8. dub. 2. n. 6. Atq. hæc pro pręsenti instituto de hac materia, de abiuratione, & pœna blasphemi alibi opportunius.

CAPVT XIX.

De libris prohibitis, deque personis retinentibus eos, legentibus, imprimentibus, & defendentibus, atque de iurisdictione Inquisitorum contra ipsos.

PROOEMIOLVM.

1 PRoponitur materia ista in edicto Sanctæ Inquisitionis per hanc clausulam longiusculam.
(*Ch'habbiano hauuto, ò habbino libri, ò scritti, che contengono heresie, ò libri d'heretici, che
trattano de Religione, ò in qualunque modo prohibiti, senza autorità della santa Sede Apostolica,
che l'habbiano letti, ò tenuti, ò stampati, ò fatti stampare, ò difesi, ò li leggano, ò tengano, stampano,
fanno stampare, ò defendono, sotto qualsiuoglia pretesto, ò colore, ò vero libri di negromanzia, magia,
ò continenti incantationi, sortileggij, ò simili superstitioni, massime con abuso di cose sacre;*)
Latinè sic, quod habuerint, vel habeant libros typis excusos, aut manu scriptos, in quibus continentur
hereses; vel libros hereticorum, tractantes de Religione, aut quouis modo prohibitos
absq. Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, seu priuilegio, aut quod eos legerint, tenuerint, typis
excuderint, vel excudere curauerint, defenderint, aut quod eos legant, teneant, typis excudant,
vel curent excudere, aut defendant sub quouis prætextu, vel colore: vel etiam libros necromantiæ,
magiæ, aut eos, in quibus continentur incantationes, sortilegia, & similes superstitiones, ma-
2 xime cum abusu rerum Sacrarũ. Hactenus, clausula edicti; quæ interpretatione indiget, vt magis
expresè constet de multiplici prohibitione librorum: quod præstabitur Regulis sequentibus;
primo loco vnum verbum de potestate eos prohibendi.

An, & quatenus potestas in Ecclesia prohibendi libros; quot, & quales modi seu gradus in particulari librorum prohibitum.

REGVLA CXL.

3 HAbet Ecclesia potestatem omnimodam
prohibēdi libros modi seu gradus ipsorum
quatuor præcipui assignantur, alijs alij
strictioris prohibitionis. In primo gradu sub
4 pœna excōmunicationis Papæ reseruatæ, prohibentur
omnes, qui sunt hæreticorũ, & continēt
heresim, vel de Religione ex professo tra-
5 ctāt. In secundo sub eadē censura ipso facto,
nulli reseruata, prohibentur illi, in quibus est
aliqua hæresis, aut suspicio eius, quamuis sint
compositi ab auctore Catholico. In tertio
6 sub eademmet censura, etiam non reseruata
prohibiti sunt libri, à quouis hæresiarcha, aut
hæretico editi, nondum per Ecclesiam legitimè
approbati. In quarto tandem gradu ab-
7 sque vlla censura, ob aliam causam excepta
hæresi, multi libri interdicuntur.

8 CErtum de fide in Ecclesia Catholica reperiri
omnimodam potestatem ad libros
prohibendos, & comburendos, atq. contrarium
dicere esse hæreticum. Ita Suarez de
fide tract. 1. disputat. 20. sect. 2. & Sousa lib. 1.
Aphor. cap. 21. num. 1. Executio autem hu-
9 ius potestatis incipit initio primitiuę Ecclesiæ,
tunc iam prohibitum fidelibus libros Gentilium
legere, vt testatur Clemen. lib. constit.
Apostolicarum cap. 6. & de combustione eorum
habetur cap. 19. Act. Apost. ibi sic: Multi
autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt
libros, & combusserunt coram omnibus:
quod suasione, seu iussu Apostolorum,
teste Eusebio lib. 3. de demōstratione Euangelica
cap. 8. præstabant ille nouiter conuersi
ad fidem Catholicam, præcipue Ephesini; qui
prius in gentilissimo libris magicos caros habuerant,
eos igni tradebant, etiamsi magni
pretij essent, vt traditur expresè in ipso sacro
textu: computatis, inquit, pretijs illorum, inuenerunt
pecuniam denariorum quinquagin-
10 ta millium. A Concilio item Nyssen. decretũ
fuit, vt libri Arrianorũ cōburerentur, quod
posteà Constantinus iussit executioni mandari,
vt refert Nicephor. lib. 8. cap. 18. in Concilio
etiam Chalcedon. actio. 3. in Synodo sexta,
can. 63. & in septima, can. 3. in Concilio Constan.
sess. 8. ac in alijs Concilijs, Decretis, aut
Bullis Pontificijs citandis, idem iugiter statutum,
vt libri hæreticorum, & infidelium no-
11 xij, quamprimum concremarentur. Atq. hæc
potestas prohibendi, & comburendi similes
libros nō solum apud Ecclesiasticos; sed apud
sæculares etiam magistratus semper residet.
Hinc circa hoc dispositũ in iure ciuili, l. damnato,
& l. quicumq. §. nulli, & §. omnes, C. de
hæreticis, & l. mathematicos, C. de Episcopali
audientia.

12 Ex hac proposita executione dictæ potestatis
tantam eius de fide certitudinem egregiè
deducit ibi Suarez, atq. conuenientiam
eius-

eiusdem ostendit, efficaciter argumentando, præcipue à fortiori, Ethnicorum Principum, seu Magistratuum exemplo, qui libros, quos rebus pub. noxios iudicarunt, quouis tempore prohibuerunt, aut comburi iusserunt, sic factum ab Atheniensibus de libris Pythagoræ, circa diuinitatem male tractantibus, vt refert Cic. lib. 1. de natura Deor. & Lactant. lib. 1. de ira Dei. Sic etiam factum de libris Religionis à Numa Pompilio scriptis, quod leues quasdam Sacrorum causas continerent, vt auctor est Plutarch. in Num. Tit. Liuius lib. 40. & D. August. lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 34. Plura circa hoc exempla inuenies apud Simanch. Cath. instit. tit. 38. apud Lorinum in dicto cap. 19 Act. Apost. & nouissimè apud Torreblancam lib. 3. cap. 15. à n. 6.

14 Notandum hic obiter doctrinæ gratia, inde prouenisse, quod Rex Antiochus libros legis Dei, seu veteris Testamenti reputans perniciosos, edicto pœnali eos prohibuerit, militesque combusserint, quoscumq. ipsorũ apud quemuis inuenissent, vt habetur li. 1 Machab. cap. 1. Atq ex eodem errore, quod Domitianus Imperator præceperit, vt omnia sacra volumina igni traderentur, vt videre est apud Euseb. lib. 8. Ecclesiast. histor. cap. 2. & apud Niceph. lib. 7. capit. 3. & refert idem Torreblanca loco citato. Atq. hæc satis de dicta potestate.

15 Circa quadruplicem gradum librorum prohibitorum constabit manifestè ex vniuscuiusque declaratione: de libris primi gradus habetur expresè in Edicto. Sed expressius in Bulla Cœnę Domini propè finem primę clausulæ, ibi, ac eorum, (idest hæreticorum) libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis
16 ingenio, vel colore. Hinc constat, vt libri quiuis sint prohibiti in hoc primo gradu, & vt contrahatur excommunicatio reseruata
17 Papæ (de qua reseruatione in ipsa Bulla Cœnæ, ibi, cæterũ à prædictis sententijs nullus per alium, quam per Romanum Pontificem &c.) ex duplici capite prouenire, & duas conditiones simul requiri, nempe vt sint editi ab hęretico, & vt hæreses, seu errores contra fidem contineant; vel similiter, vt sint auctoris hæretici, & vt tractent de religione ex professo, vt explicant cum alijs Sanchez,
18 & Vgolinus citandi. Atq. quoad primum caput, sufficit pro secunda conditione si vna tãtum hæresis manifesta in eis contineatur, ita Sanchez lib. 2. in Dec. cap. 10. n. 34. & Suarez tom. 5. de censuris disput. 21. sect. 2. quos alij communiter sequuntur; ob hanc rationẽ, quia verba Bullæ Cęnæ verificantur, si vnica hæresis contineatur semel tantum expressa in libro; ergo &c. Vndè male Graffius vbi infra requirit, vt de heresi liber ex professo tractet.

19 Petes, qui libri dicantur de Religione ex professo tractare, vt requirit secunda conditio posterioris capitis? Respondeo cum eisdẽ Suarez, & Sanchez n. 21. & cum Vgolino de casibus Papę reseruatis 2. p. cap. 1. esse multiplices; primo pertinentes ad expositionem articulorum fidei, & totius scripturæ sacræ, vel partis eius; item explanantes totã Theologiam Scholasticam, aut aliquam ipsius partem (secus si explanent philosophiam, vel inferiores artes, aut si historias contineant)
20 Agentes etiam de cultu Deo, & Sanctis tribuendo, de moribus Christianis, & non politicis, de quæstionibus tandem, seu casibus conscientiæ. Ratio est quia adest periculum non exiguum inserendi errores in quolibet libro tractante ex professo de huiusmodi materijs, si auctor eius sit hęreticus; propterea adeò strictè prohibetur in Bulla Cœnæ.

21 Sed quid de libris, quos Græci, & Armeni Schismatici de suis ritibus ediderunt? Huc spectare respondent optimè Suarez tract. de fide disp. 21. sect. 2. numer. 12. & Sandarellus vbi infra (quid quid in cõtrarium dicant alij) & assignant efficacem rationem; quia isti Græci Schismatici ritè, vt certò supponitur, baptizati, semper errant circa varias res fidei, maxime circa processionem Spiritus Sancti, & circa articulum Romani Pontificis, er-
22 go sunt hæretici. Atq. quod tales libri ab eis de ipsorum ritibus compositi, tractent de Religione, nequit vllo modo negari, ergo comprehenduntur sub prohibitione Bullæ Cœnæ in secundo capite; imo & in primo, si in dictis libris, vt contingere sine dubio potest, aliquis error contineatur contra fidem Catthologicam; atq. hactenus de libris prohibitis in primo gradu ex quatuor assignatis in Regula.

23 Iam de prohibitis in secundo gradu innotescit clare ex illa particula Edicti licet valdè generali (*ò in qualunque modo prohibiti*) sed multo clarius in specie ex constit. Pij IV. edita pro approbando indice librorum prohibitorum, cum Regulis confectis per patres à Tridentina Synodo delectos, incipiente, Dominici gregis; ibi, is quidem, qui cuiusuis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmaris suspicionem damnata, atq. prohibita legerit, habueritue, ipso iure in excommuni-
24 cationis pœnam incidat. De qua excommunicatione etiam fit mentio in Regula 10. dicti Indicis, ibi, quod si quis &c. & cum nec hic, nec ibi reseruatio eius exprimatur, nulli reseruata censetur, vt benè notat Bonacina tract. de censur. disp. 2. quæst. 5. pun. 4. nu. 2. & Suarez de fide disp. 20. sect. 2. n. 29.

25 Nota, cũ dicitur scripta cuiusuis auctoris, intelligi, non hæreticum; si enim auctor sit hæreticus, vel Apostata, & eius scripta ob hæresim, quam continent, sint prohibita, non ad hunc secundum gradum, sed ad primum spectabunt.

26 Nota item, per scripta intelligi tam quæ manu exarata sunt, quem quæ typis excusa, vt habetur expresè in ipso Edicto, & testantur Vgolin. vbi supra, ac Sanchez adductus numer. 28. quia periculum infectionis, ob

quod sit eorum prohibitio, ęque reperitur in manu scriptis.

Ex dictis deducitur, quod ad hunc secun-
27 dum gradum librorum prohibitorum spectent illi, quorum auctor est aliquis infidelis non baptizatus, siue Iudæus sit, siue Gentilis, si errores contra fidem Catholicam contineant; exemplum sit in Thomuld. & alijs libris Hebręorũ Cabalistis &c. quos post Gregorium XIII. per constit. incip. Antiqua Iudæorum &c. ibi si libros hæreticos, vel Tholmudicos &c. ac post prædecessores eius Gregor. IX. Innoc. IV. Clem. IV. Honor. IV. Ioann. XXII. & Iulium III. nouissimè Clemens VIII. prorsus damnauit, & prohibiit quauis lingua etiam Hebraica editos, per Bullam, incip. Cum Hebręorum malitia &c. etiam quoad Christianos sub excommunicatione latę sententię, non reseruata, quia ibi nullum
28 verbum de reseruatione. Sit item exemplum in scriptis, seu commentationibus super Alchoranum Mahometi, per quemcumq. infidelem non baptizatum elaboratis, si aliquid in eis contra veritatem fidei Christianę inueniatur, vt per se ex dictis patet. At liber Al-
29 choranus, per ipsummet Mahometum cõpositus inter libros prohibitos huius gradus reponendus; cum diuersa in ipso fidei Catholicæ contraria reperiantur. Quod clare innotescit ex his, quæ tradit Sanctarellus tract. de hæresi cap. 14. toto num. 7. qui peculiariter aduertit esse prohibitum Alchoranum Basileæ impressum, cum scholijs &c. paterq. ex indice librorum prohibitorum; atq. hæc dic-
30 ta sint saluo meliori iudicio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sacræ Congregationis pro indice librorum prohibitorum institutæ in Vrbe à Sixto V. per constitut. incipien. Summa æterni Dei, cui in primis commissum negotium expendendi, quinam libri sint prohibiti & qualiter seu in quo gradu.

31 Haud incongruè ad prædictos duos gradus reducimus libros Astrologię iudiciariæ, seu Geomantię, necromantię &c. aut sortilegia continentes, quorum damnatio, & prohibitio stricta extat in Regula IX. Indicis, sed strictior in constitutione Sixti V. incip. Cœli, & terræ, confirmata, & ampliata per Vrbanum Papam VIII. noua Bulla incip. Inscrutabilis iudiciorum Dei. Si enim tales libros sint compositi ab aliquo Astrologo hæretico, vel Apostata, & in ipsis contineatur saltem vnica hæresis pertinebunt ad primum gradum, & erunt prohibiti sub excommunicatione reseruata in Bulla Cœnę. Si vero sint editi ab Astrologo, seu auctore Catholico, &
32 contineant hæresim clarè, aut suspicionem eius, seu falsi dogmatis. (Quę suspicio erit vehemens, vbi in eis exprimuntur inuocationes Dęmonum, vel sortilegia qualificata, maximè cum abusu rerum sacrarum, leuis vero, seu aliqualis, si exprimantur sola sortilegia simplicia, vt patet ex dictis à nobis in materia de sortilegijs) tunc spectabunt ad secundum gradum prohibitionis sub excommunicatione ipso facto non reseruata, de qua in dicta Bulla Pij IV. Domini ci gregis &c. ac Regula 10. Indicis propè finem, Ita asserit, & distinguit Bonacina vbi supra num. 4. cum Duardo q. 45. concl. 4. num. 19. & Farin. de hæresi qu. 181. num. 36. Vnde non video quo
33 fundamento absolutè, & vniuersaliter asserant, Suarez de fide disp. 20. sect. 2. num. 29. & Sanctarellus de hęresi, cap. 14. num. 5. quod violantes prohibitionem librorum Astrologiæ iudiciariæ contrahunt excommunicationem Papę reseruatam ex vi Bullę Sixti V. cū sæpius ipsam attente legerim, & verbum nullum de reseruatione inuenire potuerim, sicut, nec in alia citata Vrbani VIII. ad confirmationem, & ampliationem illius edita; ergo standum decisis.

34 Ad tertium gradum pertinent libri prohibiti sub excommunicatione latę sententię non reseruata, si sint editi à quouis hęretico, & à fortiori à quouis hęresiarcha, dum non sunt approbati per Ecclesiam Catholicam; etiamsi non contineant hęresim, & fuerint compositi ab eo antequam hęreticisum amplecteretur; dum esset adhuc Catholicus, cõstat ex sæpius citata Bulla Pij IV. Dominici Gregis, is quidem, qui hæreticorũ libros &c. & ex Regula X. Indicis, & docet idem Bonacina num. 38. assignatque efficacem rationem, quia eo ipso, quod liber est compositus ab homine hæretico, & multo magis ab hæresiarcha, insurgit nõ leuis suspicio, in eo contineri aliquam hæresim, aut falsum dogma contra fidem, quamuis fuerit editus, antequam auctor eius fieret hæreticus, vel apostata; ergo meritò, dum non est approbatus ab Ecclesia Catholica, prohibetur sub dicta cen-
35 sura; Facta autem legitimè per Ecclesiam Catholicam approbatione, iam nullo modo erit prohibitus.

36 Nota, quod nomine hęretici in hoc loco & in superioribus intelligatur non qui ex ignorantia etiam culpabili aliquem errorem contra fidem protulit, sed qui hæreticus formalis habetur, & re vera est cum pertinacia, quamuis per sententiam iuridicam non sit adhuc declaratus, & de hæresi condemnatus; ità Suarez de cens. tom. 5. disp. 21. sect. 2. num. 11. Sanctarellus loco citato cap. 13. n. 5.
37 & alij. Quidquid dicat Graffius lib. 4. decision. cap. 18. num. 40. quod debeat intelligi de hęretico iam declarato iuridice, & condemnato. Vndè eius dictum, vt falsum reijcitur à Sanctarello ibidem, & meritò quidem; quia nullibi, neq. in Bulla Cœnę, neq in constit. Pij IV. neque in Indice exprimitur vllo modo quod ibi sit sermo de hęretico per sententiam condemnato, & declarato; sed tantum de hæretico simpliciter.

38 Nihilominus certius decisa locum habent in hæreticis declaratis, & condemnatis pro talibus, quia damnato auctore, etiam eius libri censentur damnati, cap. fraternitatis de hæreticis, & cap. nullus 3. q. 4. & adducit Fa-
39 rin. de hæres. quest. 139. §. 1. num. 22. citans multos. Hi autem quinam? Innumeri pene sunt, præcipui tamen illi expressi in Indice

Romano

Romano librorum prohibitorum; qui in tres diuiditur classes, vt habetur in Præfatione eius. Prima continet nomina eorum, 40 qui aut hæretici, aut nota hæresis in suis scriptis suspecti fuerunt, præcipuè nomina hæresiarcharum. Secunda refert, non aucto-
41 res, sed libros ipsos prohibitos, licet cogniti sint illi, & certi, qui hos ediderunt. Tertia assignat libros prohibitos incertorum aucto-
42 rum. Ad cognoscendos itaq. tam hæreticos declaratos iuridice, quam eorum libros prohibitos, recurrendum ad has clases per Patres à Tridentina Synodo deputatos olim assignatas, & postea decursu temporis, iussu præcipuè Sixti V. valide auctas: recurrendũ item ad varia decreta, siue à Congregatione Sancti officij contra hæreticam prauitatem; siue ab alia dicta supra Congregatione Indicis; siue à Magistro Sacri Palatij circa libros prohibitos, edita, ac ipsi Indici adiuncta per Adm. Reu. Patrem Fratrem Franciscum Magdalenum Capiferreum Illustrissimi Ordinis Prædicatorum prædictę Congre-
43 gationis Indicis secretarium. Qui anno 1632. clariori, & locupletiori ordine alphabetico eundem Indicem, iam prius de mandato Clementis Papæ VIII. per Bullam incip. Sacrosanctum fidei Catholicæ &c. recognitum, & publicatum, eum instructione de modo tenendo in prohibendis, emendandis, & imprimendis libris ad magnam omnium vtilitatem in lucem protulit. Atque hactenus de libris prohibitis sub aliqua excommunicatione; an aliæ excommunicationes contrahantur eorum intuitu? in sequentibus Regulis expendetur.

44 Tandem in quarto gradu reponuntur libri prohibiti ob quamcumq. causam præter hęresim, aut suspicionem eius, absq. vlla censura; licet non desit peccatum mortale in violatione prohibitionis (de excommunicatione in Edicto Sanctæ Inquisitionis, iniuncta contra non denunciantes infra dicetur). Habetur expresè in præcitata Bulla Pij IV. ibi, qui autem libros, alia de causa prohibitos legerit, habueritue, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum. An etiam arbitrio Inquisitorum? postea tractabitur; similiter habetur in fine Regulæ X. Indicis; quo ad Edictum Inquisitionis continetur prohibitio in illa generali; *in qualunque modo probibiti*, & adducit Bonacina, cum alijs, de excommunicatione disp. 2. q. 5. pun. 4. num. 3. Verum
45 huiusmodi libri in hoc quarto gradu repositi, multiplices sunt, sicut multiplex potest esse causa eos prohibendi, exemplis hoc innotescet.

46 Hinc ob reuerentiam Sacris Bibliorum voluminibus debitam, & ne personæ simplices in eis legendis decipiantur, meritò à Sacra Congregatione Vrbis prohibitum, vt nullo modo vulgari aliqua lingua edantur, vel transcribantur; etiam quoad solam quamcumq; partem eorum; sic disponitur in obseruatione circa quartam regulam Indicis, tametsi prius in ipsa permissa fuerunt cum
47 limitatione ibi assignata. Ob eandem etiam causam nuper prohibitum per Decretum peculiare eiusdem Sacrę Congregationis ne in vllam linguam vulgarem Sanctum Concilium Tridentinum transferatur, neque ad
48 vsum vllo modo applicetur sic translatum. Propter vitandum item scandalum pusillorum, & alia inconuenientia, Decreto eiusdē Sacræ Congregationis rationabiliter statutum, vt liber Hæbreorum, vocatus Magazor, in quo ex parte officia, & cæremoniæ ipsorũ ac Synagogæ continentur, nulla alia vulgari lingua, Lusitana, Hispana, Gallica, Germana, Italica &c. præterquam Hebræa editus permittatur. Ita in obseruatione adiuncta
49 Indici iussu Clementis Papæ VIII. Huic autē dispositioni non opponitur illa alia, quæ habetur in instructione addita ipsi Indici circa prohibitionem librorum, §. 6. nempè libros certa aliqua lingua initio editos, si deinde à Sede Apostolica fuerint prohibiti in quacumq. postea vertantur linguam, censeri vbiq. prohibitos ab eadem Sede sub eisdē pœnis; quia dictus liber Magazor lingua hebręa editus nunquam fuit prohibitus, sed solum si transferatur in aliquam linguam vulgarem

50 Loquendo deniquè vniuersaliter ad hunc quartum gradum pertinēt omnes libri, qui moribus, & pietati nocent, vt loquitur Pius IV. in illa Bulla, Dominici Gregis &c. maximè si res lasciuas, & obscenas ex professo tractent, narrent, aut doceant, vt exprimitur in Regula 7. in decis. Atq; in his explificat Bonacina, vbi supra, num. 5. ex Duardo q. 45. concl. 4. num. 19. Potest etiam exem-
51 plificari in illis libris, quibus auctor contra Principem, vel Magistratum, tam sæcularē, quam Ecclesiasticum nimis effrenatè obloquitur, vt in libris Antonij Perezij, qui in Indice supremi Concilij sanctæ Inquisitionis Hispanicæ omnes prohibiti sunt, tametsi in Romano Indice Sacræ Congregationis multoties à nobis citato, solus liber relationum sit interdictus, eò quod in eis pręcipuè Prudentissimo, & inuictissimo Hispaniarum Regi Philippo Secũdo ipse Prezius impudenter oblocutor insurgat.

52 Occasione dictæ differētiæ inter hos duos Indices, quod plures in vno, quam in alio libri prohibeantur, nota esse valdè conforme menti Sedis Apostolicæ, vt prò diuersitate Regionum, morum, & idiomatum Christianitatis, diuersi, & varij conficiantur Indices librorum prohibitorum; qui enim in vna Regione rationabiliter, imò necessario prohibentur, in alia eosdem fortè non expediet prohiberi.

53 De his varijs Indicibus efformandis est sermo in instructione adiuncta Indici Romano circa prohibitionem librorum, §. 3. vbi hoc negotium Ordinarijs locorum,
54 & Inquisitoribus valdè commendatur.
Atque hæc hactenus de gradibus, seu
55 modis librorum prohibitorum, tamquam de

de obiecto, seu materia, circa quam versatur
prohibitio: iam in sequentibus de quatuor
generibus personarum, & actionum, per quas
prohibitio violatur expressas in Edicto Sancti
Officij, & in Bulla Cœnæ, nimirum retinentium,
legentium, typis excudentium, ac defendentium
libros prohibitos: quæ ordine proposito expendentur,
vt à minus grauibus ad grauiora fiat progressus.

De quibus personis retinentibus libros prohibitos? & de qua actione tenendi eos, ac qualiter intelligitur prohibitio.

REGVLA CXLI.

56 QVibusuis personis cuiuslibet status,
conditionis, ac dignitatis, etiam Cardinalitiæ,
& Regiæ quoscumque libros prohibitos, etiam
partem cuiusuis ipsorum aliquam vetitum est
retinere, tam mediatè, quã immediatè, seu tam
apud alium, quam apud
57 se ipsum. Vt autem pro hac retẽtione quoad
libros Astrologiæ iudiciariæ, & quoad prohibitos
in Bulla Cœnę censura contrahatur, debet esse
scienter facta: Secus quoad prohibitos in Bulla
Pij IV. Talis item retentio
58 ex fine aliquo indifferenti, vel magis probabiliter
ex mora parua excusari nequit, nisi quis per
breue tempus eos retineat, vt Inquisitori, aut
cui competit, statim tradat, sicuti tenetur. Cũ
non sit licitum priuata auctoritate
59 te illos igni tradere, aut alio modo destruere.

60 VAria sunt hic communia cum exprimendis in
tribus sequentibus Regulis; vnde decisio pro
præsentibus tradenda, inseruiet ęquè pro illis.
Primo circa qualita-
61 tem personarum certum est apud omnes
prohibitionem tenendi, legendi &c. dictos libros
vetitos se extendere ad quascumq. personas
qualiscumq. gradus, & pręeminentiæ. Tradunt
exprimentes pręcipuè de Cardinalibus, & de
Episcopis, & alijs Pręlatis. Vgolin. in primam
clausulam Bullæ Cœnæ, Suarez de fide disp. 20.
sect. 2. num. 26. Farin. de hæresi, q. 180. num. 43.
& Sanctarell. tract. de hęresi cap. 13. num. 14.
de Rege, ac Imperatore specificat Castrus Palaus,
de infidelitate tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 3.
nu 1. atq. patet clare ex verbis præcisis, &
generalibus quibus eam iniungendo vtuntur Summi
Pontifices in Bullis suis citatis de hac re.
62 Dices esse concessum priuilegium dictis
Pręlatis tenendi, & legendi libros prohibitos;
ergo. Respondetur, quæuis priuilegia circa hoc
antiquitus concessa fuisse reuocata postea per
Iulium III. in Constitutione incip. Cum meditatio,
& per Pium IV. in const. incip. Cum pro munere,
relatis à Peña in fine Directorij; dempto tamen
priuilegio Inquisitoribus, & Commissarijs contra
hæreticam prauitatem à Sede Apostolica deputatis
cõcesso retinendi, & legendi libros hęreticorũ,
dum eo officio funguntur: quia in prędictis
duabus Bullis hoc priuilegiũ expressè excipitur,
vt bene aduertit Azor to. 1. lib. 8. cap. 16
q. 13. Nihilominus adhuc dubitant Suarez, &
63 Sanctarellus citati de tali priuilegio; cum in
illis Bullis nõ concedatur, sed solum excipiatur,
supposito, quod sit; at nullibi apparet fuisse
concessum Inquisitoribus, & Commissarijs dictis
huiusmodi priuilegium, ergo &c. Veri
64 non bene deducitur ex eò quod non appareat,
nec reperiatur scriptũ, quod non fuerit eis
concessum. Non apparet, nec reperitur pri-
65 uilegium in Religione Hierosolymitana celebrandi
Pontificaliter; vti magnus Ecclesiæ eius Prior
sæpè celebrat; ergo absq. licentia hoc facit, nõ
bene infertur hęc consequentia; imo ex vsu
diuturno id faciẽdi esset inferẽda contraria, &
certitudo sumenda, quod iniuria temporũ fuerit
hoc priuilegium in scriptis amissum cũ alijs
scripturis, quod ita contigisse à personis
practicis, & scientissimis rerũ Illu-
66 strissimę huius Religionis sępius audiui. Pari
ratione in pręsenti, ergò. Imo duo illi Summi
Pontifices excipiendo priuilegiũ Inquisitorũ,
iudicarunt omnino expediens, vt hi illud haberẽt;
ergo censentur aliquo modo ipsum et tacite
concedere, dato non fuisset prius concessum,
quod non facile admittendum.
67 Verum circa idem priuilegium Inquisitorum
potest maius esse dubiũ, an fuerit reuocatum,
postquã die 2. Aprilis 1631. prodijt in lucẽ
cõstit. Vrbani PP. III. incip. Apostolatus
officiũ, per quã cum clausulis generalibus
quascumq. personas comprehendentibus, absque
vlla exceptione, aut limitatione quoad
Inquisitores reuocat omnes licentias seu
facultates, quouis modo à Sede Apostolica
cõcessas (exceptis concessis ab ipsomet Vrbano
per Breue, aut in chirographo subscripto propria
eius manu) habendi, & legendi libros quoscumq.
ob hęresim, vel falsi dogmatis suspicionẽ, aut
alias quomodolibet prohibitos (cum tãta
generalitate, loquitur Papa, atq. ideo in Regula
eam adhibeo.) Deinde infra assignat
68 modũ obtinendi in posterum licentiã dictos
libros habendi, & legendi per sequẽtia verba.
Neque de cętero, inquit similes licentiæ nisi à
Cong. Sancti officij dum singulis hebdomadis
corã nobis habetur, vel ab alijs per nos etiam in
eadem Congregatione specialiter deputandis
concedantur.
69 Hoc dubium, circa quod non multis ab
hinc diebus consultus fui ab Illustriss. & Reu.
Domino, Domino Ioanne Baptista Corio Pãnelino
in hac Insula Melitensi, ac locis ei adiacentibus
contra hęreticam prauitatem Generali Inquisitore,
& Apostolico Delegato, non obstante prædicta
Vrbani constitutione adhuc videtur decidendum in
fauorem Dominorum Inquisitorum, mensq. illius
ità benignè interpretanda ob hanc pręcipuè
rationem, quia iudicatur valdè consonum, &
conforme iuri etiam naturali, ac pernecessarium
ad bonum Ecclesiæ Catholicę fideique eius
defensionem, vt illi fruantur priuilegio habendi,
& legendi libros prohibitos; cum absque eo vix

ac

ac ne vix quidem possint exequi munus suum.

72 Sed quid de Consultoribus? Dubitanti circa hoc Domino Inquisitori Chisio responsum dedit de mandato Sacræ Cōgregationis, Eminentissimus Cardin. Fŕacíscus Barberinus per Epistolam, quā vidi, postquam resolui ea, quæ in prçcedentibus num. dicuntur, scilicet non omnibus, sed vni tantum licere legere librum, in quo continentur propositiones hæreticales, erroneæ, &c. vt has per eum extractas alij consultores, vnà cum ipso qualificare possint. En quam strictè res ista à sacra Congregatione sumatur.

73 Vndè cum recursus ad Sacram Congregationem, seu ad ipsum summum Pontificem Constitutionis ita strictæ auctorem sit facilis, hunc pro maiori securitate conscientię cuicumque Inquisitori dubitanti suaderem, vt ille aut mentem suam declaret, aut licentiam de nouo concedat.

74 Ante hanc autem declarationem, correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subijcio, quæ præcedentibus numeris dixi. Atque iā in expēdendis singulis particulis nostrę Regulæ Deo bene iuuante progrediamur.

75 *Dixi etiam partem cuiusuis ipsorum aliquam*; nam ad violandam prohibitionem retinendi libros vetitos, & ad contrahendam ex hoc capite censuram, non requiritur, vt totum librum, seu volumen, imo nec integrum tractatum, si in volumine diuersi tractatus contineantur, quis retineat; sed satis est partem eius retinere, si in hac hæresis aliqua, aut suspicio ipsius, vel causa prohibitionis reperiatur. Ita Suarez de fide disp. 20. section. 2. num. 22. vbi ait incidere in excommunicationem eum, qui retineret aliquam partem libri, quæ doctrinam hæreticam contineat, & Vgolinus in primam clausulam Bullæ Cenæ, verbo retinentes num. 4.

76 Qui vult debere intelligi etiam de retinente vnum tantum folium, & quidem non improbabiliter, quia si hoc contineat hæresim, vel causam prohibitionis, par est ratio de hac parte adeo parua, atq. de magna quoad periculum infectionis, scandali &c.

77 Præterea addidi in Regula, *tam mediatè, quam immediatè, seu tam apud alium, quam apud seipsum*. Dicitur enim propriè retinere librum ob hæresim, seu alias prohibitum non solum is, qui domi suæ, sed etiam qui in aliena domo, seu alibi retinet, vt communiter omnes docent, præcipue Sayrus lib. 3. cap. 5. num. 16. Farin. de hæresi q. 180. num. 40. vbi ait, quod retinens libros hæreticorum reddatur suspectus de hæresi, etiam si affirmet eos nunquam legisse, Vgolinus, verb. Aut retinentes num. 3. & Suarez de fide disput. 20. sect. 2. num. 21.

78 Qui duo eodem loco, ille num. 1. hic nu. 26. benè aduertunt hæreticum retinentem librum, quem ipse composuit, esse excommunicatum ex duplici capite, & quia hæreticus est, & quia retinet librum suum. Atque intelligitur etiam ante quam talis liber, si hæreticus sit infectus, per Ecclesiam Catholicam damnetur, seu declaretur prohibitus, idq. attento tenore Edicti sanctæ Inquisitionis, &

79 Bullæ Cenæ.

Sequitur particula nostræ Regulæ constituens differentiam inter quęcumq. retinentem, legentem &c. libros astrologiæ iudiciariæ, & prohibitos in Bulla Cęnæ, atque inter quemuis retinentem, legentem &c. prohibitos per constitutionem Pij IV. nempè vt ille violando prohibitionem contrahat censuram, requiritur, retineat, legat, &c. eos scienter, idest cognoscens tales esse, vt talis auctoris, non tamen requiritur, vt contrahat iste, sed erit irretitus excommunicatione, etiamsi ignoret culpabiliter.

80 Ratio huius differentiæ est, quia Pius IV. in sua constitutione, Dominici gregis, non exprimit particulam, *scienter*, nec requirit scientiam, vt benè aduertit Sousa libro 1. Aphor. cap. 31. num. 24. at tam in Bulla Cęnæ, quam in constitutionibus Sixti V. & Vrbani VIII. citatis prohibentibus libros Astrologię iudiciariæ, particula, *scienter*, semper reperitur expressa. Vndè retinentem, legentem &c. istos merito excusat Sanchez lib. 2. in Decal. capit. 10. num. 38. à contrahenda censura ratione ignorantię cuiusuis, etiam affectatæ, nisi sit ingens temeritas, quæ tunc adest, quando vehementem suspicionem habuit quis malitię libri; in hoc enim casu iam reputatur sciēter facere.

82 Quod item retentio librorum prohibitorum ex fine aliquo indifferenti excusari non possit, tanquam certum, & commune tradunt, Sousa vbi supra num. 28. & Sanctarellus tract. de hæresi cap. 13. num. 16. atq. exemplificant, vt si quis retineat non ad legendum, sed ad ornandum suam Bibliothecam, vel ad permutandum eos cum alijs libris, aut ad obuoluenda folijs ipsorum, ea, quæ vendit, vt aromata &c.

83 Dicta etiam retentio librorum prohibitorum si absolutè habeatur, nullo modo excusatur à contrahenda censura, & committendo mortali peccato ob moram exiguam, quia in hoc haud datur minimum, quod mihi, vt probabilius tradit Suarez de fide disput. 20. sect. 2. num. 22. (oppositum Palaus loco citato §. 2. num. 10. magis probabile sentit) eò quod non ex circumstantia temporis, sed ex qualitate rei retentæ grauitas materiæ attendatur.

84 Secus erit, si quis per breue tempus librum quemius prohibitum retineat, cum proposito ipsum tradendi statim Inquisitori, vel alteri, cui de iure tradi debet, ita Vgolin. in primam clausulam Bullæ Cœnæ, verb. retinentes §. 1. & Sayrus lib. 3. capit. 5. num. 16.

85 Qui ait posse excusari eum, qui per vnum, vel duos dies cum tali proposito librum retineret, cui consentit Sanchez lib. 2 in Decal. capit. 10. num. 55. & adhuc intelligitur, si non sit rationabiliter impeditus, nam stante rationabili impedimento potest retinere, dum hoc durat.

Restat

86 Restat hoc tandem expendendum, an habens librum, & cognoscens esse prohibitum possit lacerare, vel comburere propria auctoritate? seu potius teneatur ipsum ad Inquisitorem deferre? Non pauci ex Doctoribus, vt Io. Andreas in cap. 2. de hæreticis numer. 4. & ibi Gemian. numer. 2. Albert. tract. de agnoscen. quæst. 28. numer 14. Syluest. verb. hæresis 1. numer. 10. & Repertor. Inquis. verbo libri vers. 2. absolute tuentur posse vnum, vel alterum nempè aut combure, aut Inquisitori tra-
87 dere. Resolutio tamen proposita in fine Regulæ, vt omnino certa tenenda est, quod nulli sit licitum priuata auctoritate quęuis librum prohibitum igni tradere, aut alio modo destruere; sed teneri quamprimum ad Inquisitorem, seu ad eum cui de iure competit, defer-
88 re. Ita Delrius lib. 5. Disquis. sect. 12. Farinac. de hæresi quæst. 180. numer. 40. Sanchez vbi supra numer. 56. Azor tom. 1. lib. 8. capit. 16. Barbosa de offic. Episc. par. 3. alleg. 90. & Sousa lib. 1. Aphor. cap. 21. num. 30. Qui bene addit cum Peña 3. par. Direct. commen. 3. & Farin. citato, quod quando liber prohibitus defertur ad Inquisitorem, debeat hic interrogare deferentem, vnde illum habuerit, vti sciat, quinam eo abusi fuerint, & contra eos procedat. Certitudo autem nostræ re-
89 solutionis desumitur ex Bullis iam citatis Iulij III. cum meditatio, ibi districtè præcipiendo mandamus, quatenus infra spatium &c. & Vrbani VIII. Apostolatus officium, ibi, quodque dictis duobus &c. cum dispositio talis in eis sit prorsus manifesta. Vnde Doctores primo citati, aut has Bullas non aduertunt, aut prius quam ipsæ in lucem prodirent, sic affirmauerunt.

90 Nota primo, id quod Sousa loco citato ait, nimirum incidere in excommunicationem eum, qui librum prohibitum propria auctoritate comburit, & Inquisitori non tradit, & citat pro se Sanchez lib. 2. in Decal.
91 cap. 10. num. 56. Sed hic ibi tantum loquitur de libris prohibitis in primo gradu; & omnino contrarium videtur asserere, nempe quod non contrahat excommunicationem Bullæ Cœnæ, qui propria auctoritate comburit tales libros, quando ob graue periculum, seu detrimentũ suum non potest Inquisitori tradere; quia tunc verè non retinet, ergo è contra censetur retinere, si absque huiusmodi periculo, seu detrimento potest tradere, & contrahet censuram Bullæ Cœnæ, si comburat, non ratione combustionis, sed retentionis, quę expresse prohibetur in dicta Bulla, & non combustio, vt optime aduertit Suarez de fide disputat. 20. sect. 2. num. 29.
92 Hoc itaque modo, & de hac excommunicatione Sousa ibi est intelligendus, aut de contenta in Bulla Iulij III. Cum meditatio &c. vt affert Castrus Palaus, vbi supra §. 2. num. 12.

93 Secundo nota id, quod vt certum tradunt diuersi precipuè Manuel Rodericus in addition. ad Bullam Cruciatæ, §. 9. num. 66. Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 12. num. 11. & Sanctarellus tract. de hæresi cap. 13. nu. 16. esse prohibitum sub excommunicatione ipso facto reseruata Papæ, aut Inquisitori Generali, ne habentes libros hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos absoluantur, nisi prius illos tradant Inquisitoribus, idq. ita se habere asserunt ex vi constitutionis cuiusdam Pauli IV. cuius initium non mihi assignant, vt debebã, vnde adhibita non exigua diligentia neque apud Peñam in fine direct. neq. apud Lactium Cherubinum, neq. apud alios inuenire huc vsq. potui, ex contextu enim eius optabã elicere, ad quos se extendat dicta censura, an ad absoluentes simul, & ad absolutos, quod prædicti auctores non attingunt.

94 Nota tertio in illa constitutione Vrbani VIII. iniũgi strictissimè Inquisitoribus, vt libros sibi delatos, quamprimum comburant. Circa hoc autem, saluo meliori iudicio, duplex limitatio videtur adhibenda, altera circa qualitatem librorũ, quod intelligatur de solis absolutè prohibitis, & combustione dignis, & non de prohibitis cum reseruatione, seu cum clausula, donec expurgentur, donec corrigan-
95 tur. Altera limitatio circa temporis circumstantiam, quod particula, quanto citius, apposita ibi, intelligi debeat, nisi dilatio combustionis eorum expediat ad formandum processum contra aliquem, vel ad coniuncendum eum de abusu ipsorum: hoc excepto libros ad se delatos tenentur Inquisitores illico igni
96 tradere. In hoc nostro Tribunali sanctæ Inquisitionis Melitensi per antiqua fuit consuetudo conseruandi libros prohibitos per anni decursum Illustrissimo Domino Inquisitori delatos, & in peruigilio Sancti Petri Martyris Patroni, ac Protectoris nostri publicè in platea Ciuitatis Victoriosæ eos omnes, aut saltem aliquos comburendi. Vndè talis consuetudo, aut penitus extirpanda, aut eius retentio à Sacra Congregatione Vrbis contra hæreticam prauitatem, si ei placuerit obtinenda.

97 Verum Illustrissimus Inquisitor Gorius statim voluit extirpari, vnde iussit libros iam delatos illico comburi in loco publico.

De quibus legentibus, aut de qua lectione quoad qualitatem, & quantitatem intelligenda prohibitio.

REGVLA CXLII.

98 DEbet intelligi de legẽtibus libros vetitos immediate per se ipsos, & non per famulum, aut alium quemuis, etiã coactũ, solo auditu adhibito. De legentibus item
99 formaliter, seu percipiendo sensũ verborũ, & nõ proferendo hęc tantũ materialiter. Haud tamẽ prolatio istorum requiritur, sed sufficit si
100 visu, & mẽte scripta percurras, vt peccatum committas, & censuram contrahas. Ab illo
101 autem committendo, & ab hac contrahenda excusaberis ob paruitatem materiæ, vt si paucas lineas legas, etiam probabiliter si

vnam

vnam paginam libri in folio impressi, modo in ea non contineatur hæresis, vel causa pro-
102 hibitionis. Imò excusaberis à contrahenda illa, si legas volumen integrum, in quo nulla est hæresis, aut suspicio eius; quamuis sit in alijs voluminibus eiusdem auctoris Catholici de eadem materia editis, alia hic remissiuè.

---

103 NOnnulla est controuersia circa primum punctum ex varijs contentis in hac Regula: nam Suarez, absolutè affirmat, quod sit par ratio de audiente, ac de legente libros prohibitos quo ad censuram, & peccatum, quamuis hic non fuerit ab illo inductus ad legendum, quia idem est periculum infectionis respectu vtriusque, imo maius respectu audientis cum doctrina praua efficacius auditu percipiatur, quam visu legendo, ergo legens per alium comprehenditur sub prohibi-
104 tione dicta. Alij vero sub distinctione asserunt esse quidem comprehensum sub ea, si consilio, suasione, aut mandato fuit causa lectionis; secus autem, si nullo modo. Ita Azor. tom 1. lib. 8. cap 16. quæst. 4. & Sayrus Thesau. tom. 1. lib. 3. cap. 5. num. 14. Ratio est, quia vbi quis consulit, vel suadet, aut præcipit, vere dici potest legere medio alio, & videtur sufficere, vt sub legentis nomine comprehendatur; quando vero nulla ratione est causa lectionis, haud potest dici propriè legere, etiam per alium, cum alius non audientis nomine legat, neque huic lectio tribui possit: atq. hæc responsio sub data distinctione videtur mihi probabilis.
105 Verum, vt probabilius tenendum in neutro casu audientem solummodo astringi per hanc prohibitionem legendi tales libros. Docent Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 10. num. 48. Vgolinus verb. ac eorumdem libros § 1. numer. 4. Bonacina disput. 2. de censur. q. 4. pun. 4. nu 11. Duar. quæst. 40. Filucius tract. 16. cap. 2. quæstion 8. numer. 45. Castrus Palaus tract. 4. disput. 2 pun. 10. §. 2. numer 4. ac alij multi. Probatur generali ratione pro vtroq. casu; quia leges pęnales nunquam extendi debent vltra proprium significatum, sed sub verbo legentis non comprehenditur audiens legere, quamuis consilio, aut mandato ad legendum induxerit, cum neque hæc inductio, neque auditus lectionis sit lectio; nam legere proprie est visu, & mente scripta percurrere; ergo propter auditum lectionis, & si audiens causa huius fuerit, sub prohibitione aduersus legentes non
106 comprehenditur. Atque ex vi huius rationis manent prorsus solutæ in contrarium adductæ: imo nec concedendum Suario idem, vel maius esse periculum in auditu, quam in lectione, quia vt benè ait Castrus ibidem n. 5. auditus non potest esse sine alio; secus vero lectio; at non ita facile committitur peccatum, vbi quis indiget tertio, quam vbi solus potest efficere. Adde auditum non esse propriè lectionem, licet gratis tibi concedam, idem esse periculum, ergo &c.
107 Supposito, quod famulus iussu Domini legens librum prohibitum contrahat censuram.
108 (Equidem posse excusari ab ea contrahenda ob grauem metum incussum Sanchez vbi supra num. 49. ex mente omnium optimè docet) excitat dubium ibi numer. 50. idem Sanchez, an Dominus inducens famulum ad huiusmodi lectionem incurrat eam excommunicationem, quæ fertur in cap. nuper, & cap. si concubinæ de sententia excommunicationis contra participantes cum excommunicato in crimine criminoso? quippe participat in lectionis crimine, ob quod famulus legens ipso facto excommunicatur.
109 Resolutio tamen eiusdem Sãchez, & prorsus certa ita habet, quod neq. in hanc excommunicationem Dominus incidat. Inde patet quia vt participantium excommunicatione quis ligatus maneat, requiritur, vt excommunicatus, cum quo participatur, sit nominatim excommunicatus; vti habetur in dicto cap. nuper, quin etiam post Concilium Constantiense requiritur, vt sit denunciatus, aut notorius clerici percussor. Ita Nauar. in summa cap. 27. num. 112. Enriquez lib. 13. de excommunicatione cap 9. num. 1. & Suarez tom. 5. de censuris disp 17. sec. 2. num. 5. sed dictus famulus legens non est nominatim excommunicatus, nec denunciatus; ergo Dominus eius non contrahet excommunicationem participantium.
110 Quid iam de secundo puncto Regulæ, sufficit ne lectio merè materialis non percipiendo sensum verborum, seu potius requiritur formalis cum perceptione sensus ipsorum? Sãchez lib. 2 in Decal. cap. 10. num. 51. ait apud nullum auctorem inuenisse tractatum hoc dubium, sed iam hodie à diuersis tractatur præcipuè à Bonacina disp. 2. de excõmunicatione q. 5. pun. 4. num. 14. qui solus mordicus tenet sufficere materialem, ob hanc rationem, quia imperitus linguæ v g. Latinæ, vel Grecę, si librũ prohibitum Gręcum, aut Latinum legat, quamuis sibi non noceat, insurgit tamen indè periculum nocendi audientibus, ergò ligatur prohibitione legendi ipsum.
111 Nihilominus præter Sanchez citatum merito tuentur oppositum Duard. q. 47. num. 5. & Castrus Palaus tract. 4 de Infidel. disp. 2. pun. 10. §. 2. num. 2. qui ait non esse audiendum Bonacinam, quia in contrarium stat communis sententia Doctorum. Ratio efficax sumitur ex fine prohibitionis legendi, ne scilicet legens imbibat hæresim, vel doctrinã aliquã prauam, qui omnino cessat, quando quis legit tãtum materialiter more psittaci, nil prorsus intelligens; ergo, vt sit sub prohibitione, debet legere formaliter percipiẽdo sensũ verbor. quæ dicitur verè,
112 & proprie lectio. Illud de periculo respectu audientiã nihil releuat; cum clare apparet nõ fuisse mẽtem legislatoris, seu prohibentis hũc casum comprehendere, quia si fuisset, sine dubio expressisset; imò expressisset etiam de
113 audientibus ipsis. Nam par est ratio quoad rem præsentem, de præbente periculum infe-

ctionis

ctionis legendo librum prohibitum, atq; de
exponentibus ſe ſponte huic periculo audien-
do illum, & tamen nullus dicet audientes eſſe
comprehenſos ſub prohibitione; ergo nec le-
gens materialiter erit comprehenſus.
114 Concordes autem ſunt Doctores circa
tertium punctum de prolatione externa ver-
borum, quòd non ſit neceſſaria, vt quis le-
getur dicta prohibitione legendi; ſed ſuffice-
re, ſi viſu, & mente ſcripta percurrat; quia
in hoc proprie, & formaliter legere conſi-
ſtit, & vera lectio abſque illa prolatione per-
115 ficitur. Vnde omnino muti habiles ſunt
ad incurrendam cenſuram contra legentes
inflictam. Ita Vgolin. & Graff quos citat, &
ſequitur Sanchez dicto capit. 10. num. 41. Bo-
nacina diſp. 2. de cenſur. quæſt. 5. p. 4. num. 12.
Suarez de fide diſp. 20. ſec. 2. num. 18. & Caſtrus
Palaus ibidem.
116 Deducitur ex dictis, quod ſit de eſſentia
lectionis, viſu corporeo ſcripta percurrere, &
prorſus cæcum non eſſe capacem ad violatio-
nem dictæ prohibitionis, nec ad contrahen-
dam cenſuram contra violantes latam. Quare
117 nullo modo ipſe, nec quiſuis viſu præditus
eam contrahet, ſi recitet ea, quæ prius ex li-
bro hęretici memoria retinuerat; quia ſic re-
citare non eſt librum legere, ita Suarez cita-
tus, & Sanctarellus citandus num. 8.
118 Mirum valdè quam diſcordes è cõtra ſint
Doctores reſpectu illius puncti, quod ſequi-
tur de paruitate materiæ in præſenti caſu ad-
mittenda, nec ne? & qualiter? dato, quod ad-
mittatur. Aliqui, quos tacito nomine refert
Sanctarellus tract. de hæreſi cap. 13. dub. vnico
num. 1. affirmant etiam per lectionem vnius
lineæ, ſi in ea ſit expreſſa hæreſis, incurri pec-
catum mortalem, & excommunicationem;
quia in ea legenda eſt periculum infectionis.
119 Toletus lib. 1. cap. 19. num. 9. ait non effuge-
re cenſuram eum, qui legit librum hæretici, ſi-
ue paucas, ſiue multas lineas eius legat. Vgo-
120 linus etiam in primam clauſulam *Bullæ* Cæ-
næ verb. legentes, num. 1. verſ. 9. vult contrahi
excommunicationem ab eo, qui legit librum
hæretici, ſiue magnum, ſiue paruum, nec ab ea
contrahenda ob paruitatem materiæ excu-
ſari.
121 Verum paruitas in hac materia legendi
libros prohibitos, qui à peccato mortali, & à
cenſura liberet, concedi rationabiliter debet,
ſicut in alijs materijs ob omnibus concedi-
tur; quia diſparitas rationis inter has, & illam
nequaquam poteſt oſtendi. Vnde ipſam con-
122 cedunt Sayrus lib. 3. de cenſuris cap. 5. n. 17.
Graffius lib. 4. deciſ. cap. 18. Azor. tom. 1. lib 8.
cap. 16. q. 3. Emanuel Sà verb. excommunica-
tio in Bulla Cęnæ, Rodericus in addition. ad
Bullam Cruciatæ §. 6. num. 68. Sanchez dicto
cap. 10. num. 30. Suarez de fide diſp 20. Sec. 2.
n. 20. Sanct. adductus, & Caſt. Palaus tr. 4. diſp.
pun. 10. §. 2. num 6. & alij communiter, qui in-
de probant, quia cum cenſura ſit maxima pę-
na, non quæuis materia videtur ſufficiens, vt
illi ſubiaceas, atque ideo iniungitur ob lectio-
nem libri hæretici, ſed non dicitur propriè,
quod legat librum hæretici, qui paruam ma-
teriam legit, ergo &c.
123 Differentia tamen eſt magna inter hos
ipſos Doctores locis citatis in aſſignanda hac
paruitate materiæ: Graffius ait conſiſtere in
lectione trium, vel quatuor linearum. Azor in
lectione vnius, vel alterius verſiculi, Sayrus in
legendis decem lineis, Suarez aſſignat eam in
lectione paucarum linearum, & Becanus tract.
de fide cap. 15. q. 8. num. 7. in lectione pauco-
rum verſiculorum, ſed neuter iſtorum expri-
mit paucitas hæc ad quot lineas, aut verſicu-
124 los ſe extendat. Probabiles nihilominus ſunt
valde, & omnino ſecuræ omnes iſtæ expoſi-
tiones.
125 At Rodericus Sà, Sanchez, Vgolinus vbi
ſupra, & Coninch. diſput. 18. dub. 11. numer.
179. ampliant multo magis dictam materiæ
paruitatem, nempè vſq ad vnam paginam li-
bri in folio impreſſi, quia non videtur in tam
breui lectione adeſſe regulariter graue pericu-
126 lum. Quam ampliationem licet nullo mo-
do approbent Suarez, & Palaus, eò quod
de materia ex ſe periculoſa, cui non ſunt la-
xandæ habenę; eam tamen non vereor admit-
tere cum conditione expreſſa in Regula, ni-
rum, ſi in tali pagina nulla hæreſis, nec præ-
ptio eius, neq cauſa prohibitionis contine-
tur, idq prius aliquo modo innoteſcat ipſi
127 legenti. Sine hac autem conditione meo iu-
dicio prędicta materiæ paruitas prorſus auſe-
128 tur, imo ſine ea, nec in paucis lineis, aut
verſiculis ſubſiſtere poſſe videtur; quia non ſi-
ne fundamento periculum infectionis tunc
præſumitur haud exiguum, ratione cuius le-
ctio prohibetur; ergo &c.
129 Paruitas materiæ dicta non admittitur,
quando quis legit libri hæretici præfationem,
aut procemium, vel indicem, quia quoduis iſto-
rum eſt pars libri propriè loquendo, & aucto-
ris mentem, atq. ea ſimul, quæ in libro tractan-
da ſunt, non parum explicat, vndè ipſum le-
gens mortaliter peccat, & excommunicatio-
nem contrahit, ità vt certum tenent Vgolin.
in primam clauſulam Bullæ Cænę verb. legen-
tes, verſ. Ac eorumdem §. 8. Sanchez dict. cap.
10. numer. 30. & Sanctarellus tract. de hæreſi
cap. 13. num. 2.
130 Quid tandem de illo puncto, quandò di-
uerſa volumina ab aliquo auctore Catholico
de eadem materia, vt de matrimonio v.g. vel
de Religione fuerunt edita, & in vno nulla ſit
hæreſis, in alijs vero aliquæ admixtæ reperian-
tur? erit ne quis liber à peccato, & à cenſura ſi
131 illud legat? Erit quidẽ, vt optimè docet Vgo-
lin. vbi ſupra §. 1. num. 2. verſ. 6. & Sanchez eo-
dem capit. 10. num. 36. loquentes de ſolis libris
in Bulla Cœnæ prohibitis, ob hanc rationem
quia tale volumen cenſetur per ſe vnus liber
ſeparatus ab alijs; ſecus vero contingit, vt ad-
132 iungit Sanchez, ſi vnus liber in plures, vti fie-
ri ſolet, diuidatur, in primum ſcilicet, ſecun-
dum, tertium &c. Nam in hoc caſu cuiuſuis illo-
rũ eſt vere pars vnici, & eiuſdem libri hæreſim
continentis, ac propterea quamcumq. partem
quis legens nõ excuſabitur à mortali, & à cen-
ſura

133 sura contrahenda. Quod adhuc verum est ex mente eiusdem Sanchez, quamuis ob situandam nimiam molem aliqui ipsarum ab alijs seorsum per accidens conglutinarentur; quia adhuc est vnius liber.

134 Nota primo quod nõ peccaret, nec incurreret excommunicationem vllam, qui in libro auctoris catholici legeret errores, seu sententias, aut opiniones alicuius hæretici, ibi, ad verbum relatas; etiamsi in hac lectione principaliter intenderet scire errores, & rationes hæretici. ita Sayrus de censuris lib. 3. cap. 15. num. 13. Suarez tom. 5. de censuris disp. 21. sect. 2. num. 11. & in tract. de fide disp. 20. sect. 2. num. 13. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 2. Rodericus in Bullam Cruciatæ §. 9. num. 78. & alij citati à Sanctarello tract. de hæresi cap. 13. n. 3.

135 Qui benè ait hanc doctrinam esse veram, & in praxi communiter receptam. Ratio est, quia non hæretici, sed auctoris Catholici librum re vera legeret; quæ lectio nullibi prohi-
136 betur, imo esset bona, & meritoria, si ex fine aliquo honesto, vt fugiendi, vel refutandi ipsos errores procederet.

137 Nota secundo, quod legens, retinens, &c. librum Auctoris Catholici, in quo sunt scholia, aut annotationes alicuius hæretici, non incurret excommunicationem Bullæ Cœnæ, ob eandem rationem, quia talis liber non est hæretici. Pro hoc notando sunt ijdem Doctores Suarez, Rodericus, Sanchez, & Sanctarellus
138 num. 4. qui duo vltimi addunt, quod sic legens, retinens, &c. non effugiet excommunicationem inflictam in indice librorum prohibitorum, seu in Bulla Pij IV. Dominici Gregis; debet tamen intelligi hæc eorum additio, si in illis scholijs, vel annotationibus aliqua hæresis saltem, aut suspitio falsi dogmatis contra fidẽ cõtineatur, ac propterea talis liber sit damnatus, vt apparet expresè ex ipsa Bulla Pij IV.

139 Sed quid si hereticus adiungeret scholia libro Auctoris Catholici in tanta magnitudine, vt ex Commentarijs potius, quàm ex texta iudicaretur constare, qui ipsum legeret, esset ne excommunicatus? Meritò affirmanter respondent Suarez vtroq; loco citato, & Sanctarellus ibidem. Ratio est, quia cum in hoc casu sit idem periculum, quod in alijs, ne scilicet fideles veneno heresis inficiantur, debet esse eadem ratio; maximè cum sepè cõtingat, vt libri potius nominentur à Commentatore, quàm ab Auctore, exempta passim, vt in Cõmentarijs super Magistrum sententiarum, & Sanctum Thomam, super ius Canonicum, &
140 Ciuile. Quamquam Sanchez dict. cap. 10. num. 25. oppositum iudicat valdè probabile; quia vt in plurimum ex communi modo loquendi talis liber non diceretur esse illius, qui scholia adiunxit; sed illius Doctoris Catholici, qui textum composuit. Amplector tamen libenter tanquam mihi probabiliorem, & ex se tutiorem sententiam Suarez, & Sanctarelli.

141 Ex quorum mente, vt omnino certum addo in duplici casu fore librum prohibitum sub excommunicatione, primò si ad ipsum componendum æquè concurrerent Catholicus, & hereticus; secundo, si ab heretico solo esset compositus, atque scholia aliqua ei Catholicus adiungeret, quia in vtroque casu liber heretici propriè diceretur.

142 Omitto hic tractare de potestate concedendi licentiam ad legendos, habendos, &c. libros prohibitos, ne actu agam; tum quod ex clausulis supra adductis Edicto Sanctæ Inquisitionis, & Bullæ Cœnæ, manifestè pateat Sedem Apostolicam, seu summos Pontifices talem potestatem sibi reseruasse adeò strictè, vt Sede vacante Collegium Cardinalium secundum sententiam magis receptam Suarez citati num. 27. Sanchez dicto cap. 10. num. 44. & aliorum (etsi Vgolinus vbi supra §. 1. num. 1. in contrarium inclinet) nequeat eam dare, eò quod in cap. Vbi periculum de electione in 6. prohibeatur illis, ne se in aliam causam intromittant, quàm in electione Summi Pontificis, nisi immineret aliquod
143 graue periculum. Tum quod nusquam appareat fuisse hoc Episcopis, vel Inquisitoribus concessum, vnde ab his non posse eam dari benè docet Penna 2. part. direct. Comment. 3. quem alij sequuntur, sed dato olim aliquibus fuerit hæc potestas à Sede Apostolica communicata dandi licentiam alijs ad legendos, tenendos, &c. libros prohibitos, iam posteà innotescit reuocata (casũ ex epicheia, vrgente magna necessitate, & recluso aditu ad Papam, excipit Suarez vbi supra, de fide num. 17. post Sanchez ibidem num. 47. quibus adhereo) per Pium IV. in Constitutione incip. Cum inter crimina, vbi solis Cardinalibus Inquisitoribus in Congregatione tantum sancti Officij coactis ipsa conceditur; quod nouissimè confirmauit Vrbanus VIII. per constitutionem citatam, Apostolatus officium, in qua dictam potestatem Sacræ Congregationi Sancti Officij, seu sibi, dum singulis hebdomadis ei præest, & illi, cui ipse in eadem Congregatione concesserit, magis strictè reseruauit quoad quoscunque libros quomodolibet prohibitos, vt iam supra à nobis traditum.

Sub prohibitione imprimendi libros vetitos quinam, & qualiter comprehenduntur.

REGVLA CXLIII.

144 Comprehensi sunt sub ea primò, Imprimẽtes libros hereticorum, ac qualitercumq; prohibitos, & libros cuiusuis Auctoris ante approbationem ab Ordinario, vel ab Inquisitore ritè obtentam, atq; libros sine
145 Auctoris nomine. Huic etiam impressioni
146 quoquomodo proximè cooperãtes. Transcribentes item huiusmodi libros, atq; imprimendo, vel transcribendo, aut aliter errores contra fidem libris Auctoris Catholici immi-
147 scentes. Huc reducuntur asportantes illos ad terras Christianorum, similiter vendentes,
148 et ementes. Intelligitur autem prohibitio

de libris, & de scripturis propriè dictis ; secus
de epistola separata, de concione, de prælectione, & similibus idque probabiliter.

---

149 TOta hæc clarè percipietur adhibita ex
iure, vel ex auctoribus breui singulis
particulis declaratione, & discussione cuiusuis
ipsarum difficilis. In Edicto sanctæ Inquisitionis
valdè generaliter proponitur prohibitio
imprimendi quoscumq; libros quomodolibet
vetitos ; & impressos, seu impressores denun-
150 ciandi. In Bulla verò Cœnæ specificatur de
libris hęreticorũ continentibus heresim, aut
de religione ex professo tractantibus, atq; re-
spectu illorum imprimentes, ac impressioni
proximè cooperantes contrahunt excõmunicationem
Papæ reseruatam, vt ibi, patet ; nec
maiori hoc indiget probatione.
151 De imprimentibus libros non adhuc legi-
timè approbatos habetur expresè nõ in Bul-
la Pij IV. multoties citata, Dominici gregis,
vbi tantum est sermo de legentibus, & haben-
tibus ; sed in Concilio Lateranensi sub Leone
X. sess. 10. & in Synodo Tridentina sess. 2. in de-
creto de editione, & vsu sacrorum librorum,
vbi cum limitatione; ita vt nullus liber de re-
bus sacris, in Lateranẽsi verò vniuersaliter sic
disponitur, ne vllus liber, nec alia scriptura
cuiuscumq; argumenti sit, Typis mandetur,
nisi prius per Episcopum, & Inquisitorẽ loci,
aut per viros doctos ab eis deputandos gratis
examinetur, & approbetur cum subscriptione
ipsorum propria, atq; Impressoribus violanti-
bus huiusmodi dispositionem pœna excom-
municationis ipso facto nulli reseruatæ infli-
152 gitur. Habetur etiam in Regula X. Indicis
librorum prohibitorum, vbi additur hæc con-
ditio, vt exemplum libri imprimendi authen-
ticum, & manu Auctoris subscriptum apud
examinatorem remaneat ; idq; ad hunc præ-
cipuè effectum, vt postquam liber fuerit im-
pressus, antequam venalis fiat, cũ dicto exem-
plari conferatur, factaque collatione, ac nulla
discrepantia reperta, conceditur Auctori li-
centia vendendi, vti prescribitur in instructio-
ne iussu Clementis VIII. adiuncta dicto Indici
153 pro libris imprimendis, § 4. Vbi etiam in-
iungitur §. 2. vt talis approbatio, seu licentia
Episcopi, & Inquisitoris in fronte libri impri-
matur, ac alia Prelati Religionis, quando Au-
ctor libri est aliquis Religiosus ; quia hæc etiã
iuxta Decretum Tridentini citati pro forma
cuiusque Religionis requiritur. Vide Azor
tom. 1. lib. 8. cap. 17. q. 1. & Sanctarellum tract.
de heresi cap. 13. dub. vnico num. 18.
154 Quoad sequentem in Regula particulam,
quod nullus liber imprimatur sine nomine
Auctoris, deciditur pro quibusuis libris de re-
bus sacris à Concil. Trident. ibidem, vers. sed &
impressoribus, sub eadem censura : pro qui-
buscumq; verò libris de quauis materia editis
absq; vlla censura præcipitur per dictã instru-
ctionem Indici adiunctã, §. 1. de impressione
librorum his verbis. Nullus, inquit, liber in
posterũ excudatur, qui non in fronte nomen,
cognomen, & patriam præferat Auctoris ; ita
155 ibi, Et immediatè additur per sequentia
verba. Quod si de Auctore non constet, aut
iustam aliquam ob causam, tacito eius nomi-
ne Episcopo, & Inquisitori edi posse videatur,
nomen illius omnino describatur, qui librum
examinauerit, atq; approbauerit: hactenus ex
156 illo §. Adde cum Azor citato, q. 3. quod
sufficiat, vt liber, vel scriptura Typis excudi
legitimè possit, si nomen certi Collegij, Con-
uentus, aut Vniuersitatis apponatur ; nam in
iure Collegium, cõmunitas, & similia pro per-
157 sona ficta accipitur; ergo, &c. Verum si liber
absq; nomine vllius prodeat, eo ipso erit prohi-
bitus, & in 3. Classe librorũ prohibitorũ repo-
158 nendus. Circa cooperantes proximè im-
pressioni librorum prohibitorum, primo cer-
tum est enumerari inter eos Auctorem libri,
ac Procuratorem eius, qui curant, vt impri-
matur; de quibus peculiariter in clausula pro-
posita Edicti, ibi, *Fanno stampare*, & aduerti
159 Suarez de Fide disp. 20. sect. 2. num. 24. Est
etiam eadem certitudine cooperator impres-
sionis proximè Dominus officinæ eius, vt e
mente aliorum tradit Sanctarellus vbi sup.
nu. 18. tametsi manibus suis non laboret;
enim dicitur ex communi modo loquen.
Impressor ; & ordinariè parare solet mater.
famulis, qui ordinant characteres, & ex
160 dunt: Vnde hi nullum dubium est, qu
sint cooperatores proximè, & sub prohibiti
161 ne imprimendi libros vetitos. De con
gente hęretici librum, qui imprimitur, qu
non sit cooperans impressioni eius proxim
neq; ex hoc capite excõmunicatus, benè do-
162 cet idem Suarez d. n. 24. Addens esse tamen
excommunicatum ex alio capite, nempe ex
quod ipsum legat, aut retineat; cum neque
corrigi sine lectione.
163 Superest dubium de faciente expensas in
imprimendo libro prohibito, an sit proxim
cooperator impressionis, & pro qualitate lib
contrahat excommunicationem ? Diuisi sunt
Doctores circa hoc Sayrus lib. 3. cap. 5. n. 16.
alij partem affirmantem tuentur ; & quid
probabiliter, cum largitio expensarum per
164 necessaria ad impressionem censeatur. Ve-
rum pars negans à Suarez. loco citato, à San-
chez dicto cap. 10. n. 57. à Sanctarello ibidem
n. 18. & ab alijs defenditur, ac videtur proba-
bilior ; quia largitio pecuniarum ad expensas
quasi per accidens se habet, & remotè in im-
pressionem influit ; ergo non est eius coopera-
tor proximè, qui ipsas largitur.
165 Quid iã de transcribẽtibus? habetur pecu-
liariter in loco citato Concilij Tridentini, ibi
qui autẽ scripto eos communicant, vel euul-
gant, nisi antea examinati, probatique fue-
rint, eisdem pęnis subiaceant, quibus Impres-
sores, quod teste Azor dicto cap. 17. quęst. 4
sic exponitur à Doctoribus, qui tales libros
nempe de rebus sacris (de his enim solis sta-
tuit Tridentinum, & paulo ante dictum)
transcribunt, & transcriptos cum alijs com-
166 municant, aut euulgant, &c. Vniuersaliter
autem de quoscumque libros prohibitos
transcribentibus, & euulgantibus disponitur

in

in Regula X. Indicis, ita ibi, Eos verò qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati, probatiq; fuerint ijsdem pœnis subijcit debere indicarunt Patres deputati, quibus impressores, & qui eos habuerint (additur ibidem) & legerint; nisi auctores prodiderint pro auctoribus habeantur, quæ add. valde not. de ea iterum sermo erit in vltima Re-
67 gula huius cap. 19. Pater itaq; ex dictis pro diuersitate librorum transcriptorum, aliquãdo transcribentes aliqua excommunicatione reseruata, aut non reseruata manere ligatos ratione transcriptionis, aliquando leuis.

68 Nota doctrinæ, & eruditionis gratia, tot prohibitiones librum iam ab initio nascentis Ecclesiæ Catholicæ per Sanctos Apostolos per varia Concilia Oecumenica, & Prouincialia, per diuersa summorum Pontificum Diplomata, vel aliter spatio quatuordecim fere sæculorum factas intelligi debere de solis trã-
69 scriptis. Nam excudendi ars illa (vt verbis nostris Iacobi Gardoni in sua Chronologia tempore Eugenij IV. verbis vtar) qua nunc vtuntur nostris typographi, apparuit hoc primum anno (1440. scilicet) in europa in Vrbe Argentinensi; postea Moguntia auctore Ioanne Guittembergio. Fulgos. lib. 8 cap. 11. Verum Platina alium notat auctorem, annumq. inuentionis dict. 1452. eiusdem rei meminit Gebrard. in Eugenio 4. ita Gordonus: Prohibitiones vero librorum ab eo anno 1440. vel 1452. factæ, & in dies fiunt intelligendæ sunt de vtrisq. transcriptis videlicet, & impressis.

71 Sequitur dicendum de falsificãtibus libros Catholicorum, siue in impressione, siue in trãscriptione, maxime immiscendo errores contra fidem, quę falsificatio, seu immixtio, vt cũ Penna 2. part. Direct. Comment. 17 aduertit Farin. de hæresi q. 180 §. 2. n. 14 potest fieri diuersis modis, nimirum diminutione additione falsa compositione, mutatione, falsa interpretatione; item falsa allegatione, ac auctoris
72 falsa intitulatione. Excommunicati autem sunt, & anathematizati in sexta Synodo Constantinopolitana, actione 13. huiusmodi falsificatores, vt citat, & tradit idem Farin. loco citato. Et merito quidem, cum delictum hoc sit grauissimum, præcipue si falsificatio in libris sacrarum scripturarum vtriusq. testamenti, aut in libris sanctorum Patrum fiat.

73 Aduertendum hic diligenter quod hæretici nostri temporis, vt inducant fideles ad lectionem librorum modis dictis falsificatorum, vel aliorum hæreses continentium, & sic isti erroribus inficiantur, soleant quandoq. locum impressionis falsificare, ita vt in fronte appareat liber typis excussus Lugduni, Venetijs &c. cũ tamen re vera impressus sit Londini, aut alibi, vbi hæreses grassantur, & libri Catholicorum falsificationibus prædictis impune corrumpũtur per litteras Sacræ Congregationis Vrbis sancti Officij admoniti fuerunt omnes Inquisitores de tali falsificatione loci impressionis, vt inuigilent, huc trãsmissas tempore Illustrissimi Carbonesij Inquisitoris.

74 Compræhenduntur denique sub dicta prohibitione reductiue tres actiones, asportandi scilicet libros vetitos, vendendi, atq. emendi ipsos. Nam tametsi de his nulla fiat mentio in edicto Sãctæ Inquisitionis, aut in Bulla Cœnæ, vel in constitutione Pij IV. Dominici gregis; & quatenus exerceri nequeunt sine retentione librorum ad hanc regula præcedenti expositã sine dubio reducantur, vt aduertit bene Castrus Palaus trac. 4. de infidelitate disp. 2. pun. 10. §. 2. num. 15. atque ab retentionem asportantes, vendentes, & ementes libros prohibitos contrahunt excommunicationes ibi a no-
175 bis assignatas. Nihilominus cũ ipso Castro Palao hic sub prohibitione imprimendi congruentius comprehendo, cum impressio huc dirigatur, vt libri impressi ad alia loca aspor-
176 tentur, & diuendantur. Asportantes autem ad Prouincias, & loca Christianorum libros hæreticos, & ibi vendentes, ac ementes ipsos contrahunt excommunicationem ex vi Bullarũ Iulij III incip. Cum meditatio, Pij IV. incip. locum pro munere, extat etiam Decretum Sacræ Congregationis prohibens peculiariter asportationem libri Thalmud. quod refert Penna in fine Directorii in cuius 2. par. comment. 3. ad cap. Fraternitatis, & commẽt. 17. ad cap. nouerit de sententia excommunicationis ex professo agit de hac re. Vide Castrum Palaum citatum, qui meminit alterius constitutionis Clementis VIII. quam non potui ad manum habere.

177 Nota quod ad impediendam dictam asportationem, & venditionem librorum prohibitorum diuersa ordinata fuerint per Patres à synodo Tridentina deputatos, vt habetur Regula X. Indicis. Primo qui libros quoscumque in aliquam Ciuitatem introducunt teneantur renunciare personis eruditis per Episcopum, seu eius Vicarium, & per Inquisitorem sancti Officii assignandis, aut si locus publicus mercibus recipiendis constitutus sit, ministri, publici libros fuisse adductos significare debeant prædictis personis, vt illæ examinent, an ex
178 illis aliqui sint prohibiti, imo idem ad eumdem finem iniungitur hæredibus, & executoribus vltimarum voluntatum, vt libros a defuncto relictos, seu Catalogum ipsorum illis personis assignandis ostendant, prius quam eisdẽ vtantur, vel alicui eos vendant, aut tribuant.
179 Item ordinatum in eadem Regula X. Indicis vt domus, vel locus artis impressoriæ a dictis personis per Episcopum, & Inquisitorem deputandis sæpius visitetur, ne quidquam prohi-
180 bitum imprimatur. Dein iniungitur ibi librariis, & quibusuis librorum venditoribus, vt in suis bibliothecis omnium librorum, quos habẽt indicem retineant, subscriptum a dictis deputandis; nec alios libros habeant, aut vendat vel quouis modo tradant, sine licentia ipsorũ deputandorum, sub pœna amissionis librorum & aliis arbitrio episcoporum, & Inquisitorũ lege ipsam Regulam X.

181 Dubium aliquantulum controuersũ restat discutiendum circa vltimã particulã nostrę Regulæ, An prohibitio imprimendi, transcribẽdi &c. libros vetitos (pari modo procedit dubiũ

de prohibitione legendi, habendi &c.) sit intelligenda de libros solis, seu scriptis proprie dictis, conficientibus aliquale volumen, seu tractatum? Vgolinus in primam clausulam Bullæ Cenæ verb. ac eorumdem libros num 2. absolute affirmat comprehendi sub ea prohibitione etiam litteram seu epistolam separatã.

182 Alij item, quos tacito nomine citat, Azor tom. 1. lib. 8. cap. 17. q. 4. idem asserunt de aliqua priuata oratione, aut concione, vel prælectione, ac similibus, Assignat hanc rationẽ Vgolinus; quia Bulla Cænæ mentionem facit librorum, eo quod isti ad manum, vt in plurimum veniant, frequentiusque in eis erroris exprimantur; ponens ergo. Papa exemplum in eo cuius magis frequens est vsus, non præsumitur omittere illud, in quo minus frequenter contingit, argumentum ex l. 1. C. de nept. Vig. idem etiam tenent Suarez, dict. disp. 20 sec. 2. num. 10. & Sanctarellus vbi supra num. 13. valde probabiliter; quia in illis est periculum infectionis.

183 Nihilominus ibidem Azor, Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 10. num. 29. & alii communiter oppositum merito sustinent, ita credo inquit Sanchez, non incurrere legentem, aut retinentem, aut imprimentem epistolam, concionem, aut aliam papyrum hæretici solutam nec in tractatus formam redactam. Quod hęc in communi, & vsitato loquendi modo minime dicantur libri; nec militat eadem ratio; quę in libris. Hi enim multo amplius extenduntur; atq. diutius permanent; hactenus ille egregie suam sententiam probans; quam vti magis probabilem, ac benigniorem amplector. Ratio autem pro sententia Vgolini non multum vrget; vt per se patet; Vnde haud immorandum amplius in hoc, atq. de librorum prohibitorum defensoribus jam agendum.

Qui nomine defendentium libros prohibitos veniũt & quomodo defensio hæc sumenda.

REGVLA CXLIV.

185 VEniunt nomine defendentium libros prohibitos, ac pro gradu, & qualitate istorum contrahunt aliquam cẽsuram, aut saltem peccant, quicumque eos quouis modo iam actu defendunt, siue factis, siue verbis, aut

186 scriptis. Imo idem erit non solum quando incoatur tantum ipsorum defensio, præparando se ad certamen, quod certum est; sed etiam quãdo exterius coram alijs solum exprimitur voluntas defendendi, idque probabiliter. In

187 super idem erit, ex quolibet fine defensio fiat siue bono, siue malo; item in loco siue publico, siue occulto, etiam nullo penitus audiente. Nequaquam tamen nomine talium defendentium venit ille, qui laudat doctrinam, aut stylum libri, licet ab hæretico compositi, qui tractat de religione, & nullam hæresim continet dummodo sic laudans caute procedat.

189 PErcurro breuissime contenta in hac Regula, quod omnia fere ex se perspicua sint, & communia inter Doctores; facit præcipue in probationem eorum vltima particula vtriusq. clausulæ propositæ initio præsentis pitis ex edicto Sanctæ Inquisitionis, verb. *btano defesi, o defendono* ex Bullæ Cęnæ, ve

190 quomodolibet defendentes. Intelligitur tem inprimis de actualiter, seu cum execu ne defendentibus libros prohibitos, & po contingere hæc defensio dupliciter factis cet aut verbis, ore prolatis, vel scriptis. D

191 fendit quis librum prohibitum factis, si abscondat, vel alio modo, impediat, comburatur, neue Inquisitoribus sancti off manifestetur. Verbis vero defendit, si r nibus suadere curet non esse prohibition

192 gnum, nec comburendum; Similiter si argumenta soluat, quibus liber legitime hibitus impugnatur; aut si in eius, defens rationes inuestigat. Ita Vgolinus in trac censuris par. 2. vers. Ac eorum quomodol Sanchez. lib. 2. in Decal. cap. 10. nu. 58 rez tract. de fide disp. 20. sec. 2. n. 25. & strus Palaus tract. de infedelitate disp. 2. 10. §. 2. num. 14

193 Deinde est defensor librorum prohib & contrahit excommunicationem reser Papæ, si sint prohibiti in Bulla Cenæ, au reseruatam, si in constitutione Pij IV. vel lam, sed solum peccat, vt dictum supra 140. quiuis incohans tantum ipsorum de sionem, & prouocans ad certamen; licet compleat, quia huiusmodi incohatio, & p uocatio iam est aliqualis defensio; ergo & certum tradunt Vgolinus, Sanchez, locis c tis, & Farin. de hæresi q. 180. §. 1. n. 12.

194 idnegant, de eo qui diceret, volo de dere hunc librum, significans alijs tantum luntatem defendendi, quia per eam solam constituitur defensor eius actu. Nihilom

195 oppositum probabile iudico, & tenet Ca Palaus relatus per sequentia verba. Ego inquit, in vtroque casu crederem esse defen regulariter loquendo; quia illa voluntas, gnificata retrahit impugnatores, & quasi difficiliores reddit librum subuertere; cum deant habere patronum; quare licet hæc si ficatio, illa tamen significatio est quædam fensio; hæc illę; quæ saltem dictam probab tatem mihi generant.

196 Quid item si quis dicat; hic liber opti est, seclusa heresi; vel haud prohibitione combustione dignus, erit ne defensor eius distinctione respondet ibidem Castrus Pala nempe si id dicat coram alijs, omnibus catur certum, quod sit defensor; secus si nullo præsente ipse solus sic loquatur, hoc non est defensio: ita etiam Vgolinus supra, & Sanchez dict. num. 58 atq; hoc no

197 caret probabilitate. Verum in partem aff mantem, vti probabiliorem mihi, & cu rem magis inclino cum Suarez dict. sec. 2. 25. qui absolute asserit, quod talis sic loque sit libri prohibiti defensor. Probatur, quia

iussio.

iusmodi locutio, hic liber, seclusa hæresi, est optimus, vel non est dignus prohibitione, aut combustione, tametsi nullo presente proferatur, magna est eius laudatio; ergo aliqualis saltem eius defensio; nam ex se non requirit hęc sicut nec illa, vt fiat coram, tertio intendente se opponere defendenti, vel laudanti; ergo per accidens est, quòd alius eam audiat,
98 aut non audiat. Confirmatur, quia si dictam laudationem ille sic loquens scribat, etsi scriptura nulli vnquam ostendatur, verus defensor libri constituetur, quòd etiam concedit ipse Castrus, ergo idem erit, si tantum ore proferat; cum in Bulla Cœnæ sit apposita particula, *quomodolibet defendentes*, nimirum verbis
9 tam ore prolatis quam scriptis. Nec facit quidquam ad rem pręsentem discrimen assignatum ab eodem Castro, quod scriptura sit permanens, locutio vero cito transeat.
0 Particulæ itaq. propositæ vtrobiq. in edicto sanctæ Inquisitionis, & in Bulla Cęnæ nempe *publice*, vel *occulte*, sumendæ sunt cum tota latitudine, quam habere possunt, idest de quouis publicatione, & occultatione, etiam nullo præsente eas intelligendo, vt intelligit particulam *occulte* idem Sanchez dict. num. 58. sic specificans. vt componendo inquit, apologiam, qua librum hæretici tueatur, esto id in suo cubiculo solus faciat, nec scripturam in publicum edat. Similiter illæ aliæ particulę in editto, *sotto qualsiuoglia pretesto, o colore*, in Bulla Cænæ, *ex quauis causa quouis ingenio vel colore* capiendę cum omni generalitate, idest ex qualibet occasione, seu ex quouis motiuo, aut fine, etiam bono, & non esto v. g. occasione, seu fine inquirendæ veritatis, in quo ponit exemplum Castrus Palaus dicto nu. 14. & magis extendit Sanchez ibidem dicens etsi defendit, vt inquit & rationes, quibus hæresis conuincatur, vt dubitationes si quæ sunt tollātur.
2 Aduertit autem bene Sanchez eodem nu. 58. quamuis particulæ omnes duplici numero præcedenti explicatæ, tam in edicto quam in Bulla Cænæ videantur tantum coniunctæ cum verbo defendentes, seu cum actione defendendi libros prohibitos; debere tamen referri ad alias actiones Regulis pręcedentibus explicatas, tenendi scilicet, legendi, ac imprimendi ipsos; quia omnibus & singulis æque quadrant quod etiam cum Rebuffo citato notat Suarez tom. 5. de censuris disp. 21. sec. 2. num. 12.
3 Restat paucis videndum, quid de illo casu quando liber hæretici de religione tractat, nec vllam continet hæresim, an sit eius defensor contra prohibitionem, qui doctrinam ipsius aut stylum, vel modum disponendi materiam laudat? Amplectenda circa hac resolutio negans, sicuti amplectuntur omnes Doctores paulo ante citati, præcipue Farina. dict. num. 12. & Castrus Palaus ibidem, ob hanc rationem; quia sic laudatur præcise id quod est in se bonum absq. respectu ad auctorem libri, ergo hoc modo laudans ipsum, non est defensor libri prohibiti, neq. venit nomine defendentium libros prohibitos, & consequenter non peccabit, nec vllam censuram contrahet. Nihilominus aduertit optime idem Castrus, quod debeat sic laudans caute procedere, ne videatur facere auctori, aut intendere haud congruenter fuisse ab Ecclesia prohibitum. Atq. hæc de libros prohibitos defendentibus sint satis.

Quinam, & quatenus ratione librorum prohibitorum Iurisdictioni Inquisitorum subsint? & qualiter expediendi?

REGVLA CXLV.

Exercent suam iurisdictionem DD. Inquisitores respectu cuiuscumq. ex prædictis retinentibus scilicet legentibus, exprimentibus, ac defendentibus libros prohibitos. Quod verum est, non solum quando isti ob hæresim;
206 sed etiam quando ob aliam causam in 4. gradu prohibentur. Ex retentione autem lectione impressione, & defensione ipsorum nulla indo præsumptio hæresis, aliquando leuis, aut vehemens, aut etiam violenta, quæ quasi
207 æquiualet formali. Vnde violatores prohibitionis expediendi cum abiuratione, attento eo, quod emersit ex tortura (quæ intelligenda quando est vehemens præsumptio erroris) aut de formali aut de vehementi, aut de leui, aut cum nulla, & cum pæna vt in plurimum extra-
208 ordinaria iuxta qualitatem personæ. Subsunt autem Iurisdictioni Inquisitorum, etiam aliquando Iudæi, & alij Infideles non baptizati ratione librorum prohibitorum.

209 Præcipua est hæc vltima Regula, & præ cæteris quinque pręcedentibus, vt ex se patet, institutum nostrum negotij sanctæ Inquisitionis immediate attingit. In qua aliquid circa expeditionem causæ cum abiuratione, pęna &c. etiam pręcedente tortura, vbi opus est, vel leuiter indicare conueniens duxi; tametsi pręter consuetudinem (cum in reliquis materiis per commentationem editi huc vsq. explicatis id ad vltimos libros nostri operis, tanquam ad propria loca merito distulerim) vt sit complete tractata materia librorum prohibitorum in hoc capite 19. a cęteris, si videbitur, possit separari, & apposito titulo opusculi peculiaris, in lucem prodire. Certissimum est apud omnes, quod iurisdictio Inquisitorū se extendat ad quosuis retentores, lectores, impressores, atq. defensores librorum prohibitorum, quę extensio pręcipue fit per publicationem edicti sanctę Inquisitionis in clausula iam supra adducta (ch' habbino hauuto, o habbiano libri, scritti, che contengono heresie, ò libri d' heretici, che trattino de Religione &c. Vbi in primis exprimitur iurisdictio Inquisitorum contra retinentes, legentes, &c. libros prohibitos in Bulla Cænę, seu in primo gradu.

211 De habentibus legentibus, imprimentibus ac defendentibus, prohibitos in secundo, & tertio gradu; nempe quòd ob hæresim, aut suspicionem falsi dogmatis damnati sint, aut quòd ab auctore hæretico editi, ideoq. possint Inquisitores contra illos procedere, constat clarè ex constitutione Pij IV. Dominici gregis, ibi, is quidem, qui hæreticorum libros vel cuiusuis auctoris scripta propter hæresim vel falsi dogmatis suspitionem damnata, atq. prohibita legerit, habueritque, ipso facto in excommunicationis pęnam incidat, eamq. ob causam in eum tanq. de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat. Nam quamuis in hac clausula de legentibus, & habentibus tantum sit sermo, par tamen est ratio de imprimentibus, ac defendentibus, vt patet ex edicto, & de omnibus eodē modo loquuntur Doctores citandi præcipue Farin. vbi infra.

212 Quòd item tenentes, legentes imprimentes atq. defendentes libros Astrologiæ iudiciariæ, ipsos supra ad primum, & secundum gradum reduximus, iurisdictioni Inquisitorum subsint, habetur expresse, præter expressionē edicti, magis extensam in Bulla Sixti V. incip. Cæli, & terræ, ibi eadem auctoritate statuimus, & mandamus vt contra scienter legentes, aut retinentes libros & scripta huiusmodi, seu in quibus talia continentur, similiter iidem Inquisitores liberè, & licite procedant, ac procedere, & poenis condignis punire,
213 & coercere possint. Habetur pari modo in constitutione Vrbani VIII. confirmatiua, & ampliatiua illius Sixti V. incip. Inscrutabilis iudiciorum, ibi, §. 5. cognitionem causarum huiusmodi &c. vbilibet locorum etiam ad hæreticæ prauitatis Inquisitores spectare volumus, notat bene Antonius Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 21. num. 54. ex citata Bulla Sixti V.

214 Dubium excitari posse videtur circa habentes, legentes &c. libros prohibitos ob aliam causam, præter hæresim, an ad iurisdictionē Inquisitorum pertineant. Ratio dubitandi insurgit ex Bulla sæpius adducta Pij IV. Dominici gregis, vbi quando hoc negotium ad Episcopos, seu ordinarios spectet, & non ad Inquisitores, expressis verbis sic disponitur. Qui autem inquit, libros alia de causa prohibitos legerit habueritue; præter peccati mortalis reatum, episcoporum arbitrio fauere se nouerit puniendum; Atq. idem habetur expresse in
215 fine Regulæ X. Indicis, Nihilominus post dispositionem Bullæ Pij IV. & Regulæ X. indicis, prodiit iussu Sacræ Congregationis Sāncti officij Vrbis edictum cum peculiari forma, quo Inquisitores præcipiunt sibi denunciari habentes, legentes, imprimentes, ac defendentes libros, non solum hæreticorum, aut ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem; sed etiam quocumq. modo, seu ob aliam causam prohibitos; vt transgressores pro qualitate delicti, & personæ puniant. ita idem causa dict. cap. 21. num. 46.

216 Sequitur videndum qualiter insurgat præsumptio erroris, aut secus, ex retentione, lectione, impressione, & defensione librorum prohibitorum; quod fiet simul attingendo,
217 quid pro expeditione causæ seruandam Du. cto autem initio a facilioribus, hoc prorsus c tum est, si libri sint prohibiti alia de causa, & non ob hæresim, vt quò bonis moribus no ceant contra eos habentes, legentes &c. nul
218 est hæresis suspicio, Vnde isti absq. vlla abi ratione pęna arbitraria seuere puniendi sunt. Tradit ibidem Sousa num. 45 ex Bulla Pij IV citata legentes inquit; & retinentes (idem de imprimentibus, & defendentibus) libro non propter hæresim; aut suspitionem illi prohibitos; sed alia de causa, quamuis de fid suspecti non sint, seuere tamen puniendi s
219 episcoporum arbitrio, Ac posse etiam arbitrio Inquisitorum, addit statim ipse So sa num. 46. legentes, inquit, prædictos libr si ab Inquisitoribus sunt prohibiti (vti re sunt) ab ipsis puniri possunt, vt factores
220 Decretorum. Confirmatur ex Practica nu scripta de rebus Sancti Offitij ab Emin tissimo Cardinali N. pro DD. Inquisitori vulgari lingua edita, quam ipsi præmani habent, cap. 10. in fine sic. Ma se i libri contengono dottrine heretiche, erronee, p sime ad errore, o altra qualità sospetta, ò di tamente, ò indirettamente in fede, ma solo se scandalose, e temerarie, si puniscono i tori (idem de lectoribus impressoribus, ac fensoribus) con pene arbitrarie, ma sen abiura, non essendo abiuratione, se non materia, che porta seco sospitione, ò vehe te, ò leggiera de heresia:

221 Quando vero sunt libri hæreticorum, continentes hæresim, vel suspitionem erro contra fidem; tunc distinguendum de perso eos retinentibus, legentibus &c. si enim simplices, & ignaræ, ita vt vel nesciant leg aut non caleant linguam, qua libri scripti & licet caleant, inconsiderate legerint, ac stiterint statim admonitæ, & aliis simili circumstantijs attentis, nulla sæpius, aut leuis suspitio erroris in fide contra eas in ueniet ob retentionem, lectionem &c. librorum, vnde poterunt expediri cum ratione de leui, & aliquali pęna arbitrio dentis Indicis; aut absq. neutra; sed cum solutione ad cautelam, & monitionem. E gie exprimitur hoc fere totum in dicta pra ca manu scripta ibidem sic:

222 Se poi le persone, che hanno ritenuti de libri sono ignoranti, e semplici, massime de materie, che detti libri trattano, e nel con tuirli vede il Giudice prudente, che non vi malitia, nella lettura di essi habbia cau mal effetto iu tali persone, ne generato qu che dubio in materia di fede, e che sincer mente procedano in dire la verità sopra i c plici, & vso, e non aggrauandosi nell'intentio ne, si fanno abiurare de leui alle volte, secon do la qualità dell'inditij, e diuturnità della tentione, doppo vn puoco di corda, ò territio
223 ne. Ma si fussero in tutto ignoranti, ne sapes sero leggere, ò intendere quello, che leggono & i detti libri li fossero stati lasciati in caso d

altri,

altri, si tralascia l'abiura, e nel resto si procede anco mitemente: in somma tutto il negotio stà nella qualità della persona, libri, e prudenza del discreto Giudice, come anco dicono i Dottori, che di ciò scriuono; hactenus verba Practicæ.

4 Ex illis autem Doctoribus valdè excessit Franciscos Pena 2. par. Direct. super cap. Fraternitatis extra comment. 3. qui idem prorsus affirmat de eo, qui casu accessit cum hæreditate, vel mercibus libros prohibitos occlusos, & antequam exoluat, depræhenditur habere, 5 & denunciatur Inquisitori. Similiter idem asserit, quando is, qui eos retineret esset vir probatissimus, a quo procul quæuis malitia abesse iudicatur: ita etiam docet Albertinus tract. de agnos. assert. q. 28. n. 25. & vterque confirmat exemplo hominis bonæ famæ, qui non est solitus furari, & si res furto sublata apud eū reperiatur, non ideo præsumitur fur, secūdum Bald. & Imol. in l. finali. ff. dd hæred. instit. &c.

6 Sed quid si personæ non sint simplices, nec ignaræ, neque illa probatissima virtute prædita, de qua numero præcedenti? Quod actiones legendi, & retinendi dictos libros Pius IV. in sua constit. Dominici gregis, sic ait, Is quidē qui hæreticorum libros, &c. legerit, habueritue, &c. in eum tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat; vbi non exprimit Papa, sit ne hæc suspitio leuis, an vehemens, aut 7 violenta. Exprimunt tamen alij Doctores, quos late refert, & sequitur Farin. de hæresi q. 180. §. 1. a n. 7. vbi primo bene affirmat cum Pene citato ex Concilio Constantiensi sess. 15. legentes, & retinentes libros hæreticorū posse dici ipsorum fautores; dein n. 9. cum Ludouico Paramo lib. 3. de origine sanctæ Inquisitionis q. 9. n. 147. egregie docet ex retentione, & lectione librorum hæreticalium insurgere cōtra retinentes, & legentes suspicionem hæresis, modo leuem, modo vehementem, modo violentam iuxta personarum, & librorum qualitates, & alias circumstantias arbitrio prudentis Iudicis, &c.

8 Ad fundandum autem dictum arbitrium, non grauabor huc ad verbum transferre, quæ perdocte ibidem trahit Pena. At si aduertens, inquit, & sciens legerit, si totum, aut pluries legerit, si plures legerit, si repræhensus, non facile, nec statim obediuit admonenti; si non præsentauit, sed sciens retinuit absque facultate, &c. magnam, & vehementem contrahet suspicionem.

29 Quod si studiose legat, si omnes passim legat, & sine delectu, si repræhensus tueatur factum, si inquirat, vnde habere possit, aut curat sibi apportari, si non esse præsentandos, aut comburendos contendat, &c. in grauiorem, & maiorem incidit suspicionem; hæc ille; Quæ 230 diligenter inuestiganda esse ab Inquisitoribus addit, vt pro quantitate suspicionis, & criminis, gradum abiurationis, & qualitatem pęnæ, vel pœnitentiæ vnicuique assignent. Atq; quoad has aliquando post abiurationem ieiunia, orationes, & peregrinationes imponi se vidisse ait, nempe in sancto Officio Vrbis, vt exponit Farin. ibidem.

231 Verum pro re præsenti maiorem inuenio lucem in practica illa manu scripta, vbi primo aduertitur quod indiciato, & denunciato aliquo de retentione librorum hæreticalium, sit statim facienda perquisitio, illisque repertis, interrogandus retinens de retentionis diuturnitate, & de lectione eorum; b vtrumque fateatur, interrogandus dein sigillatim circa propositiones in illis contentas hæreticas, aut erroneas, vel male sonantes; maxime si sensum catholicum non admittant; quod si malam creduiitatem neget, obijcitur ei inuerisimilitudo, & præsumptio in contrarium: Ac denuo interrogatur de complicibus, a quibus dictos libros habuerit, vel quibus vsum eorum communicauerit.

232 Tandem pro vlteriori veritate habenda circa ipsos complices, & circa intentionem torquetur arbitrio; & si ex tortura nihil emerget, abiurat de vehementi; ac per tempus arbitrarium, si sit persona religiosa, vel ecclesiastica, suspenditur a diuinis, priuatur voce actiua, & passiua, officijs etiam, & professionibus legendi, docendi, & concionandi cum pœnitentijs 233 salutaribus. Quod si indiciatus de diuturna retentione talium librorum, neget se eos legisse, obijcitur ei inuerisimilitudo; aut si neget voluntariam retentionem in proprio cubiculo, asseratque ibi ipsos ab inimico fuisse absconditos, non creditur ei, & in vtroque casu deuenitur ad rigorosum examen, & quāuis persistat in negatiua, attentis inditijs, & circumstantijs; adhuc abiurat saltem de leui. Hęc in practica illa magis per extensum, vide apud ipsam, & non te pœnitebit.

234 Dubium illud graue restat hic discutiendū, an aliquando eo ipso, quod liber hæreticalis, seu continens hæreses reperiatur apud aliquē hic reputandus sit hæreticus, & vt talis cum abiuratione de formali, & pœna ordinaria puniendus? Affirmant absolutè pro quouis casu talis repertionis varij ex iurisperitis, præcipue Io: Andr. & Domin. in cap. filij, vel hæredes, de hæreticis lib. 6. Archid. ibi, & cap. final. 24. q. 2. Roma. sing. 323. & Hyppolit. in l. qui falsam, n. 109. ff. de falsis. Ratio eorum est, quia ad plenā probationem, sen ad conuincendum quempiā esse hæreticū, sufficit, si huiusmodi libri apud ipsum reperiantur, idque ob enormitatem criminis.

235 Sed eorum sententiam ita simpliciter sumptam, Pena 2. par. Direct. super cap. Fraternitatis, extra de hereticis, comment. 3. vers. Horum tamen, merito falsam iudicat, vti nullo iure fundatam, & nimio rigore ex sola præsumptione, sic condemnantem de tanto crimine contra id, quod disponitur in cap. litteras, de præ-236 sumptionibus. Est nihilominus vera dicta sententia concurrentibus duobus conditionibus. Prima, vt illemet apud quem talis liber reperitur, ipsum re vera composuerit, ita idem Pena, cum Repert. Inquis. verb. libri. §. 1. & §. sed pone, & Ioanne Rojas sing. 124. nec sufficit

vbi

vbi libet hæreticalis reperitur sine nomine auctoris apud aliquem, & hic auctorem non ostendat, quod ipse præsumatur auctor, & cõpositor, vt bene ex Simanc. in Enchirid. tit. 34. num. 4. docet Farin. de hæresi, q. 180. n. 21. cum hæc præsumptio solum faciat vehementissimũ iudicium ad torturam, qua illata si persistat in negatiua tortus, asserens ab inimico fuisse ibi repositum dictum librum, vbi fuit repertus, nequit condemnari, vt hæreticus formalis, ita
237 ibidem Farin. Secunda conditio est; vt auctor libri non ex ignorantia, & quasi aliud agens; sed ex proposito sciens, & aduertens præ positiones aliquas hæreticas, vel aliquam saltem in illo posuerit, eamque contra fidem Catholicam stabilire curarit. Tradit idem Pena, qui concurrente dicta duplici conditione
238 efficaciter a fortiori sic probat, quia si proferens verba hæretica, quæ nullo modo ab errore excusari possunt, condemnandus est cum abiuratione de formali, & pœna ordinaria puniendus; quanto magis id exequendum est in eo, qui illa scribit? cum maiori deliberatione verba hæretica, vt in plurimum scribantur, quam ore solo proferantur.

239 Quoad impressores vero, & scriptores librorum hæreticalium; nullum dubium sint isti hæreticorum fautores, & vt tales tractandi ab Inquisitoribus inflicta tortura pro eruenda mala credulitate, ac nihil ex ea resultante, cũ abiuratione de vehementi, aut de leui, & cum pœna arbitraria expediendi, attentis indicijs,
240 & alijs circumstantijs. De hac fautoria, & de reliquis contra eam testantur Pena 2. par. Direct. in cap. Nouerit, de sentent. excommun. Comment. 17. & Farin. vbi supra n. 18. & 19. deducuntque clare ex Bullis Pontificijs ex illa Leonis X. incip. Exurge Domine, vbi peculiariter disponitur contra imprimentes, & vendẽtes Lutheri libros, & alios damnatos, vt pro prima vice, præter excommunicationem ipso iure, pœna mille ducatorum afficiantur, ac pro secunda vltra dictam pœnam, arte imprimendi, aut bibliopolæ priuentur, & in exilium mit-
241 tantur. Ex Bulla item Pij IV. incip. cum pro munere, vbi iniungitur impressoribus, & bibliopolis, vt consignent Inquisitoribus libros damnatos sub pœna incursus criminis hæresis & alijs contra hæreticos iure inflictis: Verba sunt ipsius Bullæ, quæ intelligenda cum moderatione pro quantitate culpæ, & præsumptio-
242 ne hæresis, vt patet ex dictis. Sub bibliopolis autem sine dubio compræhenduntur asportantes dictos libros prohibitos ad Ciuitates, & loca Christianorum, atque de vtrisque eadẽ est ratio circa expeditionem in Officio Sanctę Inquisitionis, cum talis asportatio, aut cura asportandi regulariter bibliopolæ sit propria. Vide Penam 2. par. Direct. super cap. Nouerit, comment. 17. vers. idem iudico, vbi dicit esse fautores hæreticorum, & quod possint verberibus cædi, si sint personæ viles.

243 De falsificantibus item libros fidelium immiscendo errores contra fidem Catholicam, quouis modo falsificatio fiat, potest esse dubiũ qualiter ab Inquisitoribus expediendi? nihil expresse circa gradum abiurationis apud Doctores. Farin. dict. q. 180. n. 14. tantum affirmat, eos suspectos de hæresi, acerrimeque Inquisi-
244 torum arbitrio puniendos. Nec dubium, q[...] ait suspectos, intelligat de suspitione vehementi, & consequenter ex mente ipsius sint torturæ subiiciendi; ex quasi nihil emerserit, debeant abiurare de vehementi, aut de leui attentis attendendis &c.

245 Verum Franciscus Pena (tametsi cum Farinac. pro se non bene adducat) vbi supra vers. Deniq. qualis &c. contra huiusmodi falsificatores Gregorius insurgit, ac proponit primo sententiam, qua sexta synodus Constantinopolitana art. 13. eos damnat, his verbis: Præcipimus illos, qui falsificauerunt libros Catholicos, anathemati subijci, & cum hæreticis anathematizari: hæc ibi; & addit ex[...] sic, Monebo, inquit, interim in huiusmodi sceleris patratores acerrime esse animaduertendum; cum vno actu plura delicta committant, Illa autem verba, *& cum hæreticis anathematizari*, indicant eos, qui talia faciunt hæreticos esse putandos quod verum est, [...]ta id, quod diximus supra cap. Fraternitatis de heret. vers. ex supra: dictis pendet. H[...]nus Pena referens se sine dubio ad illud, quod paulo ante cum ipso resoluimus circa casum de libro hæreticali reperto apud aliquem [...] scilicet esse puniendum vti hæreticum cum abiuratione de formali, & pœna ordinaria si adsit duplex conditio ibi assignata, quod ipse re vera eum composuerit, & quod sciens & volens errores contra fidem in eo scripserit. Parimodo in casu præsenti falsificans libros Catholicos, vt hæreticus expediendus cum formali abiuratione, duplici stante conditione, quod re ipsa eum falsificauerit immiscendo errores contra fidem, & id scien, & aduertens præstiterit. Probatur à fortiori, quia multo magis indicatur, & exprimitur mala credulitas mentis, & malitia animi librum Catholicum falsificando erroribus, quam in proprio libro scribendo; ergo &c.

248 Tandem de librorum hæreticalium defensoribus quid? neq. circa istorum expeditionem ab Inquisitoribus exequendam, quidquam in particulari, quod inuenire potuerim, apud auctores reperitur. Negari tamen non potest eos esse maximopere fautores hæreticorum, imo & defensores, cum ipsorum libros hæreticales defendant; & ex hac defensione vehementissimam insurgere suspitionem hæresis
249 contra ipsos. Hoc expresse docet Pena, quis obiter dicto Coment. 3. super cap. Fraternitatis extra de hæreticis vers. quod si studiose; ibi enim assignans indicia, ex quibus oritur vehementissima suspitio erroris in fide cõtra legentes, & retinentes libros hæreticales, ponit exemplum in defendente eos, his verbis: si non, inquit, esse præsentandos, aut cõburendos contendat &c. in grauiorem, & maiorem incidet suspitionem ita ille. Vnde ob hanc suspicionem defensor librorum huiusmodi pro eruenda intentione subijciẽdus torturæ, ex qua nihil resultante, condemnandus

ad

ad abiurationem de vehementi, & pœnam extraordinariam.

50 Sed hoc soluo meliori iudicio, ita limito, quod tantum habeat locum, quando dictus defensor interrogatus respondet se defendere librum non ob errores contra fidem in eo contentos, sed ob aliam doctrinam sanam, quæ in ipso traditur. Si enim clara fatentur suam eius defensionem esse propter dictos errores, nullus credo negabit talem defensorem esse tractandum expediendum vti hæreticum formalem cum abiuratione de formali, & pœna ordinaria. Quod patet à fortiori ex supradictis de reperto componente librum hæreticalem, aut de falsificante hæreticis librum Catholicum: nã multo clarius manifestat suam malam credulitatem ille defensor, quam hic compositor, aut falsificator; ergo &c.

51 Vltima particula nostræ Regulæ attingit iurisdictionem Inquisitorum aduersus Iudeos & alios infideles non baptizatos ob lectionẽ, retentionem, asportationem &c. librorum prohibitorum. Diuersi Summi Pontificis circa hoc disposuerunt præcipuè Iulius III. circa annum Domini 1554. per constitutionem incip. *Cum sicut* disposuit, ne Iudæi sub pœna pecuniaria confiscationis bonorum, corporali etiam, ac vltimi supplicij retineant libros continentes aliquid contra fidem Catholicam, aut blasphemias in Deum, vel in Christianam Religionem; affert simanchas Cathol. instit. tit. 35. num. 11. Et quamuis Papa ibi contra eos constituat Iudices episcopos, seu locorum Ordinarios; sub eis tamen sub intelligguntur etiam Inquisitores. Vnde auctoritate eiusdẽ Iulij III. teste Azor citando, Domini Cardinales Sacræ Congregationis Generales *Inquisitores* quosuis libros Talmudicos, vbicumq. in Vrbe, aut extra repertos igni tradiderunt, & per edictum incip. Nos Ioannes Petrus Garaffa &c. Omnibus Inquisitoribus particularibus iniunxerunt idem facere de similibus libris in loco suæ iurisdictionis repertis. Dein Gregorius XIII. per Bullam incip. Antiqua Iudęorum &c. ita disponit, ibi, si libros inquit, hęreticos; vel Talmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut alios prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcumq. loca detulerit, aut ad eam rem ope-

254 ram suam accommodauerit, sic in eo §. Atq. sub finem Bullæ totum hoc negotium Inquisitoribus committitur & tribuitur potestas puniendi Iudæos, aut Infideles non baptizatos talia delicta committentes per flagella, per rerum publicationes, per exilia, & per alias pęnas vt bene notant Azor tom 1. lib.8. cap.22.

255 q.12. & Farin. dict. q 180. num. 10. Denique clarius id habetur in Bulla Clementis VIII. incip. cum hebræorum, edita anno 1593. die 3. Aprilis. Atq. hactenus de tota materia librorum prohibitorum; quæ vti valde practica, ita scitu dignissima.

CAPVT XX.

De alijs casibus spectantibus ad officium sanctæ Inquisitionis, non expresse contentis in edicto DD. Inquisitorum.

PROOEMIOLVM.

HVius capitis materiam continet implicite, seu in communi clausula illa propè finem ipsius Edicti apposita, iam alibi pro declaranda materia infidelitatis carentibus baptismo a nobis adducta, nempe [Dichiarando, che per la sopradetta espressione de'casi da Noi specificati da reuelarsi, come sopra, non escludemo gli altri casi spettanti al sant'Officio, che pet altro ne i Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de'Sommi Pontefici sono compresi] latine sic. Declarando per expressionem casuum supradictorum non excludi alios, etiam denunciandos, in sacris Canonibus, Decretis, Constitutionibus, & Bullis Pontificijs compræhensos. Possunt autem in eis compræhendi dupliciter, vel expresse in specie, seu particulariter, vt compræhenduntur, & exprimuntur, casus de mysterio Conceptionis B. Virginis non legitime sentientium, & loquentium, cum agatur de pœna intelligenda obloquentibus de vtraque opinione; casus de sacro Ordine initiatis, & religiosis matrimonium contrahentibus, & alij tractandi sigillatim in Regulis sequentibus: vel non expresse, nec specialiter, sed implicite in communi, vt sunt sine dubio diuersi spectantes ad sãctum Officium, eo quod eadem sit ratio in his, atque in illis, per aliquam Bullam Pontificiam declaratis; nempe quod in eis etiam præsumptio aliqua erroris contra fidem Catholicam reperiatur; Vnde de ipsis sub finem huius capitis Regulæ peculiares apponentur.

Quid de mysterio Conceptionis B. Mariæ Virginis sentiendum? & quatenus contra loquentes indebite de illo Inquisitore procedere possint?

REGVLA CXLVI.

3 SIcuti valde pium apud plurimos tenetur B. Virginem Mariam fuisse conceptam absque peccato originali, ex meritis Christi Domini.

4 Alterutri autem parti affirmanti, vel neganti, quod fuerit cum eo peccato concepta, aut nõ fuerit, hæresis, vel similis qualificationis notam inu-

inurere ſub excommunicatione reſeruata, &
5 alijs pœnis olim ſtricte prohibitum. Quæ pœ-
næ poſtea auctæ, & iniunctum Inquiſitoribus,
6 vt contra delinquentes inquirant. Reſtricta
dein pars affirmans, quod non poſſit vllus in
concionibus, lectionibus, & alijs actibus pu-
blicis aſſerere eam fuiſſe conceptam cum pec-
7 cato originali. Licet in priuatis colloquijs,
& ſcriptis conceſſum dein declaratum; & ab-
ditum, ne quis ſub eiſdem pœnis alio, quam
Conceptionis nomine in miſſa, & in officio fe-
ſti vtatur.

---

8 Extitit iugiter per ſuperiora ſecula vſque ad
præſens, inter præcipuos Doctores ſcholaſti-
cos hac de re maxima controuerſia: An fuerit
Beata Virgo Deipara in primo inſtanti ſuæ
Conceptionis ſanctificata, & ab originali pec-
cato præſeruata? nec ne? alijs ex illis, cum D.
Thoma 3.p.q.27.art.2.& in 3.ſentent. diſtin. 3.
hac præſeruatione, & pro illo inſtanti ſanctifi-
catione (tametſi immediate poſt, ſeu tranſa-
cto paruo tempore ſanctificatam admittant)
9 prorſus eam priuantibus. E contra alijs cum
Scoto dict.diſt.3. vtramque eidem cumulatiſ-
10 ſime concedentibus. Hinc inter ipſos, & alios
horrendæ quandoque diſſenſiones, ac rixæ, tu-
multuſque pernicioſiſſimi cum ingenti ſimpli
cium fidelium ſcandalo in diuerſis locis Chri-
ſtianitatis ſæpius dimanarunt; pro quibus ſe-
dandis, ſeu reprimendis, variæ Summorum
Pontificum Conſtitutiones ſtatim citandæ, nõ
fruſtra prodierunt.

11 Alterutri autem parti affirmanti fuiſſe B.
Virginem in peccato originali conceptam, aut
id neganti cenſuram hæreſis, aut erroris, vel
alterius qualitatis tribuentes merito Summi
Pontifices conſtitutionibus fulminatorijs re-
preſſerunt. Primo Sixtus IV. poſt editam illam
Bullam, qua conceſſis indulgentijs, vt dixi, de-
uotionem fidelium in celebrando feſto imma-
culatiſſimæ Conceptionis Deiparæ valde au-
xerat, anno 1488. & Pontificatus ipſius 13. alia
Bulla incip. Graue nimis, de reliq. & vener.
ſanct. inter extrauag. commun. lib. 3. repreſſit
per excommunicationem ipſo facto, reſerua-
tam Papæ, omnes concionatores, & alios quoſ
libet verbis, aut ſcriptis, ſeu libris impreſſis,
quos damnat, aſſerere præſumentes, quod ſint
hæretici, qui tenent B. Virginem fuiſſe immu-
nem a peccato originali, & quod mortaliter
peccent, qui conciones de huiuſmodi articu-
lo Immaculatæ Conceptionis audiunt, aut fe-
12 ſtum eius celebrant. Similiter reprimit per
eandem cenſuram eos, qui affirmare fuerint
auſi, eſſe pari modo hæreticos, ac peccare illos
qui contrariam opinionem defendunt, contra
xiſſe ſcilicet B. Virginem peccatum originale;
cum nondum ab eccleſia ſit definitum.

13 Tranſactis vero fere centum annis, nempe
anno 1570. & ſui Pontificatus quinto, Pius V.
conſtit. incip. ſuper ſpecu'am confirmauit quo
ad omnia illam Sixti IV. ſicuti iam prius con-
firmata fuerat per Concilium Tridentinum
ſec. 5. de peccato originali in fine: atq; addi-
dit prohibendo ſub pœna ſupenſionis, & pri-
uatione dignitatis, vel adminiſtrationis ipſo
iure incurrenda Papæ reſeruata, & alijs arbi-
trio Ordinarij pro menſura delicti pœnis; ne
quis cuiuſcumq; Ordinis, conditionis, vel
dignitatis exiſtat, in concionibus populari-
bus, aut vbi promiſcua virorum, & mulierum
multitudo conuenire ſolet, de alterutra par-
te controuerſiæ circa conceptionem B. Virgi-
nis diſputare rationibus, vel Doctorum au-
ctoritate, aſſerendo propriam ſententiam, &
contrariam refellendo, aut impugnando, vel
de hac ipſa quæſtione, cuiuſuis pietatis, aut
neceſſitatis prætextu vulgari ſermone ſcribe-
14 re, vel dictare præſumat, concedit tamen
uiris doctis in publicis Academiæ diſputatio-
nibus, aut vbi alias interſunt, qui rem cape-
re poſſunt, nec ſcandali vlla ſubeſt occaſio, de
illa quæſtione diſſerere, & argumentis vtram
libet partem, vel oſtendere, vel impugnare
dummodo neutra veluti erronea prædicetur.

15 Verum cum circa annum 1616. occaſione
aſſertionum Theologicarum, per quas in Aca-
demia Hiſpalenſi defendebatur B. Virginem
fuiſſe contaminatam, peccato originali, tam
Hiſpali, quam in alijs Ciuitatibus, & Oppidis
Hiſpaniæ ferè ominibus nouæ rixæ, & diſſen-
ſiones tumultuſq. adeo graues cum maximo
populorum ſcandalo contra ſic defendentes
extiterint, vt vix ſedari poſſe viderentur; pro-
inde à Rege noſtro Philippo III. ſupplicatum
eſt Sũmo Pont. Paulo IV. vt quamprimum e
opportuno remedio prouidere dignaretur.
16 Vnde ſine mora ipſe conſtitutionem edidit,
incip. Regis pacifici, &c. qua illas Sixti IV. &
Pij V. innuocauit, & motu proprio, ac ex cer-
ta ſcientia inſuper iunxit pœnas contra delin-
quentes, & eo ipſo priuati maneant faculta-
te concionandi, publice legendi, ſeù docen-
di, ac interpretandi, voceq; actiua, & paſſi-
ua, nec abſolui, aut habilitari poſſint, niſi
Romano Pontifice; cuius arbitrio graui
17 puniri valent. Tandem præter ordinarios
locorum, conſtituit Iudices DD. Inquiſito-
res contra delinquentes, vt eos pro delicti
qualitate proſequantur.

18 Sed dictis ad huc rixis, & tumultibus non
ceſſantibus ſucceſſor Pauli V. Gregorius XV.
de efficaciori remedio prouidit per Decretũ
in Sacra Congregatione Sancti Officij 24. die
Maij Anno 1622. editum incip. Sanctiſſimus
D.N. ibi innouatis Bullis prædeceſſorum ſuo-
rum precipue Pauli V. quoad omnia innoua-
to etiam alio Decreto eiuſdem Pauli V. quo
non multo ante fuerar ſtricte prohibitum ne
qui in publicis concionibus, lectionibus con-
cluſionibus, & alijs quibuſuis actibus publi-
cis aſſerere auderet B. Virginem fuiſſe conce-
19 ptam cum peccato originali. Item addit idẽ
Gregorius præcipiendo, ne quiſquam ſub di-
ctis pœnis alio quam Conceptionis nomine
in miſſa, & officio feſti vtatur. Tandem præci-
pit locorum ordinarijs, & Inquiſitoribus, vt
contra tranſgreſſores huius decreti, quicum-
que ſint procedunt, & in eos ſeuere animad-
uertant,

uertant, maximè in audentes notam erroris, aut similis alterutri parti affirmatiuæ, vel negatiuæ inurere: Cum ex dictis decretis constet adhuc vtramlibet absq; errore, & peccato posse teneri, quousq; articulus hic de [redacted] Conceptione B. Virginis ab Ecclesia Romana fuerit definitus.

9 Petes qualiter expediendi ab Inquisitoribus transgressores dictorum Decretorum, & Bullarum? de hoc in practica illa vulgari manu scripta à nobis alias adducta c. 19. vers. *Doppo l'emanatione, &c.* Sic tantùm habetur, quod vbi non constat de transgressione expressa, sed tantùm fuisse prolata verba temeraria, aut cum tali liuore, & mordacitate, vt malè sonent, & sapiant transgressionem, qui ea protulit, soleat Romæ in Congregatione Sancti Officij coram Eminentissimis Cardinalibus acriter corripi, & arbitrio concionandi, aut
0 legendi officio priuari. Si verò de transgressione plenè constet, quod puniatur declarando incurrisse pœnas dictarum Constitutionũ, & Decretorum, hactenus ex practica illa. In qua nihil, neq; apud alium Auctorem quidquam inuenire potui de præsumptione aliqua erroris, & de abiuratione iniungenda.

De præsumptione erroris in impedientibus officium Sanctæ Inquisitionis? & qualiter eius iurisdictioni subsint?

REGVLA CXLVII.

1 DE mali credulitate contra fidem sunt valde suspecti quicunq; officiũ Sanctæ Inquisitionis quoquomodo tam mediatè, quàm immediatè impediunt, contrahuntque propterea excommunicationem ipso facto.
2 Ob talem autem suspicionem non sunt tractandi vti heretici, sed subijciẽdi torturæ pro eruenda intentione; qua negata, cum abiuratione de vehementi, & pœna arbitraria ex-
43 pediendi. Sub dictis impedientibus præter alios infra exprimendos, præcipuè cõprehenduntur offendentes ipsos Inquisitores, aut
4 quosuis Inquisitionis ministros. Quod si offensio sit in contemptum, & odium Sancti Officij pro prima vice Curiæ sęculari traduntur vltimo supplicio puniendi; secùs verò si ex alia causa, quę legitimè probanda ab ipsis offendentibus.

5 AGitur in communi de huiusmodi impedientibus Inquisitionis Officium in cap. vt Inquisitionis Officium, §. finali de hereticis in 6 vbi excommunicatio eis infligitur per illa verba, quod si quis, inquit, in fidei negotio Episcopo, vel Inquisitoribus se opponere, vel aliquatenus impedire pręsumpserit, seu auxilium, consilium, vel fauorem dederit excommunicationis se nouerit mucrone percussum, &c. ex qua particula, percussum, clare patet hanc excommunicationem non esse ferendam, sed ipso iure latam; sicq; docent Eymer. 2. part. direct. q. 54. n. 2. & cum alijs ab ipso relatis Farin. de hęresi q. 182. §. 5. n. 77. & n. 83. id affirmat benè cum eodem Eymer de danti-
46 bus auxilium, consiliũ, &c. Similiter agitur de dictis impedietibus officium Inquisitionis in Const. Pauli III. edita anno 1542. incip. Apostolici culminis, relata per Pennam in fine direct. ibi. Districtiusq; inhibentes, &c. quouis modo per se, vel per alium, seu alios directè, vel indirectè impedire præsumant. Vide reliqua in ipsa Constitut. post medium. accessoriè enim hoc de impedientibus officiũ Sanctæ In-
47 quisitionis, eis appositum. Item in Constit. Iulij III. incip. licet à diuersis, in qua pręcipuè contra Potestates sęculi, ac Dominos temporales, Rectores Ciuitatum, &c. impedientes officium Sanctæ Inquisitionis, aut de heresis crimine cognoscere tentantes, &c.
48 Dixi quicũq; officium, &c. vt per generalitatẽ huius particulę comprehenderem quascumq; personas cuiusuis status, gradus, & cõditionis maximè Legatos Papæ, & Subdelegatos, Episcopos, ac Superiores maiores Religionum; etiãsi Inquisitor sit aliquis religiosus. Hi enim omnes auctoritatẽ non habent ratione gradus, aut muneris, quo funguntur, ad impediendum, aut retardandum officiũ Sanctæ In-
49 quisitionis, vt optimè Farin ibid. n. 82. Quod si de facto impediant, non obstante carentia facultatis ad id, nequit Inquisitor contra eos procedere; sed impedimentum illarum debet Papæ notificare. Ita idem Farin. num. 78. cum Calder. in tract. de heret. rubr. de his, quæ pertinent ad executionem officij num. 8. & affert Sousa lib. 1. Aphorismorum cap. 30. n. 12. nosq; iam alibi tractauimus expendentes illud dubium. Ad quas personas iurisdictio Inquisitorum se extendat?
50 Dixi quoquomodo impediunt, &c. nã multiplex est modus impediendi officium Inquisitionis, nempè directè, vt si non circuitu, aut per aliud medium, sed principaliter quis in id incumbat, ne fiat: atq; indirectè, vt si insinuatione, aut alia via nitatur id ipsum euertere.
51 Item impediri potest non solùm factis, sed etiam verbis minatorijs, vel signis. Ita Penna 2. par. direct. ad q. 54. comment. 79 & Farin.
52 dic. q. 182. num. 84. Præterea immediatè, vt per se patet; aut mediatè, vt si Inquisitionis secretum per malitiam quis reuelet ijs, qui negotium fidei impedire possunt. Vnde ille tanquam impediens officium Inquisi-
53 tionis puniendus. Quamquam mitiori pœna, si id ob simplicitatem fecit, aut si ei reuelauit, qui impedire non potest. Idem Penna 3 part. direct. ad q. 80. coment. 129. & cum ipso
54 Sousa dict. cap. 28. num. 4. Similiter mediatè, vt si Domini temporales prohibeant familiæ Inquisitorum arma deferre; quare ab ijs tanquam impedientes Inquisitionis officium puniri possunt. Tradit Eymeric. 3. par. direct. quæst. 56. ibique Penna, & Farin. de heresi
55 q. 182. §. 6. Quocum num. 92. benè limitat Sousa vbi supra num. 6. dicens, secus esse, si Inquisitores abutantur facultate concedendi licentiam ad portanda arma, vt si non necessarijs officialibus, aut actu non seruientibus eam concedant, quod iam alibi attigimus.

57 Apud omnes Doctores est prorsus certum esse valde suspectos de hæresi huiusmodi impedientes officium Inquisitionis; non tamen reputandos hæreticos; nisi aliunde appareat de eorum errore in mente, & pertinacia in voluntate. Sequens Eymericum 2. part. Direct. q. 54. num. 2. docet Farin. dict. q. 182. num. 88.

58 Qui num. 85. cum Penna super dictam q. 54. Coment. 79. optimè ait tales impedientes debere examinari etiam per torturam, si causa, & conditio eorum id ferat, ad perscrutandum, an personam, vel officium Inquisitionis impe-

59 dire, seu offendere intenderint. Atque pro qualitate suspicionis remanentis post torturã nihil noui afferentem, esse eis iniungendam abiurationem, aut de vehementi, aut de leui, cum pœna arbitraria, tàm si in odium fidei, quàm si ob alias causas officium Inquisitionis impedierint, ita ijdem Penna d. Coment. 79. & Farin. eodem §. 5. num. 85.

60 Peculiariter agendum de impedientibus officium Sanctæ Inquisitionis offendendo, aut iniuriando Inquisitores ipsos, vel quosuis Inquisitionis ministros, aut eos perterrefaciendo. Contra huiusmodi enim sceleratos prodijt in lucem ann. 1569. Constitutio Pij V. sanctæ memoriæ, quæ quasi columen, & firmamentum omnium Tribunalium Sancti Officij habetur, incip. Si de protegendis, &c.

61 In qua pro fidei maximo zelo, quo semper ipse ardebat, & odio plusquam vatiniano, quo hæreticam prauitatem prosequebatur, meritò disposuit, vt taliter impedientes, seu potius subuertentes statum Sanctæ Inquisitionis, ac ministros in eius functionibus disturbantes, etiam dando solummodo consilium, auxiliũ, &c. licet effectus non fuerit secutus, præter excommunicationem ipso facto, vti rei læsæ maiestatis dominio, honore, dignitate, ac quouis alio beneficio temporali, eò ipso priuati Curiæ seculari tradantur vltimo supplicio

62 puniendi. A quo nullus liberandus, nisi per claras probationes ostendat se tale delictum ex alia causa, & non in contempsum, aut odiũ Sancti Officij commisisse; ita in illa constitutione relata per Pennam in fine direct. & affert pluribus Farin. dict. §. 5. num. 80.

63 Nota, quòd eos, qui impediunt officium Inquisitionis, & offendunt Inquisitores, aut eorum officiales, ac familias, compescere possunt ipsi Inquisitores per censuras, aut per daclaratorias earum, vt ab impedimento, & offensione desistant, etiam inuocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Est textus expressus in cap. vt officium, §. compescendi, de hæreticis in 6. & ibi Glosa 1. in verbo compescendi, traditq; Farin. vbi supra n. 81. post Eymeric. 2. p. Direct. q. 6. num. 4. vbi Penna commen 79. Simancham Cathol. tit. 34. n. 29. & Francum super dict. textum in §. deniq; n. 1.

64 Apud quem inuenies benè decisum, quando Legatus, aut Delegatus Sedis Apostolicæ qualis est Inquisitor possit inuocare brachiũ seculare, etiamsi in Delegatione hoc ei non fuerit expresè concessum; ita idem Farin.

65 Dein nota Dominos temporales, Magistratus, ac Rectores Ciuitatum, &c. esse suspectos de mala credulitate, & præsumi hæreticos; si requisiti auxilium contra hæreticos, aut indiciatos de hæresi, quales sunt impedientes officium Sanctæ Inquisitionis, præbere renuerint, aut non curarint. Suadetur ex textu in cap. ... extra de hæreticis, vti suadet Penna 2. p. direct. commen. 2. vers. si de episcopis, &c. & ex textu in cap. ad absoluendam, §. statuimus, extra de hæreticis, vbi hæc habentur, statuimus, in-

66 quit insuper, vt Comites, Barones, Rectores, & Consules Ciuitatum, & aliorum locorum iuxta commonitionem Episcoporum (adde vel Inquisitorum) præstito corporaliter iuramento promittant, quod fideliter, & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiã contra hæreticos, & eorum cõplices adiuuabunt bona fide iuxta officium, & posse suum; si vero id obseruare noluerint, honore, quẽ obtinent, spolientur, & ad alios nullatenus assumantur, eis nihilominus excommunicatione ligandis, & terris ipsorum interdicto Ecclesiæ subijci-

67 dis. Imo quamuis non emiserint dictum iuramentum, si requisiti non præstent auxilium, insurget præsumptio hæresis contra eos; ... tractat cum alijs copiosè Farin. dict. q. ... §. 2. à num. 18.

Persistentes in excommunicatione per annum, ipsamque exterius contemnentes qualiter iurisdictio Inquisitorum pertingit.

REGVLA CXLVIII.

68 Condemnandus ab Inquisitore vti hæreticus, non verus, sed præsumptus quiuis excommunicatus ob causam hæresis vel apostasiæ; si præcedente probabili suspicione delicti, & citatione iuridica ad respondendum de fide, per annum integrum, & continuum in excommunicatione insurdescat.

69 Requiritur tamen, vt prius per sententiam talis declaretur, vel saltem sit notoriè excommunicatus; & vt annus incipiat à die decla-

70 rationis, aut ab initio notoreitatis. Persistens verò per annum in excommunicatione non ex causa fidei, habendus vti de hæresi su-

71 spectus, & non vt hæreticus. Denique contemnens censuras expediendus quandoque cum sola correptione, quandoque verò cum abiuratione, & pœna arbitraria, si absolutè neget potestatem ferendi ipsas.

---

72 Habetur expresè doctrina primæ partis Regulæ in cap. cũ contumacia, de hæreticis in 6. vbi sic, cum contumacia, inquit, in causa præsertim fidei suspicioni præsumptionem adijciat vehementẽ, si suspectus de hæresi vocatus à vobis, vt de fide respondeat excommunicationis vinculo, pro eo quod parere subterfugit, aut contumaciter se absentat, per vos fuerit innodatus, quam si per annũ animo sustineat pertinaci, ex tunc velut hæreticus con-

73 condemnetur. hæc ibi: Cuius dispositionis rationem Doctores communiter reddunt cum Gloss. in cap. excommunicamus il primo, verbo *Condemnentur* extra de hæreticis; quia ex persistentia in tali excõmunicatione per annum insurgit præsumptio erroris, nedum violenta, sed etiam violentissima, quòd sic persistens malè sentiat de vi excommunicationis, & potestate clauium; ergo nihil mirum si vt hæreticus sit condemnandus, neque hoc maiori indiget probatione; sed declarandæ aliquæ particulę in Regula appositæ, vt innotescant magis de conditionibus ad tantam condemnationem requisitis: prius tamen expendendę, quæ in ipsa præcedunt.

74 Vti hæreticus, dixi, non verus, sed præsumptus; quia non constat de formali eius hæresi nempe de errore intellectus, & pertinacia voluntatis, sed tantum præsumitur; ergo non est condemnandus, vt verus hęreticus, ita Eymericus 1. p. Direct. q. 47. & 3. par. in 13. modo terminandi processum, ibi Penna, Comment. 29. & cum aliis Farina de hæresi q. 192. nu. 19.

75 Quanquam condemnatio eius quoad omnia executioni mandatur, ac si esst verus hæreticus, vel apostata. Vnde si captus, vel si se præsentans transacto anno, misericordiam imploret, recipitur ab Ecclesia, & ei reconciliatur, hoc modo videlicet iniuncta abiuratione de vehementi, vbi nihil, quo ad intennem ex tortura prius inflicta emersit, absoluitur ab excommunicatione, & ad carcerem perpetuum damnatur, cum publicatione omnium ipsius bonorum. Cum eodem Penna 3. p. Direct. super quæst. 125. commen. 174. cum Paramo citando statim, & cum multis aliis ab ipso relatis tradit idem Farin. num. 20.

76 Excipit tamen bene hunc casum Ludouicus Paramus lib. 3. de origine S. Inquisitionis, q. 4. num. 25. quòd sit tradendus brachio secalari animaduersione debita puniendus, qui sic violenter, aut violentissimè suspectus de hęresi, ob persistentiam v. g. in excommunicatione per annum, noluerit resilire, & herefim abiurare; probatq. ex cap. Ad abolendam §. præsenti, de hæreticis; nec vllus est, qui hanc doctrinam non admittit.

77 Si pręcedente, dixi, probabili suspitione delicti; nam vbi nulla pręcessit hæresis, aut apostasię suspitio, si quis citetur, vt compareat ad respondendum de fide, atque ob omissam cõparitionem excommunicetur, ac per annum in excommunicatione persistat, nequaquam vti hęreticus est habendus, aut condemnandus. Ratio est, quia in tali casu iniustè, & inualide citatur, & cum non teneatur cõparere, consequenter est inualida excomunicatio; & quęuis sententia lata contra sic citatũ. Docēt

78 ex mente omnium Archid. in d. cap. Cum cõtumacia n. 1. Gundisal. tract. de hęret. q. 12. n. 4.

79 & Farina vbi supra n. 20. Qui in etiam isti auctores optime addunt, quòd in causa hęresis quis citari non debeat pro qualibet suspitione nisi fuerit probabilis; nam communis, seu vulgi suspitio absque fundamento orta, potius est repellenda, quàm admittenda ex iure copiosè ostendit idem Gundisal. sed de hoc nos ex professo lib. sequenti.

80 Et citatione dixi, iuridica ad respondendum de fide, cùm sit rectum, & valde conformis cuiuis iuri etiam naturali, & diuino, vt contra nullum sententia condemnatoria feratur, quin prius à Iudice competente citetur. Hinc à Deo Opt. Max. citatus Adam post commissum peccatum, iuxta illud Genes. 3. Vocauitq. Dominus Deus Adam, & dixit ei,

81 Vbi es? Qualis autem, & quotuplex debeat esse citatio, vt censeatur iuridica in causa hæresis, alibi etiam ex professo tractabitur, nunc solùm attingo, & affero cũ Eymer. 2. p. Direct. q. 47. n. 7. vbi Penna commen. 72. & Farin. d. q. 182. §. 2. n. 31. quod debeat reus, si facilè capi non potest, specificè, seu in indiuiduo citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspitione per insordescentiam magis acu-

82 ta. Item quod quemuis vnica citatio fortè de rigore iuris, sufficiat cum in causa hæresis procedatur summariè, cap. fin. de hæreticis in 6. & in Summarijs vnica citatio vim peremptorij habeat, tutius tamen sit, vt triplex præcedat: sicut in causis aliorum criminum procedere solet. ita Decian. crim. lib. 1. cap. 32. n. 4. Roias sing. 29. & cũ aliis Farin. de hęresi q. 185. n. 117

83 Per annum, dixi, integrum, & continuum in excommunicatione insurdescat: de hac integritate, & continuatione anni requisita ad effectum condemnandi aliquem, vti hæreticum, nullus est ex Doctoribus, qui dubitet. Vnde si ante lapsum annũ moriatur, nequit condemnari, vt hæreticus, neq; bona eius cõfiscantur, nisi aliundè esset iam plenè conuictus de hæresi, aut de Apostasia, ita Simanchus Cathol. instit. tit. 14. n. 4. Decian. dict. cap. 32. n. 10. & cum alijs Farin. de hæresi q. 192. n.

84 36. Similiter nec potest condemnari, vt hæreticus, si annus non sit continuus, ita ibidem Simanchas n. 3. Roias singul. 60. n. 3. Interruptio autē anni euenire potest ex diuersis capitibus, vel quia in aliqua parte eius ob causam rationabilem puta ob infirmitatem, nequiuit comparere, & interim non currebat terminus, vel quia aliquando iam quæsiuit de iudice, vel institit pro absolutione, atq; ex quouis istorum capitum, & similium excusatur à contumacia, & à condemnatione vti hæreticus. Docent Simanchas eodem tit. 14. num. 10. Io. Andreas in cap. cum contumacia de hæreticis in 6. & Farin. vbi supra num. 21. & 22.

85 Requiritur tamen dixi, vt prius per sentētiam talis declaretur &c. de hac conditione, quę pręcipua videtur inter hactenus declaratas, tractat benè Albertinus de hęreticis q. 14. n. 35. sed Farin. eodem §. 2. num 29. multo melius per sequentia verba, Dummodo, inquit, fuerit excommunicatus, vel declaratus excommunicatus ab homine in casu, quo excommunicatio ipso iure incurritur; non pręcedente autem sententia excommunicationis, vel excommunicationis declaratione in casu predicto, non potest, vt hęreti-

86 cus condemnari. Et sic annus persistentię in

excommmunicatione currere incipit, non à
die incursus excommunicationis, sed à die
declarationis, seù à die, in quo nominatim
fuit excommunicatus, cum ex illo tempore
incipiat tumor contumacię; seu contemptus
87 clauium: hactenus ille. Qui tamen hoc vlti-
mum cum eodem Albertino opportunè, ac
rectè limitat, quod non habeat locum, quan-
do quis esset notoriè excommunicatus; tunc
enim annus incipit currere ab inchoata no-
torietate excommunicationis, absq; alia de-
claratoria, si talis notorietas verè, & euiden-
ter omnibus pateat: exemplum, pono cum
Eymerico 3. p. Direct. q. 47. & 123. ac ibi Peña
ex materia pręcedentis Regulę, vbi aliquis in
causa fidei impedit officium Sanctæ Inquisi-
tionis, ipso iure est excommunicatus, vt ibi
diximus, etsi in excommunicatione omni-
bus communiter nota, & euidente per annũ
insurdescat, absq; declaratoria ulla, vti hæ-
88 reticus condemnatur. Secus si non sit noto-
ria, quia tunc declarandus est excommuni-
catus, & à die declarationis annus persisten-
tię currere incipit.
89 Sed quid si non ob causam fidei, sed ob
aliam quis toto anno continuo in excommu
nicatione persistat? certum est, & commune
apud omnes hunc non posse haberi, nec cõ-
demnari vti hęreticum, sed tantum esse pro-
cedendum contra ipsum tanquam de hæresi
suspectum ratione talis persistentiæ in statu
excommunicationis, quod malè sentiat de
clauibus, seù de potestate excommunicandi.
90 Patet clarè de hac suspitione ex Consilio
Tridentino sess. 25. cap. 3. de reformatione in
fine vbi sic, excommunicatus verò, inquit,
quicumq; si post legitimas monitiones, non
resipuerit, non solum ad sacramenta, & com-
munionem fidelium, ac familiaritatem non
recipiatur; sed si indurato animo censuris an-
nexus in illis insurduerit, etiam contra eum
tanquam de hæresi suspectum procedi possit;
hactenus verba concilij. En quàm clarè cir-
ca rem pręsentem ab ipso dispositum, quod
possit, contra taliter de hęresi suspectum pro-
91 cedi. Vnde miror asseruisse Peñam 2. par. Di-
rect. q. 47. commen. 72 Romæ esse consuetu-
dine receptum, vt Inquisitores non procedãt
contra huiusmodi excommunicatos: Quod
videtur confirmari ex traditis in practica illa
vulgari manu scripta, à nobis aliquoties ad-
ducta cap. 13. Quamquam ibi tandem con-
cluditur, seu vt doctrinalis regula proponi-
tur esse procedendũ contra ipsos tanquã su-
spectos de hęresi, si post factã citationẽ, & de-
claratoriã per D. Auditorẽ Cam. non resiliũt,
sed magis in excõmunicatione insurdescunt.
92 Nota in proposito Tridẽtini loco nõ expri-
mi qualis, & quãta sit suspicio hæresis in per-
sistẽte sic in excõmunicatione. Peña d. Com-
men. 72. affirmat esse tantum leuem, & quidẽ
regulariter ita credo eueniet. Tametsi si insur
descẽtia valdè augeatur, fortè augebitur etiã
suspicio, & fiet vehemẽs, maximè attẽta qua-
litate personę, aut nationis, apud quàm viget
peculiaris Error cõtra potestatẽ clauium, vel
93 censurarum. Imo posse magis augeri, &
fieri violentam, ac violentissimam, egregie
ostendit Farin. de hęresi q. 192. §. 2. num. 23.
colligens ex Glosa in cap. excommunicantes,
il primo, §. qui autem extra, de hęreticis,
nempe si talis suspectus de hæresi ob insurde-
scentiam in excommunicatione per annum,
citatus ad respondendum de fide non com-
pareat, aut non se purget, & iterum ex hac
causa hęresis excommunicetur, ac declare-
tur, si per annum in contumacia post declara-
tionem persistat, redditur violẽtissimè suspe-
ctus de hęresi, & vt hęreticus damnari debet.
94 Restat breuiter agendum de contemnenti-
bus censuras; vix quidquam, quod inuenire
potuerim ab auctoribus traditum, fortè quod
iudicent non esse casum sanctæ Inquisitionis
si quis verbis, aut aliter censuras contemnat,
eo quod non insurgat suspicio erroris in mẽ-
te contemnentis ex huiusmodi contemptu.
Et quidem in practica manu scripta prim
habetur cũ sola correptione, & pœnitenti
salutaribus, absque vlla abiuratione, esse ex
pediendum contemptorem excõmunicatio-
nis; quando apparet non ob malã credulitate
mentis; sed ob iram, & passionem animi fuis-
se ab eo prolata verba etiam maximi cõtem-
ptus, vt *bò in culo la scommunica* (sic ab ipsa
practica ponitur exemplum) eo quod iudicet
se inualidè, & iniustè excommunicari ab Or-
dinario propter interesse, quod nec ei, nec a
teri debet; vnde si diceret, Episcopus nõ p
tuit me excommunicare in tali casu, interro-
gatus circa intentionem, nullum dubium re-
spondebit se non negare potestatem in ex-
communicandi, sed exercitium potestatis
pro illo casu.
95 Deinde deciditur in eadem practica, si quis
diceret absolutè, Episcopi non habent pote-
statem excommunicandi, seu non possunt fer-
re censuras, hunc sine dubio esse suspectum de
mala credulitate circa potestatem clauium;
propterea interrogandum de intentione, ma-
ximè si protulit verba derisoria contra eas,
expediendum cum abiuratione, & penitentiis
salutaribus, attenta qualitate casus, & perso-
96 næ; ita Practica vulgaris, Quæ non exprimit
de gradu abiurationis: crederem posse ali-
quando iniungi non solum de leui, sed etiam
de vehementi, præcedente aliquali tortura cũ
pœna arbitraria; maxime si contemptor sit
eius nationis, seu loci, vbi extat error contra
clauium potestatem.

*Quid de iurisdictione Inquisitorum circa Poly-
gamos? & qualiter, ac quando Polygamia
contrahatur vt illi subsit?*

REGVLA CXLIX.

97 PRocedunt Inquisitores priuatiuè quoad
Iudices laicos contra delictũ duplicis
matrimonij; cũ sit suspectus de hęresi, qui vi-
uẽtę adhuc primo coniuge, cũ alio contrahit.
98 Hoc autẽ verũ est, etiã quãdo sic delinquens
neutrũ matrimoniũ cõsumauit: itẽ vbi secun-
dum

dùm ex ignorantia inualidè iniuit ob impedimentum occultum dirimens: ac similiter quando ipsum per sola sponsalia de futuro ini
100 re tentauit. Huiusmodi verò Polygamus, attento stylo diuerso aliquorum Tribanaliũ S. Inquisitionis expediendus cum abiuratione de vehementi, aut de leui, aut nulla; & cũ pœna extraordinaria, vt fustigationis, triremium, exilij, aut mitiori, si Inquisitoribus se
101 statim detulit. Imò prorsus liberandus, si habita sufficienti notitia de morte prioris] cõiugis, cum alio contraxisse ostendat.

---

102 OMissis varijs modis, quibus in iure bigamus, & bigamia, seù poligamus, & paligamia accipitur, circa quod videndus Sãchez lib. 7. de matrim. disp. 83. pro præsenti instituto bigamus dicitur, qui viuente primo coniuge cum alio matrimonium contrahit, contingere potest dupliciter, Primo si vterq; coniux sit matrimonio ligatus. Secundò, si vnus sit coniugatus, alter verò nequaquã ita ex D. Thoma 2. 2. q. 108. art. 4. & ex alijs adducit Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 35. n. 1. Quorum
103 n. 8. & cum Farin. de delictis carnis q. 140. p. 1. n. 18. perspicuitatis gratia aduerto id, quod iam ex se cognosci poterat, nempè quæ hic dicuntur de viro habente simul duas vxores, sumenda esse pari ratione de muliere nubente duobus viris, imò maiori ratione; cum pluralitas vxorũ legis naturæ tẽpore, quã scriptę cõcessa, quibus viris fuerit, & nunquam mulieribus pluralitas virorum: illa tamen iam ab initio legis Euangelicæ pro quibuscunq; partibus, seu nationibus mundi reuocata, vt cõstat ex c. gaudemus, extra de diuor. & tradit copiosè. Sanchez lib. 7. de matrimonio tota dis. 80.

104 Quod Inquisitores cognoscant de crimine contrahentium binas nuptias priuatiuè, quoad Iudices Laicos, docẽt præcipuè Albertin. de agnoscen. q. 23. n. 76. Farin. dist. q. 140. par. 1. n. 1. Scaccia de iudic. causar. & c. lib. 1. ca. 12. n. 55. & Sousa vbi supra n. 18. cuius hæc sũt verba, stando, inquit, in iure communi, culpa contrahentium binas nuptias ad vtrumq, iudicem Ecclesiasticum, scilicet, & secularem spectabat; nunc autem ad solos Inquisitores, ita ille, & addit extare declarationem Summi Pontificis ad Inquisitorem generalem Lusita
105 niç. Per quam teste ipso Sousa etiam Tribunal Episcopale excluditur cognoscenda causa duplicis matrimonij; cum ad solos Inquisitores spectare asserat, quod ex dicendis infra cũ
106 Castro Palao magis indicabitur. Et quidem nostrum Tribunal Melitense S. Inquisitionis nullo modo permittit, vt Diœcesanum ad similes causas contrahentiũ binas nuptias manus extendat, vt iam alibi à nobis traditum.
107 Exercẽt autẽ Inquisitores suã Iuiusdictionẽ cõtra quosuis bigamos, vndecumq; oriundos, etiã occultè cũ duabus mulieribus contrahentes, docent omnes citandi contra Simancã tit. 40. n. 4. nõ benè limitãtẽ hoc quod intelligatur solum de bigamo oriundo ex genere Mahometano, aut Barbarico, & ducen-
108 te palã duas vxores. Itẽ exercent eã contra binas nuptias contrahẽtem de pręsenti; quãuis nullã vxorem carnaliter cognouerit; quia ita est suspectus de mala credulitate circa Sacramentum matrimonij, ac si cum vtraq: ip-
109 sum consumasset. Similiter exercent contra bigamum, etiam quando secundũ matrimonium est inualidum, vt quod contraxerit cũ consanguinea, aut religiosa, vel alio impedimento ligata, dummodo primum matrimonium validum sit, aut saltem quod illud cõtrahens validũ fuisse credat, eo tẽpore, quoad secundum conuolauit. Docent vt certum de his omnibus casibus Albertin. dist. q. 23. Henriq. lib. 11. c. 2. nu. 3. Roias singul 98. n. 4. Farin. dict. q. 178. n. 71. Castr. Palaus tract. 4. disp. q. 9. pun. 1. §. 8. & Sousa lib. 1. Aphor. c. 35 num. 3. 4. & 5.

110 Quid de contrahente matrimonium cum prima, & sponsalia de futuro cum secũda Sousa ibidem n. 6. asserit non esse suspectum in fide, nec puniri debere ab Inquisitore; sed ab Ordinario loci citat pro se Albert. eadẽ q. 23. n. 20. & Farin. dict. q. 140. p. 1. n. 27. sed hi duo si attente legantur, vt ipse legi, nullã mentionẽ faciunt de suspicione in fide tantum loquuntur de punitione sic contrahentis: nec expri-
111 munt à quo sit puniendus. Vndè contra Sousam cum praxi illa vulgari manu scripta alias adducta, attenno stylo Sacræ Congregationis S. Offitij de quo in ipsa absolutè tenendum est posse Inquisitores procedere contra exoratũ, tanquã suspectum de hæresi, si tentet contrahere secundum matrimonium ineundo sponsalia de futuro. Probatur à simili; quia in alijs materiis S. Offitii contra delictum attentatũ, licet non completum proceditur, vt contra Christianum Neofitum ex genere Maurorum tentantem fugam ad partes Africæ, vt ibi iterum sectam Mahometicam amplectatur, vt sæpius nostrum Tribunal Melitensem S. Inquisitionis processit; ergò idem erit in vxorato tentãte secundum matrimonium contractis,
112 iam sponsalibus. Admitto tamen vt verum id, quod Sousa ibidem n. 7. addit nimirum de fide non esse suspectum contrahentẽ sola sponsalia cũ duabus, quãuis eas carnaliter cognoscat; cũ nõ contrahat sic matrimoniũ, & cõsequẽter nõesse sub iurisdictione Inquisitorum.
113 Verùm non leuis extat controuersia inter Doctores qualiter cõtrahẽs binas nuptias sit suspectus de hæresi, & ab Inquisitoribus expediẽdus? Genuen. vbi sup. c. 18. n. 11. & alij volũt esse de fide vehementer suspectum. Simanch. vero tit. 40. n. 6. & alii leuiter tantum in fide
114 suspectum faciunt. Atq. hinc affirmat Anton. Dian. par. 4. tract. 7. resol. 4. prouenisse forsan circa hoc differentiam styli in variis locis. Nam in supremo Concilio Sanctæ Inquisitionis Hispaniæ, & in Tribunalibus ei subiectis huiusmodi bigamis absq. tortura tantum in-
115 iungitur abiuratio de leui (excipe cũ Moura de Ensal. sect. 3. cap. 3. nu. 9. vbi reus esset ex

loco infecto hæresi Caluiniana, aut Luthera-
na, qui post torturam, abiurare deberet de ve-
hementi) & pœna fustigationis, ac triremium
per quinquennium, vt tradunt Diana citatus
& Sousa lib. 1. Aphoris. cap. 35. n. 20. pro nobi-
libus personis Castrus Palaus vbi supra punc.
16. §. 8. assignat pœnam exilij, & pecuniarum
119 Addens esse minuendam pœnam respectu
illius bigami, qui licet præuentus statim se
Inquisitoribus detulit, hincq; dùm causa eius
tractatur non esse recludendū in carceribus
secretis; sed in aliqua particulari domo. De
120 dicto stylo abiurandi solum de leui attestā-
tur etiam Suarez de fide disp. 24. sec. 2. nu. 4. &
Piasenius in praxi par. 2. cap. 4. art. 6. n. 9. ob eā
rationem, quia vt plurimum præsumitur quis
contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cu-
piditate lucrandæ dotis. atq; hæc benè pro tri
bunalibus S. Inquisitionis Hispaniarum.
121 Nihilominus melius iuxta stylum Sacræ
Congregationis Vrbis, & reliquorum Tribu-
nalium Sancti Officij, quæ ei subsunt, contra-
hens binas nuptias, quia est vehementer su-
spectus de mala credulitate circa matrimonij
Sacramētum torquetur pro intētione, hacq;
negata iniungitur abiuratio de vehementi, &
pœna triremium per quinque, vel septem an-
nos, & si sit mulier ad fustigationem, & exiliū
damnatur. Ita Aloysius Bariola in Aphor. litt.
V. verb. vxor. §. 2. Genuen. citatus, Pēna 2. par.
Direct. commen. 81. & præter alios Praxis illa
122 vulgaris, num. 5. In qua peculiariter agitur
de reo, qui viuente prima contraxit sola spon
salia cum secunda, quod præmissa tortura, si
ex ea nihil emerserit, debeat abiurare de leui
cum pœna carceris arbitrio, aut exilij ad lo-
cum, vbi habitat prima vxor. Quod si per spon
123 salia similiter tentet iterum secudum matri
monium, repetenda sit abiuratio de leui, &
infligenda pœna triremium, ita in Praxi illa;
& intelligitur attenta qualitate personæ; quæ
si sit mulier loco triremiū poterit fustigari &c.
124 Sed quid de suadente, seu dante consilium
alicui, vt binas contrahat nuptias? Hoc deci-
sum reperitur apud solū, quod legerim Ema-
nuel Mouram de Ensaim. sec. 3. cap. 6. n. 11. vbi
ait se vidisse in praxi, eadem pœna damnatā
matrem consulentem filiam, vt secundo nu-
beret, ac ipsam filiam, quia non minor con-
tra matrem, ita concurrentem suspitio non
benè sentiendi de matrimonio insurgebat,
quàm contra filiam, ita ille. Quam decisionē
omnino approbat Diana dict. resol. 4. vers. No-
tandum est &c. atq; ego similiter approbo
125 Docet autem benè Castrus Palaus dict. §.
8. non pœna triremium, nec fustigationis: sed
exilij, aut pecuniaria eum esse afficiendum,
qui aliqua apparenti ratione ductus de mor-
te prioris coniugis, probat secundum matri-
monium contraxisse. Imo ipsum ab Inquisito
re esse prorsus liberandum, si plenè ostendat,
aut primum matrimonium nullum fuisse, aut
accepto certo nuncio de morte prioris coniu
gis iuxta cap in præsentia de sponsalibus ad
127 secunda vota conuolasse. Nihilominus rectè
addit idem Castrus ex Farin. de hæresi, q. 178.
n. 72. illū esse puniendū nō ab Inquisitore, sed
ab Episcopo per textū in ca. cū in Apostolica,
de sponsalibus, eo quòd absq; declaratione Ec
clesiæ de nullit. prioris matrimonij ausus fue
rit secundū contrahere, quod alij etiā tradūt.
128 E contra verò, vt ad dictam abiurationē, &
pęnas possit Inquisitor bigamum condēnare,
debet constare de corpore delicti, & non suffi-
cit propria ipsius rei confessio; sed probanda
est à Fisco suprauiuētia prioris vxoris tempo-
re, quo secundam duxit, probanda item va-
129 liditas primi matrimonij; Atq; hæc proba-
tio si haberi nequit ex libro authentico Paro-
chi, eo quod fuerit deperditus, formanda sal-
tem est per testes, qui certò sciant pręstitū ab
eis consensum matrimonij corā ipso Parocho
per verba de pręsenti, vel viderint cohabitare
& se gerere, vt virū, & vxorē. Ita cū Mascardo
concl. 58. n. 4. Sousa lib. 1. Aphoris. c. 35. n. 22. &
in Praxi vulgari m. s. cap. 6.
130 Tandem aduertit idem Castrus Palaus n.
4. per sequentia verba. Ad huiusmodi, inquit,
crimen reduci potest, si Religiosus, siue laicus
sit, siue clericus, ducat vxorem: punitur enim
ab Inquisitoribus eadē pœna, qua binas nup-
tias contrahens, & grauiori, ob suspitionē gra-
uiorem lutheranæ hæresis: ita ille, & egregie
131 quidem. Sed miror reliquisse de seculari sa-
cerdote, seu ordinato in sacris ducente vxo-
cum eadem sit in hoc casu præsumptio hære-
sis lutheranæ, & pari modo iste subsit Iurisdic-
tioni Inquisitorū, vt iā de vtrisq; à nobis tra-
ctatum supra cap. 13. Regula 109. Vnde esse
132 actum agere, si vt inaduertenter, in proe-
mio huius capitis promisimus, hac de re pe-
culiaris nunc Regula à nobis proponeretur.

---

*Quinam alij casus non expressi in edicto ad San-
ctū Officiū pertinent? & qualiter expediēdi?*

REGVLA CL.

133 COgnoscūt DD. Inquisitores de crimine
comedendi carnes diebus prohibitis, &
eo maior erit præsumptio erroris in comedē-
te, si hic sit oriundus ex regione, vbi secta
lutherana, vel caluinistica viget. Item alicubi
134 de sodomitis. De trāsferētib. similiter arma,
135 equos &c. in terris infideliū. Itē de instituē-
tibus nouas Religiones sine facultate, & ap-
probatione Sedis Apostolicæ. Procedunt etiā
136 contra Italos habitātes in terris hæretico-
rum non seruatis conditionibus à Clemente
137 VIII præscriptis. Itē contra sumētes, vel dā-
tes in cōmunione maiores, aut plures hostias
138 seù particulas: Itē cōtra cōcionatores dicē-
tes in Purgatorio nō detineri animas vltra de-
139 cē, aut viginti annos. Cōtra qualificātes de-
seu notā erroris doctrinæ de Anxilijs tribuē-
tes, aut aliquin imprimentes circa hāc mate-
riā absq; approbatione Sac. Congreg. Vrbis,
& sic de alijs casibus, in quibus est aliqua hæ-
140 resis præsumptio. Qua attenta, & qualitate
personarum, ac circūstātiarum, singuli expe-
diendi cū abiuratione, vel sine ea, & cum pœ-
na arbitraria, aut cum sola correptione.

Pri-

141 PRimum de comestione carnium attin-
git benè, & decidit Peña 2. par. Direct.
comen. 46. super quæst. 55. vbi discutiens il-
lud dubium, quando nam vehemens suspi-
tio multæ credulitatis interueniat? post re-
sponsionem generalem, exemplificat in ve-
scente carnibus tempore vetito per hæc ver-
142 ba. Vehemens, inquit, suspitio sumitur ex
signis exterioribus operum, aut verborum,
ex quibus capitur argumentum concludens
frequenter, & vt in pluribus, quòd qui talia
dicit, vel facit, est hereticus, vt si quis diebus
prohibitis absq; necessitate, & superioris fa-
cultate carnibus vesceretur. Peñam sequun-
tur Mar. Antonius Genuens. in Praxi Archie-
piscopali, cap. 18. n. 11. Sanctarellus tract. de
hæresi cap. 14. dub. 3. num. 5. Lessius Zechius in
143 sum. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. n. 5. Qui duo
vltimi idem prorsus affirmāt, & quidem val-
dè probabiliter de non sumentibus sacramen
ta Eucharistiæ, & pœnitentiæ singulis annis,
quod inde insurgat præsumptio heresis cōtra
ipsos saltem leuis. Quamuis enim hęc Sacra-
mentorum omissio, sicut, & illa carnium co-
mestio sine errore mentis esse possint; nihil ta-
men vetat, quia procedant Inquisitores con-
tra sic omittentes, & comedentes, iniūcta eis
abiuratione, & pœna arbitraria, perpensis cir-
cumstātijs facti, loci temporis, & personarum
maximè si istæ sint oriundæ ex regionibus,
vbi errores contra veritatem Sacramentorū
Eucharistię, & confessionis, & contra prohibi-
tionem comedēdi carnes, & oua, atque lacti-
cinia grassantur. Vide Antonium Diana 4. pár.
tract. 8. resol. 38. benè notantem esse in praxi,
vt Episcopi procedant contra omittentes illa
Sacramenta recipere.
144 De crimine nefando non vniuersaliter; sed
in aliquibus Tribunalibus Hispaniæ cogno-
scunt Inquisitores fidei, vt in illis Regni Ara-
goniæ, Valentiæ, & Barcinonis ex vi Bullæ Cle
men. VII. cuius tenorē affert Ludouicus Pa-
ramus lib. 2. de orig. tract. 2. cap. 8. incip. si vlla
de pluribus, eius etiam meminerunt Castrus
Palaus tom. 1. tract 4. disp. 8. pun. 12. nu. 11. &
Salced. in addit. ad pract. crim. Bernardi Diaz
145 cap. 18. In illis item Lusitaniæ, tum ex pri-
uilegio Regis, tum ex constit. Pij IV. & Greg.
XIII. vt testatur Emanuel Moura, de incant.
opusc. 1. sect. 3. c. 1. n. 16. 17. 18 & 19. vbi sub finē
exprimit motiuam, quo adducti Reges Seba-
stianus, & Henricus à dictis Romanis Pontifi-
cibus obtinuerunt, vt contra hoc horrendum
delictum Tribunalia S. Inquisitionis procede-
rent per sequentia verba. Fuit ergo, inquit,
Sebastiani, & Henrici mens primo, vt quod cō
tra Ecclesiasticos delinquentes sæcularis po-
testas nō poteit, posset S. Officij Suprema. De-
inde vt quod contra laicos circa huius mali
omnimodam eradicationē per sęculares po-
testates exequi non volebant, hoc sacri Tri-
bunalis diligentiæ, sigilli, integritatisq; auxi-
146 lio adiuti consequerentur; ita ille. Qui sta-
tim adiungit n. 20. Bullam Pij V. per quam
disponitur, vt Clerici tàm sæculares, quàm re
gulares delictum Sodomiæ exercentes à Iu-
dice Ecclesiastico degradati, potestati secu-
lari statim tradantur irremissibiliter com-
burendi?
Verùm idem Moura postquam toto cap. 3
eiusdem sect. 3. copiosè ostendit, quid sit sa-
pere hæresim manifestè in factis, proponens
circa hoc varia exempla ex authoribus, vt ex
Simanch. Cathol instit. tit. 50. n. 30. vbi opti-
mè ex Patribus, & ex l. Hispaniæ idem indi-
cat, exemplificatq; in eo, qui cum fœminis
consanguineis, affinibus, monialibus, cōma-
tribus, alijsque id genus facile commiscetur,
& in eo, qui iuramenta scelerata edit, atque
ex Henriquez lib. 14. de excommunicatione,
cap. 24. n. 2. in Glos. litt. P. vbi in communi af-
firmat omne delictum valde enorme, per se
loquendo in qualibet materia reddere delin-
quentem suspectum de heresi.
147 Nunc in dictis Tribunalibus S. Inquisitio-
nis Lusitanæ reis peccati nefandi abiuratio
nequaquam iniungitur, vt ex Cunha, q. 2. n.
19. obseruat adductus Moura dict. cap. 3. n. 22.
sed non omnium, inquit ipse, quæ à maiori-
bus fiunt, ratio facilè reddi potest: eam red-
dunt aliqui, quia si igni traduntur etiam cō-
fessi, & pœnitentes, frustra ab eis requiritur
148 abiuratio, ita ille; Sed hæc ratio non valet
quando delictum est attentatum, & non con-
sumatum; quia tunc ex mente Castri Palai ci
tati, & aliorum sodomita flagellis cædi, & ad
triremes mitti debet; quidquid in contrariū
nimis rigidè dicat Ioseph Sesse in decis. Regni
Aragon. decis. 475. n. 5. tom. 3. quod pro vno tā
tum actu attentato, cum iam posuit membrū
intus anum, & extra semen effudit, sit sodo-
mita puniendus ordinaria pœna combustio-
149 nis. Admittenda tamen ampliatio Anto-
nij Sousæ lib. 1. Aphor. cap. 59. n. 8. esse scilicet
ipsum Curiæ seculari relaxandum ad combu-
stionem, si dicto modo repetitis actibus cri-
men nefandum tentet; quia inquit, quod de-
ficit ad complementum actus sodomitici sup
pletur ex repetitione actuum in fraudem le-
gis, vide plura apud hunc auctorem.
150 Contra transferentes arma, equos &c. ad
hostes nostræ Religionis, siue infideles non
baptizatos, siue hereticos procedunt Tribu-
nalia S. Inquisitionis Hispaniarum ob suspi-
tionem hæresis, vt ait Castrus Palaus vbi su-
pra, pun. 16. §. 10. Videntur enim, inquit sic
delinquentes fautores hæreticorum esse. Ex-
151 pediri tamen solent teste eodem Castro; cū
sola pœna extraordinaria, vel fustigatio, vel
exilij, aut pecuniaria iuxta qualitatem perso-
næ, absq; abiuratione, eo quòd hæc actio trās-
ferendi arma, cibaria prohibita &c. ad partes
Infidelium lucrandi, & negotiandi causa cō-
152 muniter exerceatur. Hinc fortè Sacra Con-
gregatio Vrbis Sancti Officij, & quicunq; In-
quisitores ab ea dependentes contra talem
actionem exercentes non inquirunt. Imo
prohibitum eis, saltem nostro Inquisitori Me-
litensi inquirere, vt patet ex litteris iussu
eiusdem Sacrę Congregationis huc trasmis-
sis, 31. Iulij, anno 1609. registratis in

Archiuio huius Tribunalis contra hęreticam
159 prauitatē, Vbi ipsi Inquisitori iniungitur,
si quid sciuerit de dicta translatione armorū,
cibariorum, &c. ex hac Insula ad terras infi-
delium, moneat prudenter Eminentissimum
Magnum Magistrum, vt hic prouideat, prout
expediri iudicauerunt.
160 Nota tamen benè Diana par.4.tract.7.re-
sol.19. ex circumstantijs delicti, & personarū
qualitate esse diligenter perpendendum, an
animo adiuuandi infideles, & hęreticos in
bello contra Christianos arma, equos bellica
tormenta, &c.eis transmiserint, & in hoc ca-
su secundum gradum suspicionis de mala
credulitate, taliter delinquentes possunt tor-
queri, & publica abiuratio, ac aliæ pęnæ præ-
ter dictas eis infligi ab Inquisitoribus, apud
quos receptus vsus procedendi contra ipsos.
161 Quoad casum instituentium nouas Reli-
giones absq; facultate, & approbatione Sedis
Apostolicæ, quod Inquisitores fidei possint in
ipsos suam iurisdictionem exercere, patet ma-
nifestè ex decreto in Sacra Congregatione
Vrbis contra hęreticam prauitatem coram
Paulo IV. edito die 16. Iulij 1556. quod refert
Diana in fine 4. par pag mihi 495. cuius teno-
rē opportunum indico hic ad verbū appone-
162 re, estq; huiusmodi. Prælibatus S.D.N. rati-
ficauit capturam Ioannis Francisci Raymūdi
Mutinen. Congreg. S. Pauli, & Barnabæ, ciuis
Mediolani, & commisit Reuerendissimis DD.
Cardinalibus, Inquisitoribus generalibus, siue
R.D. Commissario facultatem procedendi, seu
procedi faciendi in futurum contra quascūq;
personas, volentes instituere, seu instituentes
nouam Religionē cuiuscumq; status, gradus,
& cōditionis existant, & de cōtentis in titulo,
seu titulis de Religiosis domibus, & de con-
stituētibus nouam Religionem, Monasteria,
vel alia quęcumq; loca pia, quod possint dicti
Reuerendissimi Cardinales, seu dictus Reue-
rendissimus Commissarius ea reuidere, & cor-
rigere, ac omnia alia, & singula in præmissis
facere, quæ eis videbuntur iuri consona. En
Decretum illud ad verbum.
163 Circa quod hoc tantum aduertendum su-
spicionem erroris, ob quem Inquisitores cō-
tra institutorē alicuius Religionis procedere
possint, inde insurgere, quod præsumatur ma-
lè sentire de potestate Sedis Apostolicæ in
prohibendo fundationem alicuius Religionis
sine facultate eius, & non esse iustam, seu legi-
164 timam talem prohibitionem. Item præsu-
matur intendere, vt in ea Religione teneatur,
& seruetur aliquid, quod sit dissonum, seu re-
165 pugnans doctrinæ Catholicæ. Aduerte etiā
hic obiter Cōmissarius Sacrę Congregationis,
quam honorificè ab ipsa tractari soleat titulo
Reuerēdiss. in huiusmodi decretis ei tributo.
166 Sequitur agendum de Italis habitantibus
extra Italiā in locis, vbi liber, & publicus cul-
tus, siue vsus Catholicæ Religionis nō existat:
talis enim habitatio, nisi sub certis cōditioni-
bus, prorsus eis prohibetur per constitutionē
incip Cū sicut, 6. Iulij 1596. à Clem. VIII. edi-
tam, & violatores prohibitionis, vti de hęresi
suspecti iurisdictioni Inquisitori subijciuntur
puniēdi. Conditiones autē proprijs verbis ip-
sius Constitut. per SS. diuisæ, sunt huiusmodi.
167 §.1. Quare nos, &c. Statuimus, & ordi-
namus, vt de cætero nullus Italus, siue mer-
cator, &c. audeat habitare, vel domicilia te-
nere in Ciuitate, Oppido, seu loco, vbi aliqua
Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacer-
dote Catholico non existat, in qua liberè, &
sine omni periculo palā, publicè celebrari, &
audiri possint sacrosanctæ Missæ, & alia diuina
officia, & cōciones, ac sacramēta ecclesiastica
ministrari, mortuorū corpora sepeliri, et cęte-
ra fieri iuxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ.
168 §.2. Vtq; ijdem Itali abstineant à matri-
monijs cum hęreticis mulieribus, et ab hęre-
ticorum sepulturis, filios suos de sacro fonte
leuari per hęreticos nō permittant, ne ipsi vi-
cissim hereticorum filios, nisi per Catholicum
Sacerdotem catholico more baptizentur, le-
uare pręsumant; Medicorum quoq; hęreticorū
opera, necessitate cessante, & vbi adsit copia
catholici Medici idonei, non vtantur.
169 §.3. Cum verò Itali prædicti ex Italia re-
cedunt ad morandum, seu inhabitandum in
partibus prædictis, id significent suis Ordina-
rijs, vel Inquisitoribus locorum, à quibus se-
riò admoneantur, vt in eis perpetuò catholi-
cam, & orthodoxā fidem constanter retinen-
tes, & profitentes, piam, & catholicam vitam
ducant, Dominicos, & festos dies, abstinen-
tias, & sacra ieiunia ab Ecclesia præcepta re-
ligiose colant; atq; omnem hęresim, & errorē
hęreticos, schismaticos, & ab orthodoxa fide
170 aberrantes fugiant, & euitent, Ac vt saltē
singulis annis de eorum sacramentali pecca-
torum confessione, & sanctæ Eucharistiæ per-
ceptione per eos facta, fidem, seu instrumen-
tum ipsis Ordinarijs, vel Inquisitoribus in
Italiam transmittant; ad quod & nos dictos
Italos tenore præsentium teneri, & obligatos
esse decernimus, & mandamus.
171 §.4. Quod si quis propriæ salutis imme-
mor cōtra præmissa facere præsumpserit, pos-
sit aduersus eum per locorum ordinarios, &
Inquisitores hęreticæ prauitatis, vti de hęresi
suspectum procedi. Hactenus ex Constit. illa,
quā affert Laertius Cherubinus in Bull. to. 3.
172 pag. 57. Nec dubium quin dictis conditio-
nibus minime seruatis, tales Itali reddantur
suspecti de illis erroribus, quos tenent hęre-
tici, in quorū Oppidis contra Ecclesię prohi-
173 bitionem habitant. Hæc omnia cōfirmauit
Greg. XV. alia Bulla incip. Romani Pontificis,
addens prohibendo similiter, ne vllus hęreti-
cus in locis Italiæ, & Insularum adiacentium
domicilium contrahere, seu domum apertam
habere propriam, vel conductam, aut gratis
concessam, seu habitare, aut morari possit, &c.
174 Alius casus de concionatoribus pręedican-
tibus animas nō detineri in Purgatorio vltra
10. aut 20. annos; quod hi subsint iurisdictio-
ni Inquisitorū, deciditur à Naldo in Sum. ver.
animæ n. 2. vbi opinionem sic tenentiū vocat
periculosam, & erroneā, & ab Henrico Hen-
riquez lib. 7. cap. 16. n. 4. vbi sic ait. Quidā præ-
dicant

dicant nullam animam detineri in Purgatorio
vltra 10. aut 20. annos, cum pęnæ sint multo
grauiores; quam huius vitæ, & semper intensæ
75 circa animam iustam. At hi non sine temeri-
tate quadam ex leuibus rationibus loquuntur
contra morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis, &
pro certa anima celebrat Anniuersaria, Missas,
& Officia vltra viginti annos; nec rigor Dei est
iniustus, si ab vna anima, quę propriè non satis-
fecit; sed satis patitur, exigat longas pœnas, cũ
76 pro vno mortali exigit æternas. Quare illam
sententiam quidam insignis Prædicator Mino-
rita à sanctæ Inquisitionis senatu compulsus est
se retractare, eo quod retrahat fideles ab operi-
bus satisfactorijs, & Missis offerendis pro suis
77 defunctis. Hactenus Henriquez notans in
Glos. litt. I. cum Surio, quod quidã Innocentius
Papa est in Purgatorio detinendus vsq; ad diem
iudicij. Sed quidquid sit de hoc vltimo; meritò
Inquisitores Concionatorem illum coegerunt
retractare talem doctrinam, quam reijcit Card.
Bellarminus de Purgat. lib. 2. cap. 9. & hæc sint
satis circa casum istum.

178 Præterea de sumentibus in communione
maiores, aut plures hostias, seu particulas (idẽ
dicito de dantibus, quia par est ratio) dubitat
Diana par. 4. trac. 8. resol. 96. An Inquisitores cõ-
tra ipsos inquirere possint? & resoluit benè, ac
breuiter posse cũ Fernandez de Heredia in disp.
Theol. de Sacrament. tit. de Eucharistia disp. 2.
par. 9. Ioan. de la Cruz in direct. conscien. par. 2.
de Sacram. Eucharist. q. 4. concl. 2. Attingit etiã
hanc Inquisitorum potestatem noster doctissi-
mus Suarez tom. 3. in 3. par. D. Thomæ disp. 63.
sect. 7. vbi opinionem illam Gabrielis lect. 85. in
Can. Maioris in 4. dist. q. q. 1. arg. 5. & aliorum,
nimirum quamdiu Christus præsens est intra
corpus eius, qui dignè communicauit, gratiam
continuè influere, tanquam contrariam Diui
Thomæ q. 80. art. 8. & omninò improbabilem
grauiter reprehendi ait à recentioribus Theo-
logis, vt à Soto dist. 11. q. 2. artic. 1. à Ledesma
q. 20. art. 1. & reijci ob multiplicem rationem,
179 præcipuè ob hanc, quia, inquit Suarez, se-
quitur per se vtilius esse, cæteris paribus, com-
municare in maiori specierum quantitate, vt
plus durent in stomacho, vt ita Christus maio-
rem gratiam conferat. & hinc sequuntur super-
stitiones illæ, Inquisitorum iudicio meritò pu-
nitæ in his Sacerdotibus, qui suis deuotis plu-
res formas tribuunt: hæc Suarez, quibus con-
180 firmatur resolutio tradita. Nihilominus idem
Suarez valdè probabiliter addit, dum manent
species sacræ intra corpus dignè communican-
tis, si huius dispositio augeatur effectum gratiæ
per Sacramentum acceptæ ex opere operato
etiam augeri.

181 Vltimus casus in Regula peculiariter ex-
pressus à nullo, quod sciam, ex Doctoribus
tractatur, sed tantum deciditur per Decretum
Sacræ Congregationis contra hæreticam pra-
uitatem coram Papa Paulo Quinto habitæ, vt
circa materiam de auxilijs nullus audeat quid-
quam innouare, nec qualificationem erroris,
aut similem alterutri parti tribuere, quousque
Sedis Apostolicą circa id decernat, sub quo-
cumque prætextu, etiam commentandi Di-
182 uum Thomam; Item ne quis circa dictam
materiam de auxilijs aliquid typis excudat si-
ne licentia, & approbatione eiusdem Sacræ
Congregationis, ibique tribuitur facultas In-
quisitoribus procedendi contra istarum prohi-
bitionum violatores. Constant hæc omnia ex
litteris 14. Septembris 1607. 1. Nouemb. 1623.
& 2. Decembris 1611. iussu ipsius Congrega-
tionis huc transmissis, quas in Archiuio huius
Tribunalis Melitensis Sanctæ Inquisitionis re-
gistratas vidi, & attentè legi.

183 Per clausulam illam generalem, Regulæ
adiunctam, Et sic de alijs casibus, in quibus
est aliqua hęresis præsumptio, inducimur ad-
huc ad exprimendos breuissimè nonnullos.
Possunt itaque Inquisitores punire eos, qui af-
firmant, confessos Religiosis ab Episcopo ap-
probatis iterum eadem peccata confiteri Pa-
rocho, teneri, ita olim affirmantem pertina-
cius quemdam Ioannem de Poliaco, vocatum
Romam, Papa Ioannes XXII. anno Domini
1322. coegit palinodiam recantare, & suum
errorem agnoscere, ac deponere, vt patet ex
quadam eius extrauag. incipit, Vas electionis.

184 Hinc postea Sixtus Quartus iniunxit Inqui-
sitoribus, contra sic delinquentes procedere,
vt cum Ioan. de la Cruz lib. 2. de Statu Reli-
gionis cap. 6. dub. 1. concl. 3. aduertit Diana
vbi supra resol. 102. vide plura apud ipsum.

185 Spectat etiam ad Inquisitores examinare
reuelationes muliercularum, & aliorum, an
sint à Deo, seu illusiones Dęmonis, & contra
personas illusas, si non resipiscant procedere.
Ita Simanc. de Cathol. instit. tit. 21. num. 25.
& 29. quem sequuntur Ricard. de Sancto Vi-
ctore eas subijciens Inquisitorum iudicio, &
Emanuel Moura de inuent. & Ensal, opusc. 2.
186 sect. 2. cap. 3. num. 19. Pro dicto autem exa-
mine faciendo à DD. Inquisitoribus, legendus
est Raphael de la Torre in 2. 2. D. Thomæ to. 2.
q. 95. art. 2. disp 3. in qua copiosè, & erudite
de hac materia agit, & tradit regulas ad co-
gnoscendum, quando reuelationes sunt à Deo,
vel à Dęmone.

187 De vsurarijs ob præsumptionem huius er-
roris contra fidem, quod teneant esse licitas
vsuras, cognoscere possunt Inquisitores Tri-
bunalium Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ,
ac vtriusque Siciliæ (quamquam audio non
esse in vsu maximè apud Siculum Tribunal)
ex vi Constitutionis Leonis Papæ Decimi in-
cipit, Dilecto filio, quam per extensum affert
Ludouicus Paramus lib. 2. de orig. Sanctæ In-
quisitionis tit. 2. cap. 8. & ait eam asseruari Bar-
188 cinoniæ in Archiuio sancti Officij. Imò quos-
uis Inquisitores procedere posse contra quem-
cumque, qui licet verbis asserat peccatum es-
se exercere vsuras, ipse tamen inhumaniter
tractat eos, quibus pecunias mutuauit, & de
hoc sit diffamatus, cum plus censeatur facto,
quam verbis declarare vsuram non esse pecca-
tum, Reportor. Inquis. Lappus, Ioannes de
Imola, Butius, & alij relati à Farin. de hęresi
quæst. 186. num. 43. absolutè docent; quibus
adhæsi in quęstione illa à me nouem ab hinc
annis

annis iussu Illustrissimi D. Inquisitoris Ludoui-
ci Serestorij multis pertractata; An causa liber-
tatis spectet ad Sanctum Officium ? tradita ibi,
& probata efficaciter resolutione affirmatiua,
quam inuenies in fine Operis, ac proinde su-
persedeo hic exprimere.
189 Exprimendus tamen casus circa simonia-
cos, quod hi videantur esse sub iurisdictione
Inquisitorum, sicut & vsurarij, cum par sit ra-
tio de vtrisque, vt attingo in dicta quæst. Fuit
enim quondam hęresis Armenorum, & Henrę-
quianorum spiritualia posse licitè vendi, & emi;
insurget ergo pręsumptio huius hęresis contra
simoniacum, seu quod credat rem spiritualem
non esse impretiabilem, ita Emanuel Moura
190 opusc. citato sec. 3. cap. 3. num. 22. Addit ta-
men ipse Moura in praxi obseruari oppositum,
nimirum quod se non intromittat vllibi sacrum
Tribunal Sanctæ Inquisitionis in cognoscendo
de hoc delicto tantę grauitatis, & immunita-
tis, vt sępe in iure vocetur heresis, & simonia-
cus hęreticus, quod bene ex D. Gregorio obser-
uat Suarez tom. 1. de Relig. lib. 5. cap. 1. à nu. 4.
191 Tandem quoad expeditionem in omnibus
casibus expressis, & alijs similibus, attenta
maiore, vel minore pręsumptione erroris, &
qualitate personarum, perpensisque circum-
stantijs alijs loci, temporis, &c. pręcedente
quandoque tortura pro eruenda intentione, &
hac negata, iniungenda aliquando abiuratio
de vehementi, aut de leui, aliquando nulla; sed
cum pœna arbitraria, aut sine ea, cum sola
correptione, & penitentijs salutaribus expe-
diendi dicti delinquentes, vt Doctores varij ex
citatis tota hac Regula communiter tenent;
sed de expeditione causarum alibi.

---

*Quando in alijs casibus propter formalem er-
rorem contra fidem procedere possint
Inquisitores, & qualiter?*

REGVLA CLI.

192 VNiuersaliter loquendo exercent suam
iurisdictionem DD. Inquisitores in
eos omnes, qui malum aliquod operantur, non
solum ex delectatione, aut vtilitate in obiecto
apprehensa; sed ex errore etiam formali intel-
193 lectus fidei diuinę contrario ad id inducti. Si-
militer in eos, qui asserunt aliquid eidem fidei
oppositus, vt non esse peccatum id, quod re-
194 vera est; aut secus. Hinc dicti Inquisitores
procedunt contra asserentes simplicem forni-
cationem non esse peccatum, & contra recu-
santes iurare, quod obstinatè credant nunquã
esse licitum iuramento se astringere; & de alijs
casibus pari modo ex quibus aliqui attingen-
195 tur. Atque taliter operantes, & asserentes,
vel credentes, vti hęretici in Sancto Officio
damnantur.

---

196 PRo prima parte Regulæ de operantibus
malum ex formali errore mentis notan-
da doctrina illa Alphonsi de Castro lib. 1. de
iusta, &c. cap. 1. vbi sic ad verbum; dupli-
ter, inquit, se habet peccatum ad volunta-
tem, primo eam alliciendo ex vi obiectę de-
ctationis, vel vtilitatis, vt libidinis, auaritiæ,
& similia. Secundo eam vel non alliciendo, nec
retardando; sed quasi indifferenter se haben-
do, vt ferre galerum viridem potius, quam
pallidum; vel eam positiuè retardando, vt ie-
197 iunare, circumcidi, &c. Peccata primi gene-
ris pręsumuntur commissa non ex eo, quod
peccator iudicet ea sibi licere, vel ex alio simi-
le errore; sed ex carnis fragilitate, vehemen-
tiaque obiecti magis, vel minus iuxta obiecti,
198 & peccatoris naturam. Peccata posterioris
generis iustè pręsumuntur commissa ex vi ali-
cuius notitię diuersę ab ordinaria, & erroris
consistentis in mente peccatoris; siquidem non
ex vi vehementiæ obiecti. Nam voluntas eo
ipso, quod non mouetur à se intellectum con-
sulit, per eumque in actionibus indifferenter re-
gulatur; ergo si obiectum non allicit, imo re-
trahit voluntatem, ad intellectum recurrendum
est. Hactenus doctrina Castri, quem adducit,
laudat Emanuel Moura dicto opusc. 1. sec. 3. cap.
3. num. 3. & quidem negari nequit, quod ...
plurimum ita se res habeat iuxta distinctio-
nem à Castro assignatam duplicis generis pec-
catorum.
199 Nihilominus ex decisis in Regula præce-
denti clarè innotescit etiam circa peccata pri-
mi generis, quando vi delectabilitatis, aut vti-
litatis obiecti trahitur, seu allicitur volunt...
ad ea committenda, reperiri posse simul men-
tis errorem contra fidem; Vidimus enim ibi ex
sententijs ipsius Mouræ, & aliorum insurgere
multiplicis hęresis suspicionem contra dantem
operam præpostere libidini, esse item suspectum
de hęresi comedentem carnes diebus prohibi-
tis; & sic de similibus exemplis, in quibus de-
lectabilitas, vel vtilitas obiecti magna existit;
ergo etiam quando ex vehementia obiecti vo-
luntas ad peccatum attrahitur, peccator hęre-
ticus pręsumitur.
200 In peccatis secundi generis res est magis
clara circa præsumptionem erroris, maximè
vbi voluntas retrahitur, seu retardatur ab actu
peccaminoso, vt ab actibus ieiunij, & circum-
cisionis exe. gra, propositis per Castrum, & ...
similibus Iudaismi, & Mahometismi, qui secum
afferunt maximam erroris præsumptionẽ, præ-
cipuè si homo baptizatus huiusmodi actus fa-
ciens, ex Iudęis, aut Mahometanis originem
ducat.
201 Hinc obiter nota quoad actus Iudaismi
oportunè declaratum fuisse per Decretũ Sacræ
Congregationis Vrbis Sancti Officij, quod Lu-
sitani in Italiam venientes si reperiãtur iuda-
zare, condemnentur tanquam apostatæ à fide
catholica, quod ex tenore ipsius clarius consta-
bit, & est huiusmodi, vti affert Diana in fine 4.
partis suarum resol.
202 In Congregatione coram S.D.N. & Reuerẽ-
diss. DD. Cardinalibus, Inquisitoribus generali-
bus S.D.N. Paulus Papa IV. mandauit, statuit,
& ordinauit, quod constito legitimè quoscũq;
Portu-

Portugenses, seu Lusitanos, in Portugallia, seu Lusitania permansisse, & inde discessisse, & in Italiam venisse, vbi reperiatur esse Iudæi, siue iudaizare, condamnentur tanquam apostatę à fide, prout de iure similes apostatæ cōdemnari, & puniri debent: nō obstante, quod fuerint expositi torturę, seu tormentis, quę sustinendo negauerint se fuisse baptizatos, vel christianè vixisse, aut christiana opera egisse, vel sacramēta ecclesiastica percepisse. Cū iam pro liquido, & clare à Sancta Sede cōpertum sit, & habeatur à sexaginta annis, vel circa, quod nullus hębreus toleratus fuerit habitare in Lusitania, seu Portugallia, nisi fuerint baptizati, & vixerint christianè, & ita seruari mandauit, statuit, & ordinauit, &c.

203 Quoad secundam partem Regulæ de asserentibus aliquid fidei christianæ oppositum; aut de negantibus esse peccatum id, quod sine dubio est; vel è contra de affirmātibus esse, vbi clarè non est; tractat eruditè, & copiosè Farin. de hęresi q.178. duplici paragrapho propositis varijs exēplis, quæ breuissimè à nobis
204 discutientur. Illud de recusāte iurare, quod credat id nunquam esse licitum, desumitur ex tex. *in cap. excōmunicamus, atq; §. adijcimus* extra de hęreticis, vbi sic habetur. Si qui verò ex eis iuramenti religionē obstinatione damnabili respuentes iurare fortè noluerint, ex hoc ipso tanquam hęretici reputentur. Atq; ibi Hostien. n.27. & alij expositores relati à Fa-
205 rin. d.q.178. §.3. n.89. bene aduertunt; Nam quod iurare sit semper peccatum, fuit olim hæresis Valdentium damnata per Ioannem XXII. anno 1318. in extrau. incip. Gloriosam,
206 quam affert Penna in fine direct. Quamquam admittenda est limitatio, quā assignat d. Farin. ex Eymerico in 3. par. direct. q.41. & ex Penna ibi, comm. 90. declarans id non procedere, si quis recuset iurare, non quia credit iurare esse peccatū mortale, sed quia ex quadam honestate dubitat iurare prę sertim absq; suorum superiorum licentia, sed tandē iurat.
207 Exemplum aliud de asserentibus fornicationem non esse peccatum, adducit Arnald. Albert. in rubr. de hęreticis in 6. q.1. n.11. vbi primo proponit doctrinam generalem, nimirum reputare hęreticum quemcumque asserentem non esse peccatum id, quod re vera peccatum est, & contra Dei præcepta, deinde specificat in fornicatione, cuius cum multiplex sit species, & actus ex auctoribus diuersi
208 diuersimodè exemplificant. Repertor. Inquisitorū verb. hęreticus in eo, qui osculum mulieri datū ex causa libidinis non esse pec-
209 catum mortale affirmat; idem Repertor. & Decianus in trac. crimin. lib.5. c.17. vers.116. in dicente incestuosum immunem esse à culpa. Ita Rojas in trac. de hęreticis par.1 nu.7. & 8. ac singul. 98. n.8. Thomas Triuilan. decis. crimin. 35. n.8 & dictus Decianus exemplum
210 in Regula expressum assignant in asserente non esse peccatum simplicem fornicationem, seu coitum soluti, cum soluta, maximè vrgente naturali libidine, quia tunc natura excusat; sed est excusatio friuola, & error contra fidem, qui hodie valdè viget, & viguit olim inter Begardos, & Beguinas Alemanię affirmantes actum carnalem cum muliere non esse peccatum, contra quos insurgit Sanctus Paulus Apostolus, & ait primo Corinth. cap.6. Fugite fornicationem, qui autem fornicatur in corpus suum peccat, & prius cap.5. idem Apostolus: Hoc, inquit, scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, &c. non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei, quibus & alijs locis Scripturæ Sacræ D. Thomas 2. 2. q.154. art.4. & eius sequaces prædictos errores refutant; ergo taliter asserentes, & affirmantes, vti veri hæretici habendi sunt, & expediendi.

211 Quam expeditionem posse fieri ait Didacus Cantera in quæstione crimin. de hæreticis cap.1. num.55. Si tantum flagellentur, & in exilium mittantur, eo quod præsumatur non ex errore intellectus, sed ex alia causa
212 sic eos asserere. Sed benè hoc limitat Farin. dicto § 3. num.83. quod solum habeat locum doctrina Canteræ, quando sic asserentes statim pænitent, & misericordiam petunt; alioquin si pertinaces fuerint, vt hæretici sunt puniendi.

213 Pari modo quicumque hęreticus censetur, & sub iurisdictione Inquisitorum, qui dicit exercere vsuras non esse peccatum. Clemen. 1. §. finali, & ibi Doctores, præcipuè Cardin. Zabar. in 19. quæst. num 10. de vsuris, Syluest. in Summa verb. hęresis, §. primo
214 num.7. Vbi adiungit alium casum de eo, qui diceret vsuram esse peccatum, sed quod facta restitutione, non teneatur vsurarius de ea Sacerdoti confiteri, sed denegantibus con-
215 fessionem sacramentalem alibi: Nunc circa rem præsentem benè aduertit Farin. dicto § 3. num.86. cum eodem Syluest. casum dicentis exercere vsuram non esse peccatum, tunc procedere, quando hoc dicit simpliciter, & in communi; non vero, si dicat pro contractu particulari dubitans, an sit in eo vsura. Nam sic dicens non est reputandus hęreticus; quamuis opinio negatiua, quam tenet sit falsa, vide plura apud ipsum Farin.

216 Hæreticus præterea reputatur, & contra eum vti hęreticum procedere possunt Inquisitores, qui inter concionandum, concitata ab eo turba, contra Clerum affirmauit peccare laicos soluendo decimas Clericis, aut eis confitendo, & dando oblationem; eo quod omnes Clerici sunt mali, & de ecclesijs remouendi. Patet ex Clemen. Cupientes, de pœnis, traduntque vt certum Doctores tam Theologi, quam Iurisperiti, Ioannes Azor instit. moral. tom.1. lib.12. cap.13. q.17. Syluest. in summ. verb. hæresis, §.1. num.7. Repertor. Inquis. verbo hæreticus, & Ancharan. in Clement.1. §. sanè, de vsuris.

217 Est item vt hæreticus habendus, & vt talis per sacrum Tribunal sancti Officij cōdemnandus, quicumq; negans liberum arbitriū; & affirmans prædestinatos à Deo non posse mutare voluntatem, eisque propterea neque nocere mala, neque prodesse bona: similiter credens,

credens, & asserens iustum posse certò scire
se esse prædestinatum, sine Dei speciali reue-
latione: aut gratiam semel per baptismum
acceptam non posse amitti; vel è contra, se-
mel amissam non posse recuperari: aut per
opera nostra bona nullum nos consequi me-
ritum; vel nullum opus bonum esse necessariũ
ad consequendam vitam æternam; aut vota
non debere fieri, & facta non obligare; vel si-
miles proferens errores, qui cum primo de
negatione liberi arbitrij, & de inutilitate eius
conuincti esse solent, circa quos legendi Con-
trouersiarum Scriptores, præcipuè Card. Bel-
larminus to.3.controuers. 1.2. & 3. varijs lib.
Alphonsus de Castro, & Decianus relati à Fa-
rin. dict. q.178. §.2. num.60.

218 Subest etiam, vt verus hereticus iurisdi-
ctioni Inquisitorum, quicumque errores cir-
ca animam nostram proferens: qui varij sunt;
primo si dicat animam simul cum corpore
219 mori. Secundo consequenter non ei futurũ
Paradisum, neq; Infernum; tertio animã esse
sanguinem; quarto ipsam generari ex præexi-
stenti materia, vt notatur in cap. Quod verò,
& c. Moyses, 32.q.2. quinto substantiam animę
rationalis, seu intellectiuę non esse per se for-
mã humani corporis, vt habetur in Clemen. 1.
§. porro de Summa Trinitate; sexto animam
traduci de corpore in corpus, qui error de
transmigratione animarum olim viguit inter
Pitagoreos, & nunc adhuc viget in Gentilita-
te, maximè in Iaponia; septimo esse animam
aut Dei substantiam, aut ex Dei substantia;
octauo ipsam animam non à Deo immediatè
creari, sed vel ab Angelis, & ex igne, & spiri-
tu; nono Animas impiorum post mortem
vel in Demones, vel in alia animalia suis me-
ritis congrua transire; decimo animam si-
mul cum corpore interire, sed suscitandam
vna cum eo in die resurrectionis; vndecimo,
animam ante creatum corpus peccasse, & in
pœnam, in corpus inclusam, velut in carce-
rem fuisse. Ita cum Deciano in tract. crimin.
lib.5. cap.17. vbi latè de his erroribus cum
Alphonso de Castro in tract. de hereticis lib.2.
in verb. anima, & cum alijs Farin. vbi supra
num.59.

220 Loquentes etiam male contra Summum
Pontificem, heretici formales censentur, &
nos vt tales Inquisitores prosequuntur: quæ
locutio diuersimode contingere potest; pri-
mo si dicant Papam non habere potestatem
concedendi indulgentias plenarias ad remis-
sionem pœnæ debitæ in Purgatorio, vel eas
221 nihil prodesse, nisi Papa sit bonus. Secundo
si asserant dispensationes Summi Pontificis
non esse seruandas; tertio si negent Ecclesiæ
primatum; quarto si affirment non esse obe-
diendum Papæ, atque ipsum non habere po-
testatem condendi canones, aut iniungendi
præcepta; quinto si testentur Summum Pon-
tificem non esse Dominum temporalium, ne-
que absolutè, neque in ordine ad spiritualia;
sexto si proferant excommunicationes Papæ
222 nihil valere, nec timendas esse. Agunt co-
piose de his Carrer. in tract. de hæreticis, De-
cianus tract. crimin. lib.5. cap.17. ex quibus
desumit Farin. dicto §.2. num.54.

223 Dein reputatur hereticus persequendus
ab Inquisitoribus, qui asserit esse peccatum
imagines Sanctorum venerari, legendus cir-
ca hoc Gregorius de Valen 2.2.q.94. disput.6.
pun 6. vbi multis ostendit nullam esse ido-
lolatriam in cultum sacrarum Imaginum, &
Reliquiarum veneratione; idem testatur Sua-
rez in defensione aduersus Anglicanæ Sectæ
errores lib.2.cap.10.11.& 12 atq; ante eos, &
alios, Simanchas Catholic. instit. tit.33. affir-
mans quoad imagines, quod ipsarum vsus di-
uina, & Apostolica institutione introductus
sit, ex veteris, ac noui Testamenti scripturis,
Apostolicis traditionibus, Sanctorumq; Pa-
trum, & Conciliorum decretis, ac omnium
sæculorum consuetudine, & vsu approbatus,
illustratusq; plurimis, maximis, ac veris mi-
224 raculis. Quare impius est error heretico-
rum dicentium imagines Sanctorum non esse
venerandas: cuius oppositum decernit Con-
cilium Tridentinum sess.25. de inuocatione,
&c. per sequentia verba.

*Imagines Christi, Deiparæ Virginis, &
aliorum Sanctorum in templis præsertim ha-
bendas, & retinendas, eisque debitum hono-
rem, & venerationem impertiendam, non
quod credatur inesse aliqua in eis diuinitas,
vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod
ab eis sit aliquod petendum, vel quod fiducia
in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat
à Gentibus, quæ in Idolis spem suam colloca-
bant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur,
refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant;
ita vt per Imagines, quas osculamur, coram
quibus caput aperimus, & procũbimus, Chri-
stum adoremus, & Sanctos; quorum illæ si-
militudinem gerunt, veneremur. Hæc Triden-
tinum, quibus etiam instruimus in adoratio-*
225 *ne sacris Imaginibus exhibenda. Qualiter
autem ex talium Imaginum violatione, aut
conspurcatione insurgat præsumptio erroris
contra fidem iam alibi in materia blasphemiæ
diximus.*

227 Nota hic obiter die 13. Martij 1625. in
Congregatione sancti Officij coram S.D.N. Vr-
bano Papa VIII. habita, fuisse editum Decre-
tum, quo definitur quoad Imagines nondum
à Sede Apostolica canonizatorum, vel Beati-
ficatorum, cum radijs, splendoribus, & lau-
reolis in nullis locis publicis, aut priuatis ap-
ponendas, &c. & ibi datur facultas Inquisito-
ribus procedendi contra violatores huius de-
creti, quod inuenies apud Dianam sub finem
par.4. lege plura in ipso.

227 Censetur item proprijssime hereticus, qui
Scripturam Sacram sciens, & videns, aliter
interpretatur, & exponit, quam Ecclesia Ca-
tholica interpretatur, & exponit; Ita Glosa in
cap. firmissime, in verbo hereticum, extra de
hereticis, & affert text. ex cap. heresis, 24.q.3.
cuius verba sunt ista. Quicumq; igitur aliter
scripturam intelligit, quam sensus Spiritus
Sancti flagitat, quo scripta est, licet de Eccle-
sia non recesserit, tamen hereticus appellari
potest,

potest, & de carnis operibus est, eligens quæ peiora sunt, hæc ibi. Tradit præter alios benè Simanchas Cathol. instit. 59. num. 12. & 13.

228 Affirmans Scripturæ Sacræ intelligentia, & interpretationem sumendam esse ab Ecclesia Catholica, quæ veritatem prædicat, nec falle- res neque falli potest, desumiturque clarè ex Concil. Trident. sess. 4. ergo qui Scripturam sacram in alium sensum trahit, quam solet Ecclesia Catholica interpretari, meritò vt hęreticus reputatus iurisdictioni Inquisitorum subijcitur.

229 De corrumpentibus diuersimodè Scripturas sacras iam capite præcedenti à nobis dictum. nunc circa easdem superest aduertendum, esse scilicet acriter puniendos ab Inquisitoribus eos, qui dictarum scripturarum verba profanis, & obscęnis immiscent, & applicant, vt cautum expresse à Tridentina Synodo sess. 4. in fine. Vnde ex Vmbert. Locat.

230 refert. Farin. dicto §. 2. n. 52. de quodā Roccho approbatæ Religionis professo, eo quod in turpi, ac scandaloso ludo, quem cum suis cōprofessoribus fecerat, Hymnum *Iam lucis orto sidere, &c.* immiscuisset, nonnullaq; impudica verba, & actus inhonestos addidisset, decisum fuisse, vt fustigatus in Palatio Sancti Officij omnibus actibus legitimis, ac voce actiua, & passiua per decennium priuaretur, & per triennium omni sexta feria ieiunio affligeretur. Vide Simanch. vbi supra nu. 16. & Azorium par. 1. lib. 8. cap. 2. q. 4.

231 Quisuis etiam nouas, & falsas opiniones, nouasq; sectas, & peruersa dogmata gignens, & sequens, malè de fide sentire, & hęreticus formalis reputatur. Textus est expressus in cap. Hęreticus, 25. q. 3. vbi sic, Hęreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriosæ principatusq; sui gratia, falsas, vel nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur. Facit etiam textus in cap. Inter hęresim, eadem causa, & quæst. ibi, Arbitrantur, quod hęresis peruersum dogma, habeat vbi Turrecrem. n. 1. & 2. defendit hanc definitionem nimirū quod hęresis sit percursum dogma, & consequenter, quod hęreticus sit, qui peruersum dogma contra veritatem fidei tenet; similiter alij auctores, quos latè citat, & sequitur Farin. dict. §. 2. num. 50.

232 Præterea censetur hęreticus, & vt talis ab Inquisitoribus persequendus quicumq; aliter sentit, & loquitur de Sacramentis à Christo Domino institutis, & de articulis fidei, quam Romana Ecclesia sentiat, & doceat. Habetur expresse in Constitutione Martini Papæ V. edita anno 1418. incip. Inter cunctas, relata

233 per Pennam in fine director. Et quoad Sacramenta in cap. Ad abolendam, §. Vniuersos, extra de hęreticis, ibi Vniuersos, qui de Sacramento Corporis Christi, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, vel de Baptismate, aut de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi, &c. hęreticos iudicauerint, vinculo

234 perpetui anathematis innodamus. Quoad articulos verò de Diuinitate, Humanitate Christi Domini in cap. cum Christus, extra eodem, maxime in rubro sic Christus fuit verus Deus, & verus homo: sentiens oppositum hęreticus est, & excommunicatus, super quos textus varij expositores idem docent, quibus citatis adhęret Farin. d. §. 2. num. 44.

235 Peculiare dubium excitat idē Farin. n. 49. circa infirmum petentem, & sumentem ex conscientia, & ne scandalum prębeat alijs, Hostiam non consecratam, an iste præsumatur malè sentire de sacramento Eucharistię? et sit ne suspectus de hęresi? Aliqui neganter respondent, vt Oldradus consil. 210. n. 2. vt refert Eymericus par. 2. director. q. 43. n. 8. vers. et idem Oldradus in compilatione, etc. Squillaten. de fide Catholica cap. 8. n. 2. et Menoch. de præsumption. lib. 5. præsumpt. 6. num. 22.

236 Sed hic vltimo inclinat in partem affirmātem, eamq; vt magis fundatam defendit, vti defendunt etiam Arnaldus, Albert. de hæreticis in 6. q. 13. n. 66. asserens, quod sic sumens hostiam non consecratam sit vehementer suspectus de hęresi, nisi constet sumpsisse ob magnam reuerentiam, quam habet erga Sacro-

237 sanctam Eucharistiam. Verum non video quomodo possit hoc constare, cum tunc infirmus constringatur præcepto Diuino sumēdi verum Christi Domini corpus. Vnde Melius Simanchaz cath. instit. tit. 30. n. 19. absolute affirmat talem infirmum de hæresi esse valde suspectum; cum non sit credendum Catholicum hominē decedere vnquam velle, nisi accepto prius illo diuinissimo Viatico; ita refert ex eo, et ex alijs Farin. citatus; sed ipse non indicat in quamnam partē inclinet.

238 Tandem quamuis homicidæ, adulteri, fures, et similes consueti, et notorij delinquentes per actionem occidendi, adulterandi, furandi, et huiusmodi contra veritatem scripturæ agant, et non censeantur hæretici; si tamen affirment licitum esse occidere, adulterari, furari, etc. sine dubio veri hæretici censentur, et contra ipsos possunt Inquisitores procedere. Vtrumq; docent bene Simanchaz loco cit. tit. 31. n. 2. vbi ait, quod non est hæreticus, qui male viuit, sed qui male credit; et addit ex D. Augustino lib. quæstionum cap. 11. ex Matthęo: inter hæreticos, inquit, et malos Catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, isti autem vera credentes

239 non viuant vti credunt; similiter Ioan. Rojas in tract. de hęreticis, par. 1. nu. 3. vbi dicit communiter esse receptum, quod committens facta etiam enormia, non dicatur hæreticus; cum nullum opus exterius quantumuis nefandum absque errore intellectus sit hæresis, ita etiam Penna 2. part. director.

240 ad cap. 1. extra de hæreticis, Addit tamen bene ex talibus nefandis operibus insurgere sæpe hæresis præsumptionem, saltem leuem, vt iam ostensum supra in sodomia, et alijs.

241 Quod si taliter operans asserat esse licitum sic operari, iam constituitur formalis hæreticus, et contra ipsum, vt talem ab Inquisitoribus

ribus est procedendum, vti iam paulo ante
ex communi doctrina à nobis decisum.
242 Peculiariter dubitatur de consueto proferre blasphemias, an sit censendus hęreticus, & vt talis in Sancto Officio tractandus, maximè si monitus non cessat blasphemare? Pro sententia affirmante videntur facere cap. illi qui, §. quia vero, 24. q 3. & cap. qui in Ecclesia, eodem vt indicat, & citat ea Afflict. in const. Regni, de hereticis n. 48. ad tuendam hanc sententiam; quam etiam tuetur Decia-
243 nus tract. crimin. lib. 5. cap. 17. vers. 128. Addens ibi reputari similiter hęreticum eum, qui quadam animi obstinatione benè agere
244 recusat. Verum vt magis fundatam sententiam negantem meritò sustinent præter alios Menoch. de præsumptionibus lib. 5. præsump. 9. n. 29. & Farin. de hęresi q. 178. §. 2. n. 76 asserentes, quod taliter blasphemans, & ex animi obstinatione benè agere recusans, sit tantum de hęresi suspectus ob fundamentum dictum, quod opera externa solum generent suspicionem hęresis, excepto tamen, vbi sic blasphemare consuetus, aut bene operari nolens, ex errore mentis esse licitum blasphemare diceret, aut opera bona ad salutem æternam necessaria negaret; tunc enim esset verè hęreticus ex mente omnium decretorũ.
245 Vltimo loco adiungendum, vt dicatur hęreticus etiam quod quis deuiet à fide in leui articulo. Ita Farin d. §. 2. n. 61. & probat ex l. 2. C. de hęreticis, vbi dicitur. Hęreticorũ autem vocabulo continentur, & latis super eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religio-
246 nis, & tramite detecti fuerint deuiare. Particulam *leui argumento*, Glosa in cap. litteras de presumptionibus, Innocen. ab ea allegatus in cap. sicut 1. de simon. & alij de probatione delicti interpretantur, scilicet quod ex leui, seu tenuo argumento, aut leuibus indicijs
247 præsumatur quis hęreticus. Sed verius alij de ipso hęresis delicto eam intelligunt; vt Io. Rojas par. 2. de hęreticis, sexta assert. n. 15[...] citans Iacob Sept. in instit. Cathol. cap. 50. n. 5. & in Enchirid. Inquisit. tit. 34. n. 6. per sequentia verba. Doctissimè more suo, inquit, dict. l. 2. in Codicibus vulgatis esse deprauatum, & in litteris emendatis verba dictæ legis esse hęreticus est, qui vel paululum à catholica declinat fide, vel qui ab orthodoxa fide nimium declinat, idest hęreticus, qui litteras catholicæ fidei paululum, vel nimium fuerit transgressus; qui sane sensus, & littera mihi placet, quia illic non agitur de probanda hęresi; sed de diffinitione hęretici: hactenus ille. & en, quam egregiè exponit Io. Rojas cum Iacobo Sep. particulam dictæ l. 2. *leui argumento*, aut vt dixi cum Farin. leui articulo fidei, idest, vno, quicumque sit, fidei articulo.
248. Hinc etiam verum apparet id, quod communiter asseritur, vt hęreticus in vno articulo simpliciter, & absolute in omnibus hęreticus censeatur, ita quicumque Auctores cum D. Thoma 2. 2. q. 5. art. 3. cuius hæc sunt verba
251 *Qui est, inquit, hæreticus in vno articulo non potest esse fidelis in alio: licet in alio idem credat, quod Christianus: nam credit secundum opinionem, non secundum fidem; ita ille, qui tandem concludit sic. In hæretico scredente vnum articulum fidei, non manet fidem, neque formatam, neque informem,*
250 *quod nos ium alibi tradidimus*. Atque hæc pro pręsenti pũcto, & pro complemento huius Regulæ 151. In qua tametsi multi casus errorum contra fidem, seu ipsi errores fuerint à nobis expressi; tamen multo plures supersunt Deo dante exprimendi in Tertio Libro nostri Operis, vbi de intentione inquisiti, seu de erroribus mentis eius ex professo agetur, ibique omnes per Classes secundum varias sectas, seu secundum diuersos inuentores eo-
251 rum præponentur. Interim varietatem sectarum antiquarum in Decreto cap. Quidam autem, 24. quæst. tertia breuiter explicatam inuenies.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

CAPVT XXI.

De obligatione denunciandi casus spectantes ad officium Sanctæ Inquisitionis, & de pœnis, sub quibus illorum notitiam habens id facere astringitur.

PROOEMIOLVM.

PRo coronide commentationis Edicti Sanctæ Inquisitionis, ac totius libri primi circa qualificationem casuū eius, agimus vltimo loco de præcepto denunciandi ipsos, & de pœna contra omittentes debitam denunciationem: Vtrumq; continetur tribus longiusculis clausulis partim in initio, partim in fine ipsius Edicti, in initio sic *Con autorità Apostolica à Noi concessa in virtù di sant'obedienza, e sotto pena di scommunica, oltre l'altre pene da Sacri Canoni, Decreti, Constitutioni, e Bolle de' Sommi Pontefici imposte, commandiamo à tutti, e ciascuna persona di nostra giurisdittione, di qualunque conditione, stato, grado, ò dignità, così Ecclesiastica, come mondana sia quanto si voglia grande, etiamdio della Religione Gierosolimitana, che frà dodici giorni prossimi, de' quali i primi quattro assignamo per il primo, gl'altri quattro immediate per il secondo, e gl'vltimi quattro per terzo vltimo, e peremptorio termine, debbano al Sant'Offitio di quest'Isola reuelare, & notificare giuridicamente tutti, e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, ò habbiano hauuta, ò haueranno notitia, che siino heretici &c.* In Latinum conuersa ita habent. Auctoritate Apostolica nobis concessa in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis præter alias pœnas per Sacros Canones, Decreta, Constitutiones, & Bullas Summorum Pōtificum inflictas, præcipimus omnibus, & singulis quibusq. personis sub nostra iurisdictione existentibus, cuiusuis conditionis, status, gradus, vel dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, quantumuis excellentis, etiam Religionis Hierosolymitanæ, vt intra duodecim dies, ex quibus quatuor primos pro primo, quatuor sequentes pro secundo; & quatuor vltimos pro tertio, & peremptorio termino assignamus, teneantur denunciare, & reuelare iuridicè omnes, & vnumquemq. eorum, quos sciant, aut sciuerint, vel scient esse hereticos &c.

2 Sub finem Edicti in secunda clausula sic: *Auuertendo ch'a questi nostri precetti non sodisfaranno, ne s'intendano sodisfare quelli, che con bollettini ò lettere senza nome, e cognome de gl'Autori, ò in altra maniera incerte (delle quali niun conto si tiene nel Sant'offitio) pretendessero reuelare i delinquenti.* Latinè sic: Aduertendum autem, quod his nostris præceptis nequaquam satisfaciant, nec intelligantur satisfacere, qui per litteras, aut scripturas absq. subscriptione, aut non expressis nomine, & cognomine denunciantis, vel alio modo incertas (quæ apud Sāctum officium nullius sint considerationis, aut momenti) delinquentes reuelare præsumpserint.

3 Tandem in fine Edicti per tertiam clausulam ita: *E della detta scommunica, e pene, nelle quali i disubedienti incorreranno, non possa alcuno esser assoluto se non da Noi, ò dal supremo Tribunale del Sant'offitio di Roma ne sarà assoluto se prima giuridicamente reuelando i detti heretici, come di sopra, ò sospetti di heresia, non hauerà sodisfatto.* At Latinè ita: Ab excommunicatione vero, & à pœnis, quas inobedientes contrahunt, nullus absolui potest, nisi per nos, aut per supremum Tribunal Sancti officij Vrbis; nec censebitur absolutus, nisi obligationi reuelandi iuridicè, vt supra dictos hereticos, aut suspectos de hæresi satisfecerit. En qualiter istæ tres clausulæ Edicti
4 propositæ de obligatione denunciationis iuridicæ, & de pœnis, contra eam omittentes disponant. Verum cum materia ista sit valde practica, & scitu necessarijssima, ad maiorem eius distinctionem, quoad denunciationem præcipue, aliquæ circumstantiæ expendendæ, nempè quid rei triplex personarum genus, denunciantis, denunciatæ, ac iudicis cui denunciandum; finis item,
5 tempus, locus, & modus denunciationis. Quoad pęnas etiam contra denunciare omittentes, quæ præsentis sunt instituti, nequaquam prætermittentur.

Quid, & quotuplex denunciatio? in quo ab accusatione differat, & an vtriusq. obligatio circa heresim, vel apostasiam vrgeat.

REGVLA CLII.

6 DEnunciatio definitur, Delatio criminis apud Iudicem competētem, vt ex munere suo ad vindictam delicti procedat. Qua-
7 druplex assignari solet, nimirum Euangelica, Canonica, Regularis, & Iudicalis; sed melius alij ex eis primam, ac vltimam tantum admittunt, non distinguentes canonicam denūciationem ab Euangelica, neq. regularem à Iudiciali: cui præcipuè competit definitio tra-
8 dita. Differt autem ab accusatione in tribus maximè, primo quod accusator sit pars iudicij, & obliget iudicem ad iustitiam sibi faciēdam, non verò denunciator, sed tantum deferat crimen illi. Secundo quod accusans teneatur probare delictum; nequaquam denun-

nuncians. Tertio quod accusatio sit semper
in scriptis recipienda; at denunciatio absque
9 scriptura valide recipi potest. Tandem quamuis ex vi iuris, & communis Doctorum sententię esset olim obligatio non solum denunciandi, sed etiam accusandi crimen hæresis, vel apostasiæ : vsu tamen iam dici legitime receptum, vt per solam denunciationem illi satisfiat.

---

10 AD tollendam æquiuocationem obseruandum primo loco cum Ludouico Paramo lib. 3. de orig. &c. quæst. 8. numer. 28. quod sępius in iure nunciare, seu denunciare pro accusare, & denunciatio, pro accusatione accipiatur, patet ex l. ea quidem, C. de accus. ibi, ea quidem, quæ per officium præsidibus denunciantur, idest, quæ eis ab accusatoribus deferuntur, & ex l. Qui sepulchra, C. de sepulchro violato, ibi, siue quicumq. alius accusauerit, vel ad officium denunciauerit, vbi simul vti Synomyna, seu idem significantia cōiunguntur: quod etiam obseruant expositores prędictorum textuum. Atq. hinc sine du-
11 bio in nostro Tribunali Sanctæ Inquisitionis vt sæpius notaui, promotor fiscalis, qui accusatoris partes gerit, reum denunciare dicitur, verboq. denunciandi in suis libellis, & in communi modo loquendi vtitur; cum tamen re vera accuset, seu actum accusationis exerceat, omnino diuersum ab actu denunciationis proprie dictæ: hac obseruatione sic præmissa.

12 Vt innotescat quid sit denunciatio, de qua in præsenti Regula, eius in communi species, seu modos prius ostendere oportet; quatuor à iurisperitis, vt à Ludou. Paramo citato n. 42. & à Farin. de hæresi quęst. 185. num. 61. distinguuntur, quibus adheret Sotus in Relectione de tegendo secreto, memb 2. quæst 5. Euangelica scilicet, Canonica, Regularis, & iudi-
13 cialis. Est Euangelica illa, quæ proponitur Matt. cap. 18. & Lucæ 17. referturq. in cap nouit, de iud. & in cap. si peccauerit in te frater tuus, 2. q. 1. vbi interpretes multa, à nobis paulo post vnum verbum dicetur. Canonica est
14 illa, per quam manifestatur crimen non ad vindictam publicam; sed ad coercenda delicta, ne vltra procedant, iuxta cap. Inquisitionis, & cap. super his, de accus & cap. licet Heli. de Symo; vt explicat Ioan. Rojas singul. 3. num. 12. Verum cum adhunc eundem finem tendat denunciatio Euangelica; ad hanc meritò idem Rojas, & Suarez citandus illam reducunt.

15 Regularis item est, quę fit in Religionibus secundum constitutiones, & regulas vniuscuiusq. non seruato ordine iudiciario, apud aliquas forte earum, vti non requisito, cap. si homo esses 23. q. 1. & cap. Ad nostram, de appell. Sed hanc non distingui à iudiciali, quæ fit coram Iudice, & tendit ad punitionem publicā, bene testantur ipsi Rojas, & Suar. tra. 1. de fide disp. 20. sect. 4. num. 2. Nam Superiores Religionum sunt Ordinarij Iudices suorum subditorum, ergo denunciatio contra hos facta coram eis, vel erit iudicialis, si fiat ad punitionem publicam, aut Euangelica si ad cor-
16 rectionem fraternam, seu emendationem peccati. Egregiè itaq. duas tantum species denunciationis Euangelicæ, & iudicialis admittunt preter dictos Rojam, & Suarez, Syluest. verb. denunciatio, & Emanuel Rodriquez tract. de ordine iud. cap. 4. quidquid Soto, & alij in contrarium dicant.

17 Pro exprimenda item clarius natura denunciationis iudicialis (de qua nūc nobis sermo, omissa Euangelica inferius magis indicanda) differentiæ inter eam, & accusationem prius ostendendæ cum Suarez citato num. 3. vbi primo reijcit illam, quam aliqui assignant, quod accusatio respiciat bonum accusantis, denunciatio vero bonum aliorum pręsertim commune, nam secundum doctrinam D. Thomæ 2 2 q. 68. art. 1. & ibi expositorum eius communiter accusatio potest, & aliquando debet fieri propter bonum communitatis, & è contra denunciatio contingat aliquando, vt fiat propter bonum denunciantis, vbi non potest accusare ob defectum probationis.

18 Præcipua ergo differentia inter eos assignatur, quod in accusatione, inquit Suarez accusator fit pars iudicij illius, & petit ius si aliquo modo, & quasi obligat iudicem, vt iustitiam faciat: Denunciator autem non est pars; sed tantum defert crimen ad notitiam iudicis, & ille ex officio procedat, pro vt tenetur, aut melius sibi videbitur; ita doctissimus
19 Suarez, ex quà differentia aliæ duę sequuntur, nempe quod accusator teneatur probare delictum, sin minus puniendus: secus de
20 denunciatore, vt patet ex cap. super his, de accusat. Itē quod accusatio ex vi iuris canonici, cap. accusatorum, 2. q. 8 traditq. D. Tho. loco citato art. 2. recipienda sit in scriptis nequaquam tamen requiritur hoc in denunciatione, vt constat ex dicto cap. super his, lege Farin. vbi suprà à num. 64.

21 Ex quibus omnibus (omissa nunc accusatione infra quoad essentiam, & praxim initio 2. lib. tanquam in proprio loco magis explicanda) iam facile innotescere potest, quod sit denunciatio. Fatin ibidem num. 60. valde in genere, & breuissimè definit. Denunciatio est alicuius ctiminis delatio. E contra nimis diffusè additis varijs particulis cum Hostien. in Summ. tit. de denunciatione, §. 1. definit Peña 3. par. director. commen. 15. sic denunciatio est alicuius criminis, apud competentem iudicem sine inscriptione facta delatio ad pœnitentiam peragendam, vel aliam pęnam im-
23 ponendam, vel etiam ad vtrumq. Præceteris in exprimenda, & discutienda definitione denunciationis diutius, & copiosius sistit Paramus dict. q. 8. num 9. & sequent Quibus prętermissis congruenter cum Suarez loco citato iudicialem denunciationem sic definiuimus. Delatio criminis apud Iudicem competentem, vt ex munere suò ad vindictam delicti, seu contra delinquentem procedat. Quam definitionem posse intelligi respectu cuiuscuis crimi-

criminis,& respectu cuiusuis delinquentis,patet clarè ex terminis generalibus,quibus traditur in particulari ad casum nostrũ,sic adaptatur . Denunciatio est delatio criminis hæreticalis,vel apostatici apud iudicem competentem, vt ex munere suo ad vindictam delicti contra hæreticum,vel apostatam, aut suspectum talem procedat.

Quæ definitio circa particulas aliquas ma-
25 iori indigentes declaratione, manifestius innotescet ex dicendis in Regulis sequentibus. Nunc tantum superest pro expeditione præsentis,expendamus hoc punctum, An teneamur non solum denunciare hæreticum, vel apostatam,sed etiam accusare?

Tametsi attento iure naturali, attentaque
26 communi doctrina D. Thomæ.1.2.q.68.art.1. Caiet.ibi,Alexand. de Ales par.3.q.42.Soti de Inst.& iure,lib.5.q.5.art.1.Card.in cap.si peccauerit in te.2.q.1.num.20.& cap.1.num.5.2. q.7.Bruni de hæret.lib.4.cap.7. & aliorum, quiuis sit obligatus accusare hæreticum, vel apostatam,aut de hęresi, vel apostasia suspectum; sicut quemcumq. alium delinquentem si delictum existat in damnum publicum Reipub & probare ipsum possit, quod his verbis affirmat D. Thomas citatus. Si crimen, inquit,fuerit tale,quod vergat in detrimētum Reipub.tenetur homo ad accusandum,dummodo sufficienter possit probare. Vbi sic ait
27 Caietanus,Caue,inquit,ignorantiam illorum, qui putant neminem teneri ad accusandum, cum quiuis teneatur,si alia via bono publico perfectè consuli nequeat, addit ipse. Nihilo-
28 minus iam diu legitimus vsus obtinuit apud quęcumq. Tribunalia Sancti officij, vt per solum promotorem fiscalem accusatio hæreticorum, vel apostatarum fiat, & quicumq. eos cognoscens satisfaciat præcepto Edicti, & obligationi suæ conscientiæ, si ipsos tantum denunciet. Ita præter alios Iacob. sept.in instit.Cath.cap.4. num.2. & Ioan. Rojas singul. 3. à num.3.vsq.ad 11.estq. res prorsus certa, nulla probatione indigens. Et quidem in no-
29 stro Tribunali Melitensi Sanctæ Inquisitionis haud reperitur omnino, quod vllus vnquam hæreticum,vel apostatā accusauerit; sed stylus perpetuus fuit procedendi per denunciationem. Tradunt etiam Simanc. tit.4 Campeg. in addit ad Zanquin. cap.9.Farin.q.185.n.40. & alij ab ipso relati.

30 Notandum tamen,quod prædictus vsus seu stylus denunciandi tantum, fuerit introductus non tam pro vitando periculo pœnæ talionis, quam incurrit accusans, si non probet (quæ est potissima ratio, cur accusatio sit libera ex l. si cui crimen ff. de accusat.l.qui crimen C.qui accusare non possunt, & cap.super his de accusat. & ex alijs iuribus,excepto casu dicto, vbi delictum est contra bonum publicum &c.)quam pro maiori securitate,&
31 cautela in pertractandis causis Sancti officij. Nam sine dubio securius, & cautius circa eas proceditur, si facta tantum denunciatione per priuatos homines,minister publicus,nempe Promotor fiscalis, & accusandi rerum, & probandi eius crimen innixus auctoritate Sacri Tribunalis curam suscipiat,sed de hac re, seu de praxi eius alibi.

Quæ delicta spectantia ad Sanctum officium denuncianda? an prorsus occulta,etiam non præmissa correctione fraterna? an præterita, & iam emendata.

REGVLA CLIII.

23 QVæcumq.crimina hęresis,vel apostasiæ aut quoquomodo alterutrā olētia, siue publica, & manifesta,siue omnino occulta, aut sub secreto naturali, vel sub iuramento etiam secreti cognita, obligatione
33 strictissima denunciandi tenemur. Quæ obligatio tunc solum cessat,quando sub sigillo Sacramentali cognoscuntur: secus si pœnitens ad Confessorem accedat non animo confitendi, sed peruertendi ipsum contra fidem Catholicam,vel ad alium finem prauum. Item dicta crimina denuncianda, quamuis iam
34 pręterita, & emendata appareant, vel sit spes aliqua emendationis, si fiat correctio fraterna; quæ nunquam in praxi habet locum respectu hæresis,vel apostasiæ ad hoc, vt denunciatio omittatur.

---

35 DE criminibus publicis, & manifestis adeò, vt iuridice probari possint,nulla est controuersia inter Doctores; concordant enim omnes citati Regula præcedenti, & citandi cum D.Thoma 2.2 q.33.art.7. & q.68. art.1.circa obligationem,qua astringimur ea denunciandi ob rationes statim exprimendas.

36 Verum de occultis omninò,seu secretis extat non leue dubium,an sint denũcianda,non seruato præcepto de pręmittenda correctione fraterna; vel secus? Non desunt,qui asserant esse omittendam denunciationem criminis hæresis, vel apostasiæ, quoties est adeo occultum,vt vnus tantum præter delinquentem,illud cognoscat,ita Ioan.Andreas in cap. nouit de iudicijs, Villadiego tract.de hæreticis q.10.præcipue Panormitanus in Clem.nolentes de hæreticis,& alij; Probant primo ex illo Matth. 18. *Corripe inter te, & ipsum solum*, ergo dum peccatum manet ità occultum, non erit licitum, ipsum iudicialiter denunciare,sed debebit seruari ordo correctionis à Christo Domino ibi præscriptus, aut ad summum progrediendum vsq. ad denunciationem Euangelicam,dic Ecclesiæ, idest Pastori,vt Patri, & non vt iudici. Item quia habetur, vt regula Generalis in iure canonico, *quod delicta occulta iudicio diuino reseruantur*, cap.si sacerdos de officio ordinarij, cap. qualiter, & quando, de accusationibus, cap. Christus 1.quæst.1.& cap.si omnia 6.quæst.1 in particulari pro casu hæresis allegatur dicta

Clem. Nolentes, ratione etiam ostēditur, quia
38 non est exequendum, tanquam licitum id,
quod alicui obest, & nulli prodest; sed denun-
ciatio iudicialis delicti hęresis dicto modo oc
culti est nociua delinquenti, cum publicè eum
infamet, & non est alicui vtilis, cum per eam
iudex nihil agere possit contra denunciatum
inquirendo, aut ipsum interrogando; ergò vti
illicita debet prorsus omitti.
39 Tenenda tamen, vt communis, & omnino
certa sententia affirmans, quæ est expressè A-
lons.3 par. q.72. Soti lib.5. de iust. q.5. art.1. in
relict. de secreto, memb.2. q.5. Alphon. de Ca-
str. lib.2. de iust. heret. punit. c.25. Simanch. tit.
19. Rojas sing.1. n.14. Barches. 2.2. q. 11. art.4.
Suarez de fide disp. 20. sec.4. n.7. Martini del
Rio disq. magic lib.5. sect 4. Toleti lib.4. Sum.
cap.5. Sanchez in Decal. lib.2. cap 32. & alio-
rum. Patet clarè ex triplici capite, primo ex
40 scriptura Sacra Deuter. 13. ibi. Ne pareat ocu-
lus tuus, vt miserearis, & occultes eū. De qua
persona non occultanda sit hic sermo, ostēn-
detur Regula sequenti, nunc tantum sciendū,
quod agatur hoc loco de Hebręo infideli, qui
inducit alium ad idola colenda, & præcipit
Deus illum denunciare statim, absq. vlla mise-
ricordia titulo occultandi, ne infametur: quod
pręceptū cum sit morale, obligat etiam hoc
tēpore deferre hęretic. occultū, vt benè nota-
uit Suarez cū hęresis comparetur idololatrię à
D. Hieronymo super c.18. Ezech. & Oseæ 10.
41 Patet secundo testimonijs Sanctorum Pa-
trum, Leonis Papæ serm.4. de collectis prope
finē. ibi sic Hortamur, inquit, vt hæreticos vbi
cumq. latētes vestres Presbyteris publicetis;
magna est enim pietas perdere latebras, & in-
fra. Non sinantur latere homines, qui Prophe-
tis, & Sancto Spiritui contradicunt; ac paulo
post, cauendi, inquit, sunt, ne cuiquam noceāt
prodendi sunt, ne in aliqua Ciuitatis parte cō
42 sistant. Similiter D. Ambrosius lib.2. de offic.
c.24. in causa, inquit, temporali licet tibi sile-
re; in causa autem Dei, vbi communionis pe-
riculum est, etiam dissimulare peccatum est
non leue. Ex quibus, & alijs, quę omitto, ma-
nifestè deducitur hæreticum quantumuis oc-
cultum esse denunciādum iuridicè ab eo, qui
talem solus cognouit, nec satisfacere suę obli-
gationi se ipsum fraternè corripiat.
44 Efficaci tandem ratione idem patet, quia
dicta denunciatio, etiam de crimine hæresis
ita occulto, expedit valde ad bonum cōmu-
ne Ecclesiæ Catholicæ, & ad salutem spiritua
lem hæretici denunciati; ergò insurgit obli-
gatio exequendi eam. Antecedens quoad
vtramq partem facile ostenditur soluendo ra
45 tionem in contrarium adductam. Nā quoad
primam de bono communi, dato quod iudex
non possit ex vi talis denunciationis statim cō
tra denunciatum per Inquisitionem particu-
larē procedere (quod modo non expedīmus)
poterit tamen ad generalem inquisitionem,
de qua infra maiori cum diligētia deuenire,
& maiorem cautelam, & vigilantiam circa ta
lem personam adhibere, obseruando pruden-
ter per se, vel per alios illius vitam, mores, &
verba, ad capienda alia inditia contra ipsum,
quæ inuenire facile erit; cum hæresis mente
concepta vix contineri queat, quin exterius
prodeat. Vnde etiam sequitur, vt qui suā hæ-
46 resim vni soli latenter indicauit, eandē forte
pluribus sigillatim, & occultè manifestet, &
tunc si isti singuli, vt tenentur; denuncient, vel
eorum saltem aliquis, huius, & illius primi de-
nunciationes licet singulares, sufficient indicia
non solum ad inquirendum in particulari cō-
tra talem hæreticum occultum; sed ad ipsum
etiam aliqualiter condemnandum, vt alibi ex
professo contractabitur; ergo denunciatio de-
licti hæresis, seu apostasiæ dicto modo occulti
erit, sub stricta obligatione, vti perutilis, & ne-
cessaria pro communi bono Ecclesiæ; cui etiā
expedit, vt hæreticus non sit à denunciatio-
ne securus, & si occultissimè vni soli suam hæ-
47 resim indicauerit. Quoad secundam partem
de bono spirituali ipsius occulti hęretici pro-
ueniente ex denunciatione per se constat; cū
indè futurum sit, & ipse magis timeat, & ab
errore contra fidem resurgat; aut saltem, vt
non communicet cum aliquo, nec in alios er-
rores labatur &c. ergo crimē hæresis, vel apo-
stasiæ quantumuis occultum iuridicè denun-
ciari dèbet; & non sufficit correctio, nec de-
nunciatio Euangelica.
48 Quid quod tenetur quis ipsum denuncia-
re, tametsi sub promissione secreti naturalis,
imo, & sub iuramento secretum istud seruan-
di cognouerit. Ita ampliant doctrinam tra-
ditam citati auctores, præcipuè D Thomas 2.
2. q.70 art.1. ad secundum, vbi generaliter de
49 quibusuis delictis sic ait Quandoq. inquit,
sunt talia, quæ statim cum ad notitiam homi-
nis venerint, homo ea manifestare tenetur, pu
ta si pertinent ad corruptionem multitudinis
spiritualem (vt pertinet hęresis). vel corpora-
lem; vel in graue damnum alicuius personæ,
vel si quid aliud est huiusmodi, quod quis pro-
palare tenetur, vel testificando, vel denunciā-
do. Et contra hoc debitum obligari non potest
per secreti commissum, quia in hoc frangeret
fidem, quam alteri debet: Hæc D. Thomas.
50 Peculiariter de casu prę̄stiti iuramenti osten-
dunt ex iure canonico c. inter cætera 22 q.4.
Rojas Suar & alij sic, quia iuramentū non po-
test esse vinculum iniquitatis, atqui esset tale,
si iurans nō denunciaret hæreticū occultum;
ergò hunc cognoscens non astringitur iura-
mento pręstito tacendi; sed potius obligatione
denunciandi ipsum, etiamsi occultissimum.
51 Solus excipitur casus, quando sub Sigillo
Sacramentalis confessionis crimē hæresis, vel
apostasiæ innotescit alicui, huic nequaquam
licet ipsum propalare; cuius oppositum tenuit
Alberic. in Rubrica, C. de heresis n.8. cui adhę-
sit Rainerius relatus ab Archidiacono in cap.
Sacerdos de pœnitentijs, dist.6. qui in hoc ex
parte inclinat, & circa idem dubius extitit
Altisiod. lib.4. Summ. tract.6. c.3. q.4. Sed illo-
52 rum auctorum sententia falsa est, & erronea,
vt meritò qualificant adducti Rojas, & Suar.
quia est contra communem sensum, & vsum
Ecclesiæ, & contra Religionem, ac vtilitatem

Sacra-

Sacramenti pęnitentiæ. Sicq. communiter docent omnes tam iurisperiti, quam Theologi cum D. Thoma in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. ad 1. & 2. 2. q. 70. art. 2. ad 2. præcipuè Simanchas dict. tit. 19. num. 19. Peña 2. par. Direct. comment. 19. & Farin. de hæresi, q. 197. §. 2. num 46. Inde
53 ostenditur casus hic exceptus; quia Confessarius tenetur ad secretum Sigilli Sacramentalis confessionis ex vi iuris diuini, cui nullũ ius humanum derogare potest, vt optimè tradit Suarez loco citato, & tom. 4. de pęniten. disput. 33 sect. 2. ergò illicitum est ipsi peccatum hæresis, vel apostasiæ sub tali sigillo cognitum iudici deferre, si vere pœnitens animo confi-
54 tendi, seu accusandi se accedat.

Prędicta autem exceptio intelligitur etiam quando confessio tantum fuit incepta, quamuis ex causa aliqua postea pęnitẽs nõ absolua tur, aut differatur absolutio, vel ipsa confessio per accidens non finiatur, vt benè ex mente omnium aduertit noster Fagundez lib. 6 in secundum Ecclesię præceptum, cap 4. n. 24.

55 Hinc tuta conscientia confessarius prudenter faciet, si vbi quis accedit pro consilio extra confessionem petendo circa rem ad Sanctum officium spectantem, antequam hanc in particulari accidens exprimat, inducat ipsum ad confitendum, seu ad habendum animum Sacramentaliter se accusandi, vt eam in confessione sub secreto sigillo audiat; sic ab obligatione, & molestia denunciandi liberabitur Confessarius.

56 Ad hunc effectum tali medio scio in Hispania sæpius vsos fuisse plures de nostra Societate Iesu, maximè religiosissimum, & doctissimum Patrem Magistrum meum Sacræ Theologiæ Raphaelem Grau Maioricensem, vt ab eiusdem met ore de ipso, & de alijs audiui, atq. eodem medio ego huius tanti viri suasione in hac Insula vti consueui.

57 Dixi si verè pęnitens animo confitendi, aut se accusandi accedat; nam secus, si id fingat, intendatq decipere confessarium, aut corrumpere suis erroribus, manebit hic liber ab obligatione sigilli, cum nulla sit tunc apparentia confessionis Sacramentalis, sed è contra illum denunciare tenebitur. ita optimè Toletus in Summ. lib. 3. cap. 16. §. sed si quis detegat, & Fagundez loco citato. Quocum aduerte re-
58 quiri maximam prudentiam in Confessario ad hoc venandum, an dicto animo, ficto dogmatizandi occultè accedat hæreticus ad confessionem, vt ipsum statim denunciet.

59 Superest tantum difficultas circa hoc punctum, nimirum si delictum occultum hæresis, vel apostasiæ sit iam præteritum, & emendatum, nec timeatur recidiuum, vel si speretur probabiliter emendatio, media correctione fraterna, debeat ne hæc adhiberi? an potius ipsa omissa, statim illud denunciandi obligatio existat? Partem affirmantem de adhibenda correctione fraterna videtur manifestè admittere D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. vbi sic in
60 corpore Art. ait. Quædam peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spirituale, puta si quis occultè tractet quomodo ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat; & quia ille, qui sic occultè peccat, nõ solum in te peccat, sed etiam in alios oportet statim procedere ad denunciationem, vt huiusmodi nocumentum impediatur; nisi fortè aliquis firmiter existimaret, quod statim per secretam admonitionẽ posset huiusmodi mala impedire). Ita ille; ergò ex mente Angelici Doctoris, si aliquis firmiter iudicet fore, vt per solam secretam correctionem hęreticus emendetur, & infectio errorum eius respectu aliorum impediatur, non debet ipsum denun-
61 ciare; sed prius fraternè corripere. Fundatur in l. saltem caritatis, quæ sine dubio exigit, vt si absq. infamatione proximi, damnum commune, vel priuatum impediri potest, quiuis ab eo infamando abstinere debet; ergo à denũciatione hęretici occulti, si est spes emẽdationis eius per solam correctionem; non desunt ex discipulis D. Thomæ, & alij, qui doctrinam eius amplectantur præcipuè Soto de iust. lib. 3. q. 5. art. 5. & Rojas sing. 3. n. 21.

62 Nihilominus pars negans, quod in casu scilicet hæresis, vel Apostasiæ non sit locus practicè loquendo adhibendi correctionem fraternam, vt certa, & omninò tuta, communisq. inter Doctores tenenda est. Ita Simanchas de Cath. instit. tit 19. num. 10. Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta hæret. pun. cap. 25. Canus lib. 12. de locis Theol. cap. 9. Petrus Nauarra lib. 2 de restit. cap. 4. nu. 193. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 35 n 47. Auila 2. par. cap. 5. disp. 4 dub. 3. & præter alios Suarez dict. disp. 20. sec. 4. n. 11.

63 Qui aliquo modo ibi intendit conciliare dictas oppositas sententias, vt illa prima D. Thomæ procedat considerato iure naturali, seu caritatis; posterior attento precepto Ecclesiastico, contento non in cap. excommunicamus, & adijcimus, de hæreticis vt volunt aliqui iurisperiti, quos reijcit ipse Suarez, cum nulla ibi mentio de tali præcepto. sed in Edicto Inquisitorum, per quod expresse iniungitur omnibus, vt omissa quauis correctione hęreticum occultum statim denuncient, etiã si per eam speretur probabiliter emendatio illius, aut iam prorsus emendatus censeatur.

64 Predicta tamen conciliatio vtriusq. sententię à Suarez adhibita, quamuis iuxtà Edictum Sanctæ Inquisitionis Hispaniarum videatur fortè admittenda; at iuxtà Edictum, quo hoc Melitense Tribunal, & alia subiecta Sacrę Cõgregationi Vrbis, ex huius pręscripto vtuntur, quodque nos hactenus commentati sumus, non video, qua ratione possit admitti, cum in ipso nullum verbum expresse de omittenda correctione fraterna ante denunciationem.

65 Quare pars negans, cui adhæremus, aliunde efficacibus rationibus in iure naturali strictiori fundatis cum eodem Suarez est à nobis ostendenda. Primò quia, cum delictum hæresis, vel Apostasię magis consistat in actibus internis erroris intellectus, & pertinaciæ voluntatis, quam in dictis, aut factis externis, nunquam per remedium monitionis priuatę, de emendatione eius spes firma concipi po-

 terit,

terit, nec cognosci certo, an hæreticus vere sit item emendatus, aut emendandus tali medio; sed potius, quod finat, & decipiat, vt alios secreto postea inficiat, erit timendum valde; ergò debet omissa correctione fraterna, licet emendatus appareat, statim ad denunciationem eius iudicialem, ipsum cognoscens accedere.

Secundò quia talis denunciatio fit non so-
66 lum propter emendam fratris; sed etiam, & magis principaliter ad auertendum ingens detrimentum spirituale, quod ex crimine hæresis vniuersæ Christianitati prouenit, ad quem finem non est sufficiens priuata correctio; ergo hęc debet omitti, & hæreticus quantumuis occultus, & emendatus apparens iudicialiter denunciari, etiamsi inde infamatio proximi sequatur; cum ex lege caritatis, & iustitię damnum communitatis præferendum sic damno cuiusuis priuati, per quod soluta manet ratio in contrarium. Tandem quia dictus finis ratione pręmissæ monitionis sępius im-
67 pediretur, eò quod ex ea forsan hæreticus occasionem sumet, se magis occultandi, aut fugiendi ob timorem denunciationis; ergò hæc statim fieri debet, & illa omitti, vti nociua cômunitati. Peculiariter de denunciando Confessore solicitante pœnitentem, ità tenent Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. pun. 10. n. 2. Sousa. lib. 1. Aphor. cap. 34. n. 56. & alij, quos citat, & sequitur Diana 4 par. tract. 5. resol. 24.

68 Quinimò etiam dato, & non concesso aliquando cognoscatur certissimè hæreticus occultus iam prorsus absq. monitione priuata emendatus, vel emendandus per eam; adhuc tamen denunciari debet: ità citatus Suarez nu. 12. & Emanuel Moura opusc. 1. de incant. &c. sect. 2. cap. 16. num. 13. vbi sic. Quamuis, inquit, mihi priuato moraliter constet hæreticum occultum esse emendatum, vrgeatque alioqui pręceptum diuinum de non infamando proximum absq. necessitate, etiam coram Ecclesiæ ministris, teneor eum deferre ad Sacrum Tribunal, & iuxta omnes in dubio de eius emendatione, quia decernere, an sit, vel non sit emendatus, iudicium exigit altius, quā
69 priuati. Hæc Moura: cui quoad primum adhęret Diana par 4. tract. 3. resol. 61. cum alijs ab eo alibi relatis. Fūdatur autem dicta obligatio denunciandi iam emendatum, tum in pręcepto Edicti Sanctæ Inquisitionis se extendente ad hæreticum etiam præteritum tum in timore recidiui, nisi iudici deferatur ad punitionem.

70 Non obstat illud Pauli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam, vel secundam admonitionem diuita*; quod non intelligitur de admonitione priuata fraterna; sed de iudiciali publica. Nam S. Apostolus non dicit hoc ad quoscumq. sed ad Episcopum Titum ad quem ex offitio spectabat hæreticum iudicare, & excommunicatum declarare procedente, vt solet de iure trina monitione, vel vna pro tribus. Vnde particula illa, deuita, significat. fac deuitari ab alijs, vt optimè exponit Simanchas de Cath. instit. tit. 19. nu. 14. & D. Thomas, ac Lyranus ibi interpretantur, no-
71 tatq. Fagundez vbi supra num. 12. Ad illud Matt. 18. si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum, responsio D. Thomæ proposita videtur sufficere, quod non habeat locum in hæretico occulto, quia hic non peccat in te, idest, tantum; sed in alios, cū peccatum hæresis sit Deo, & toti Ecclesiæ iniuriosum, ac nociuum. Quamquam Suarez lo-
72 co citato n. 14. omissa hac responsione, & expositione particulæ, *in te*, vt nimis limitata, indicans esse idem, quod coram te, reijcit etiā illam solutionem Salmeronis, & aliorum, quod nomine fratris non intelligatur hęreticus; sed quiuis Catholicus per fidem intra Ecclesiam existens, eò quod præceptum correctionis fraternæ sit naturale, extendatq. se ad quoscūq. etiam infideles. Atq tandem pro legitima so-
73 lutione recurrit ad tres illas rationes, ob quas esse denunciandum statim iudici hæreticum occultum, omissa monitione priuata efficaciter ostendimus. Ob quas etiam rationes constat non habere locum in delicto hæresis oc-
74 culto id, quod pro parte contraria adducitur, est nimirum peccata occulta attento iure canonico esse reseruata iudicio Diuino. Sed quid de auctoritate D. Thomæ. A Patribus
75 valdè doctis, pręcipuè à prænominato P. Raphaele Grau, quos circa hoc iussu Illustrissimi D. Inquisitoris Euangelistæ Carbonesij annis hinc annis in Prouincia Aragonia per litteras consului, responsum fuit, doctrinam Angelici Doctoris speculatiuè esse probabilem; in praxi vero nequaquam, nec vllo modo posse admitti, cui responso libenter subscripsi.

Quinam denunciandi? qui item habiles, & obligati ad denunciandum, & testificandum in Sancto offitio, an filius contra Patremè & è contra?

REGVLA CLIV.

76 QVicumq. à fide Catholica quoquomodo declinant Iudicibus Sanctæ Inquisitionis denunciari debent, cuiusuis conditionis, gradus, vel pręeminentiæ existant. Ad
77 denunciandum autem, & testificandum contra istos sunt idonei vniuersaliter omnes homines, tam infideles, quam fideles, siue probi, siue improbi, &c. et inimici licit non probent, tamen tenetur denunciari.

78 Tenetur vero denuntiare ipsos ex officio Inquisitorum officiales, & ministri Sanctæ Inquisitionis iurati; & ex præcepto earumdem Inquisitorum omnes fideles (ad idem infideles, quandoq. cogi possunt) quantumuis consanguinei, vel affines denunciatorum sint; vnde filius tenetur denunciare patrem, & è con-
79 tra. Quamquam nullus obligatur se ipsum deferre, nec complices sui delicti.

80 NOn est cur immoremur in ostendenda prima particula huius Regulę de quibus

bus denunciandis, à fide diuina aliqualiter declinantibus; cum constet iam clarè ex traditis à nobis circa potestatem, seu iurisdictionem Ecclesiæ Catholicæ contra hæreticos, & apostatas, ac etiam contra infideles non baptizatos in varijs casibus, vt in proposita commentatione Edicti Sanctæ Inquisitionis expressimus. Atq. clarius ex traditis prius toto capite tertio, vbi ex professo tractauimus de eadem iurisdictione cuiusq. Inquisitoris, siue Ordinarij, siue delegati in omnes sibi subdi-
81 tos. Hos enim esse ipsi subiectos, & debere eidem denunciari, si declinent à fide Catholica, correlatiua sunt, & correlatiuorum natura ita postulat, vt posito vno ponatur, & alterum.

82 Perpendenda item breuiter sequens Regulæ particula de idoneis ad denunciandum, & testificandum in Sancto officio; ac primò aduertendum coniungi hic obiter, hęc duo à nobis (acturis alibi peculiariter de testibus, & testificationibus) ex occasione, quod denunciator in casu hæresis, seu apostasiæ officium testis agat, & alijs testibus adnumeretur, vt cum communi sententia, & praxi benè notât, præter alios Suarez, de fide disput. 20. sect. 4. n. 9. & Fagundez lib. 6. in secundum Ecclesiæ præceptum cap. 4. num. 12. & sumitur ex cap. in omni de testibus, vbi de hoc agunt Abbas, & Felinus, & Panormitanus; atq. eius vsum præcipuè adducunt Zanchinus de hæretic. c. 13. & Simanchas, Cath instit. tit. 19. numer. 17.

83 Quod autem quæcumq. personæ tam infideles, quam fideles, siue honestæ, siue viles, & infames &c. sint habiles ad deferendum, & testificandum in Sancto officio habetur expressè in iure, maximè de his, de quibus poterat esse aliquale dubium, vt de hominibus criminosis, vel de aliquo crimine accusatis, cap. in fidei fauorem, de testibus in 6. & capit. per tuas, de Symo.

84 Similiter de Infidelibus, vt de Iudæis cap. contra Christianos de hęret. in 6. Tertio de infamia, siue iuris, siue facti affectis cap. accusatus, §. licet de hæret in 6. Quarto de socijs,
85 & participibus in crimine hæresis, vel apostasiæ dicto cap. in fidei fauorem de hæret in 6. & cap. r. de confessis.

86 Nam isti omnes, tametsi in alijs causis tàm ciuilibus, quam criminalibus ad ferendum testimonium, vel ad denunciandum, vt in plurimum non admittantur, in causa tamen hæresis, aut apostasiæ merito admitti solent in fauorem fidei Catholicæ, ne ob defectum probationis, tam graue crimen impunitum remaneat iuxta l. in fin. C. de hæret. cap. dilecto & cap. significasti, extra de test. estque communis auctorum doctrina, quam lib. 2. & 4. agendo de probationibus, defensionibus, & exceptionibus tanquam in proprio loco copiosius expendemus, interim legas Ioannem Rojas singul. 188. & sequentibus, & alios ab ipso citatos.

87 Limitationem de solis inimicis, quod hi nō sint idonei ad testificationem in delicto hæresis, aut apostasiæ (quidquid in contrarium dicat Archid. in c. accusatus nu. 4. de hæret. in 6 citatis testibus id non probantibus) proponunt vt certam, communem, & in praxi receptam Couarr. in quæst. pract. cap. 16. n. 3. Iacob. Septiman. in instit. Cath c. 25. n. 18. Gundisal. de Villa. q. 13. nu. 73. & Ioan. Rojas sing. 199. quia vt communis regula iuris comprehendens quoscumq. casus proponitur, quod inimicus non sit idoneus testis c. repellantur, c. me minimus, cap. si testes. 4. 9. 3. & l. 3. in prin. ff. de testibus, nec vllibi in iure ab hac regula casus hæresis excipitur. Sed de hoc alibi etiā pluribus.

88 Sequitur dicendum de obligatis ad denunciandum quod est proprium huius loci, & primò quoad officiales, & ministros omnes iuratos Sanctæ Inquisitionis, quod isti ex officio, seu ex iustitia teneantur denunciare hæreticos &c. per se manifestè patet, traduntq. Dec. lib. 5. crim. c. 30. n. 6. Zanchin. de hær. c. 9. vers. Verum, quia Farin. de hæresi, q. 185 §. 5. n. 69. & Sousa lib 2. Aphor. c. 4. n. 9. Quoad fideles
89 vero quoscumq. astingi hos ex præcepto Inquisitorum, seu ex obedientia ad eandem denunciationem (nec dubiū vllum, quod ad idē infideles per ipsos Inquisitores compelli valeant) docent idem Doctores citati præcipuè Farin. de heresi, q. 197. §. 2 etiamsi obligati denunciare consanguinitatis, vel affinitatis vinculo, vel alio, cū denunciandis valdè cōiuncti sint, ob rationem iam supra adductam, quod damnum communitatis præsertim maioris sit præferendum damnum priuatæ personæ, aut minoris cōmunitatis; ergo quiuis hæreticum, vel suspectū de hæresi, etiam sibi coniunctissimū denunciare tenetur, ne sequatur ex omissione denunciandi detrimentum spirituale Ciuitati, aut Reipub. Christianæ; quamuis inde infamatio denunciati, vel damnum temporale alicuius domus vel familiæ proueniat.

90 Hinc infertur descendendo ad casus particulares, quod teneantur denunciare contra fratrē frater, contra vxorem maritus, & è conuerso, discipulus contra Magistrum, subditus contra Superiorem, seu seruus contra dominum; quin etiam filius contra patrem, & è cōuerso Desumitur clarè ex scriptura Sacra Deuter. 13. ibi, si tibi inquit, persuadere voluerit frater tuus, filius matris tuę, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, vt animam tuam clam dicens eamus, & seruiamus Dijs alienis &c. non acquiescas ei, neque parcat ei oculus tuus vt misierearis, & occultes eum. Hactenus ex sacro textu, quibus quid clarius ad probationem totius illationis argumentando circa aliquos ex propositis casibus saltem à paritate rationis.

91 Adhuc ista probatione nō obstāte, dubitatur an filius teneatur denūciare patrē hęreticum? neganter respondet Abuh. in eo loco q. 3 quia ibi non exprimitur de oblig. filij cōtra patrē, cum exprimatur de obligat. patris contra filiū, item quia filius debet patri totum, quod est ac proinde maximè obligatur ad amādū, & honorandum eum, ergò non potest obligari

ad

ad ipsum infamandum per denunciationem.

92 Rojas sing.12. num.5. ait patrem hæreticum esse denunciandum, à filio casu, quo hic inducitur ab illo ad amplectendam hæresim, & non alias.

93 Simanchas vero tit. 29. num. 27. cum triplici limitatione respondet, primo quod filius possit, si vult, denunciare patrem, sed non ad id teneatur. Secundo quod nequeat celare patris hæresim, quando interrogatur a iudice præsert in medio iuramento. Tertio quod obligetur filius eum denunciare, vbi paterna hæresis Reipub. perniciosa esse potest; secus si non sit allatura ei nocumentum.

94 Verum, cum semper debeat præsumi fore, vt dicta hæresis perniciem communitati inferat, eo quod, vt cancer serpit, 2. Timot. 2. in partem affirmantem communiter Doctores inclinant absolutè, & absq. nulla limitatione, quod filius teneatur denunciare patrem hæreticum, vel de hæresi suspectum. Ita Caietanus super dicto cap. 13. Deuter. Nauar. in cap. inter verba, & in Summ. cap. 15. Alphons. de Castro lib. 2. cap. vlt. Mascardus de probat. concl. 857. num. 18. Param. de orig. &c. lib. 3. quęst. 8. num. 87. Peña 2. par. Direct. comment. 15. Azor instit. moral. tom. 2. lib. 2. cap. 2. q. 13. Farin. de hæresi q. 197. §. 2. numer. 40. qui alias refert, & Suarez de fide disput. 20. sect. 4. num. 21.

95 Qui inde efficaciter probat, quia correlatiuorum eadem est ratio, & ideò vnum sub alio comprehenditur, præsertim quod, quamuis obligatio filij ad patrem sit maior, amor ta-
96 men patris ad filium soleat esse maior. Argumentum autem de correlatiuis pari modo vim habet in casu vxoris contra virum hæreticum, seù idololatrā, qui non fuit expressus in sacro textu; benè tamen ibi expressum legimus casum viri contra vxorem idololatrā, seu hæreticam. Concordant nihilominus Doctores obligari vxorem ad illum denunciandum. Ita Suarez loco citato, & hoc exemplo confirmat illud filij respectu patris.

97 Sed quid de obligatione serui, aut subditi denunciandi dominum suum, vel Superiorem? Ratio dubitandi est, quia si hic sit legatus Papæ, vel Episcopus, aut maioris dignitatis, non videtur ille obligandus ad denunciandum, cum talis superior non subsit Iurisdictioni Inquisitorum loci, seu Prouincię, sed solum habeat immediatum Iudicem Summum Pontificem: ergo &c.

98 Docet tamen optimè Suarez ibidem nu. 25. dictum Prelatum à suo seruo, seu subdito, sicut à quouis alio, qui ipsum hæreticum, aut suspectum de hæresi cognoscit, denunciari debere Inquisitori Prouinciæ, vt hic eumdem statim deferat Summo Pontifici, & si est periculum fugæ, vel infectionis, sine mora carceri tradat, vt iam alibi diximus, vide Simanch. de Cath. instit. tit. 25. à n. 7.

99 Quæ obligatio denunciandi clarè colligitur ex cap. Inquisitores, de hæreticis in 6. ibi, *si sciuerint, vel nouerint* vtiq. ex denunciatione aliorum &c. Vniuersaliter autem quod quiuis superior, seu Prælatus in casu hæresis debeat denunciari à suo subdito, constat manifestè ex doctrina D. Thomæ 2. 2. qu. 33. art. 4. vbi quærit.

100 Vtrum quis teneatur corrigere Prælatum suum? & respondet affirmanter de correctione fraterna, quæ est actus caritatis cum moderatione debita; atqui in casu hæresis, vt resoluimus supra non est locus practicè loquendo, vllius correctionis fraternæ, sed tantum denunciationis iudicialis obligatoriæ, ergo in dicto casu subditus, aut seruus, vel famulus suum Prelatum, aut superiorem, vel dominum denunciare tenetur.

101 De limitatione in fine Regulę posita, tantùm superest dicendum, nempe de non prodēdo se ipsum, neq. socios sui criminis. Quoad vtramq. partem tractat egregie de ea Suarez loco citato num. 18. & 19.

102 Ac primo quod nullus teneatur se ipsum prodere, seu denunciare, docent vt certum Syluest. verb. denunciatio, Simanchas tit. 44. num. 3. Peña 3. par. Direct. comment. 12. & Suarez, sumiturq. ex illa Regula iuris, *non dico, vt te prodas* cap. Quid aliquando de pœnitentia dist. 1. apud Chrysostom. homil. 31. ad Hebręos, & 41. ad Populum. Inde conuincitur, quia nemo cogitur procedere contra se ipsum; nam esset obligatio maximè repugnans ipsi naturæ.

103 Atq. hinc fit, vt etiam interrogatus generaliter hæreticus occultus, non teneatur se prodere, quia talis interrogatio non fit ei, vt reo, sed vt testi, seu denunciatori aliorum. Ita præter Suarez idem Simanch. tit. 41. num. 12. Caiet. 2. 2. q. 70. art. 1. & Soto relect. de secreto memb. 2. q. 7.

104 Contra præcedentem resolutionem nequaquam obstat id, quod habetur in Concil. Biterrensi capite primo per hec verba, *vt omnes* inquit, *qui sciuerit se vel alios in crimine labis hæreticæ deliquisse compareat veritatem dicturus*. Nam vt Suarez vbi supra cum Peña par. 2. Direct. comment. 10. exponit, verba Concilij aliter accipi debent ab vnoquoq. respectu sui, atq; respectu aliorū, cū respectu aliorū contineant preceptū absolutum respectu verò sui concessionem conditionatam; nā ibi agitur de tempore gratiæ, intra quod sponte veniētes, & se accusantes, si non fuerunt præuenti; cum magna indulgentia tractantur.

105 Quoad alteram partem de socijs delicti potest esse aliquale dubium; quia sæpius iudex non solum iuridice interrogat; sed etiam iustè torturam principali infligit pro complicibus delicti cognoscendis; ergo tenetur eos reuelare.

106 Respondet tamen cum distinctione optimè Suarez dicto num. 19. & absolutè ait quod non teneatur quis denunciare nec prodere complices sui criminis, etiam quando interrogatur à Iudice competente, si non vt reus sed vt testis, seu vt denunciator interrogetur, ita etiam Castrus Palaus de hæresi tract. 4. di-
107 sput. 2. pun. 4. n. 11. Ratio est quia moraliter loquendo, non potest quis manifestare socios delicti

delicti, quin manifestet se ipsum, cum ratio ipsa complicis, seu socij delicti dicat relationem ad alterũ, & ex cognitione vnius sequatur cognitio alterius v. g. si Petrus denunciat Paulum socium sui criminis, postea Paulus interrogatus vt reus tenebitur denunciare Petrum; ergò Petrus denuncians Paulum, virtute denunciat se ipsum; Vndè cum hæc sint inseparabilia, sicut non se ipsum, vt diximus, ita nec socios sui criminis, quis denunciare tenetur, etiamsi à iudice interrogetur tantũ, vt denunciator, vel vt testis.

108 Si verò iuridice interrogetur à iudice cõpetente aliquis, vt reus circa complices delicti sui, sine dubio eos ipsi manifestare tenetur, Ratio est quia in tali casu sic interrogatus non se ipsum prodit; sed iam aliunde denunciatus de suo crimine supponitur, & cum iudex habeat suam intentionem fundatam, iusq. interrogandi de Socijs criminis, ad huius integram cognitionem, & iustitiam complete exercendam obligatur ille ipsos ei reuelare. Ita idem Suarez, & Castrus Palaus ibidem.

Cuinam denunciandum, maximè vbi sunt plures Inquisitores inter se independentes, vel ordinarius loci etiam Edictum Sanctæ Inquisitionis publicet? & an ei sine tali publicatione?

REGVLA CLV.

109 Delicta contra fidem nullatenus iudicibus secularibus denuncianda, neq. Prælatis Religionum licet commissa ab eo-
110 rum subditis. Satisfit autem præcepto denunciandi, vbi sunt plures Inquisitores, etiam inter se independentes, cuiuis eorum denun-
111 ciatio fiat: Excipe si peculiaris causa fidei à Papa alicui sit commissa, huic & non alteri
112 circa eam denunciandum. Si alicubi desint Inquisitores, talia delicta Episcopis, seu ordinarijs denuncianda, siue publicent Edictum, siue non publicent. Imo quãuis adsint Inqui-
113 sitores, satisfacies quandoque, si Ordinario denuncies: attendenda tamen cuiusq. loci consuetudo, vnde in Regnis, & Dominijs, vbi est Sanctum officium Hispaniæ, sicut etiam in hac Insula Melitensi solis Inquisitoribus denunciatio facienda.

114 Titulus præsentis Regulæ, sub terminis in eo expressis à nullo, quod legerim proponitur; coincidit tamen cum illo circa quæstionem de competentia iudicis in causis fidei, ab omnibus proposito, & à nobis iam alibi declarato: coincidit etiam cum illis duobus adductis ab Antonio Sousa l. b. 1. Aphorism. cap. 2 & 3. nimirum, quænam sit Inquisitorum Iurisdictio in se, & cum iurisdictione Episcoporum comparata? Item qua ratione plures Inquisitores, aut ipsi simul cum Episcopis procedant? ex quorum decisione saltem per consequentiam aliqua huc spectantia desumentur relictis alijs alibi opportu-
115 nius expendendis. Ac primo illud de nõ denunciandis criminibus cõtra fidem vlli Iudici seculari, educitur facile, & euidenter ex cap. vt Inquisitionis officium, §. prohibemus, de hæreticis in 6. vbi sic dicitur. Prohibemus quoque districtius Potestatibus, Dominis Tẽporalibus, & Rectoribus, eorumq. officialibus, ne ipsi de hoc crimine (cum merè sit Ecclesiasticum) quoquomodo cognoscant, & iudicent &c. & ibi infligitur excommunicatio ipso facto violantibus hanc prohibitionem, atque reseruatur Papæ in constit. Iulij III. incip. Licet à diuersis, relata per Peñam in fine direct. in qua idem ipsis prohibetur, traditque Farin. cum innumeris penè Doctoribus, quos ipse pro hac doctrina certa copiosè citat; ergò ex vi iuris, & ex mente eorumdem Doctorum non sunt denuncianda delicta hæresis, vel apostasiæ iudicibus secularibus, quandoquidem de eis cognoscere nequaquam possunt.

116 Quod neque prælatis Religionum denunciari debeant peccata contra fidem diuinam, quamuis patrata ab eorum subditis; desumitur manifestè ex Bulla Pauli V. incip. Romanus Pontifex adducta à Laertio tom. 3. Bullar. vbi disponitur, nè Superiores Religionum contra subditos suos procedant in causis hæresis, vel apostasiæ, sed iudicium istarum Inquisitoribus fidei relinquant; ergo consequenter disponitur ibi, ne delicta contra fidem dictis Superioribus denuncientur, sed Inquisitoribus, iudicibus tantum competentibus ab eo tempore, quo dicta constitutio Pauli V. prodijt. Inquisitorum, inquit, Sousa dicto capit. 2. numer. 8. iurisdictio in causis fidei, aut contra fidem inducentibus suspitionem, priuatiua est Prælatos Regularium, respectu suorum subditorum.

117 Quidquid esset ante illud tempus, quod ex dispositione Pij IV. in Bulla incip. Pastoris &c. daretur locus præuentionis, & possent talia delicta, vel Inquisitoribus, vel Prælatis Religionum liberè denunciari.

118 Nota in ea constitutione Pauli V. circa denunciationem sic disponi §. 3. *Volentes inquit, & expressè mandantes, vt ipsi Religiosi possint, & debeant omnes, etiam ordinum huiusmodi professores de hæresi suspectos, Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus liberè denunciare, absque eo quod Superiores prædicti personas denunciandas, & causas perquirere; vel quoquomodo id impedire, vel retardare audeant, seu præsumant*; & paulo infra § 5. post medium sic. *Nec non professores, fratres, & Religiosos supradictos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos, etiam in visitatione esse nouerint, absque alia consultatione cũ proprijs Superioribus, facienda, eisdem Inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus respectiue denuncient* Quę omnia ex se ipsis manifesta sunt, & rem præsentem clarè ostendunt.

Facilis

119 Facilis item est resolutio particulę, quæ in nostra regula sequitur, nempè quod satisfiat præcepto denunciandi, vbi sunt plures Inquisitores, cum dependentia, vel sine ea inter se, cuicumq. eorum crimina ad Sanctum officium spectantia denuncientur.

120 Nam casu, quo diuersi reperiuntur in eadem prouincia, seu in eodem loco deputati à Sede Apostolica, possunt ex speciali fidei fauore, omnes simul, vel singuli separatim pro vt ipsis magis expediens videbitur procedere, vt patet ex textu manifesto in cap. vt officium de hæreticis in 6. illis verbis, *Mandamus quatenus vbiq in præfata* Prouincia *simul, vel separatim, aut singulariter, pro vt negotij vtilitas suadebit, contra hæreticos &c. procedatis, & ibi*: Glossa in figuratione casus; afferuntq. Ioan. à Rojas singul. 27. num. 3. & Ferd. de hæresi q. 186. §. 2. num. 24. cum alijs multis ab eo relatis; ergo consequenter adimplebitur præceptum denunciandi, cuiuis eorum denunciatio fiat.

121 A præcedenti tamen doctrina vnus excipitur casus, quando scilicet, quamuis plures sint Inquisitores in eodem loco, vel Prouincia, ad aliquam specialem fidei causam peculiaris ibi Inquisitor à Papa deputatur: Nam sicut tunc nullus illorum potest de tali causa cognoscere, præter deputatum, vt patet ex cap. vt nostrum, de appellationibus, & cap. studuisti, de officio delegati, atque tradunt Peña 3. par. direct. q. 46. Cōment. 95. & Farin. *vbi supra* num. 25. cum varijs ab ipso citatis: ita huic soli circa eam facienda est denunciatio, & non adimpletur præceptum denunciandi, si alteri denuncietur, quia alijs generalem iurisdictionem habentibus, pro ea causa facultas procedendi interdicta manet.

122 Sed quid si alicubi nulli adsint Inquisitores particulares delegati? certissimum est denunciari debere delicta contra fidem Episcopis seu ordinarijs locorum, siue isti publicent Edictum Inquisitionis, vt tenentur, siue non publicent. Ratio est, quia ipsi sunt in crimine hæresis competentes Iudices, & quidem quoad subditos suos, ex vi etiam iuris diuini ordinaria iurisdictione, vt iam alibi ostendimus.

123 Quoad exemptos verò iurisdictione delegata iuxtà textum expressum in cap. ad abolendam in fine, §. si quis vero, extra de hæreticis, & afferunt pręter alios, P. Molina de iust. tract. 5. disputat. 28. numer. 2. & 3. Farin. ibidem numer. 6. & 7. Sousa lib. 1. Aphor. cap. 3. num. 3. ergo si in Diœcesi non sint peculiares Inquisitores delegati, dictis Episcopis, seu Ordinarijs crimina hæresis denunciari debent.

124 Imò etiamsi adsint tales Inquisitores in Prouincijs adimplebitur præceptum denunciationis quandoq. Episcopis, seu Ordinarijs locorum delicta contra fidem denunciando, nempe quoties in Bullis, aut Decretis Summorum Pontificum, tam his, quam illis conceditur facultas de causis fidei separatim cognoscendi; vt in Bulla paulo ante citata Pauli V. incip. Romanus Pontifex, in qua circa causas fidei contra Religiosos assignat iudices competentes, Inquisitores, vel Episcopos seu ordinarios locorum, & pręcipit, vt his, vel illis denunciatio fiat.

125 Similiter in Bulla Sixti V incip. Cæli, & terræ, in qua §. 3. tam Episcopus, seu Ordinarijs, quam Inquisitoribus tribuitur facultas procedendi contra Astrologos iudiciarios; & pari modo in alia Vrbani VIII. incip. Inscrutabilis, confirmante, & ampliante illam Sixti V.

126 Item in constit. Gregorij XV. incip. Vniuersis, per quam Confessarios quemuis pœnitentem ad turpia solicitantes Inquisitoribus, & locorum Ordinarijs tamquam Iudicibus à Sede Apostolica delegatis subijcit; & sic de similibus casibus vbicumque in Bulla, vel Decreto alicuius Papæ exprimitur.

127 Equidem de dicto casu solicitationis, quod possint Ordinarij separatim ab Inquisitoribus, cognoscere, seu inquirere, docent Castrus Palaus tom. 1. tract. 4. disp. 9. pun. 1. numer. 9. & pun. 10. num. 4. ac Diana par. 4. tract. 5. resol 52. imo de quouis casu Sancti Inquisitionis absolutè tenent Syluest. verb. hæreticus, §. 2. num. 10. Rojas Singul. 2. numer. 2. Simanchas de Cathol. instit. tit. 25. num. 4. Glos. & Panorm. in cap. ad abolendam, de hæreticis, & alij multi; probantq. ex iure cap. Præsidentes, cap. statutum, cap. Inquisitores, de hæreticis in 6. ergò adimplebitur præceptum denunciandi delicta contra fidem, si ordinario loci, seu Episcopo denunciatio fiat.

128 Quæ vltima consequentia omnino certa apparet ex præcepto seu Decreto Sacræ Inquisitionis Romanæ incip. Vniuersis &c. infra adducendo, in quibuscumque locis, & pro quibuscumque casibus Sanctæ Inquisitionis.

129 Nihilominus attendenda est consuetudo cuiusq. Ciuitatis, seu Diœcesis. Dubiū autem excitari potest, vti excitat Diana vbi supra an in Regnis, & dominijs Sanctę Inquisitionis Hispaniæ possint Episcopi separatim ab Inquisitoribus de criminibus contra fidem cognoscere, maximè de crimine dicto solicitationis? & consequenter an sit eis facienda denunciatio.

131 Ratio dubitandi præcipuè circa crimen solicitationis est, quia constitutio Gregoriana, vt patet ex contextu litteræ absolutè omnibus Episcopis quorumcumq. Regnorum concedit, vt simul, vel separatim ab Inquisitoribus, de dicto crimine cognoscant; ergo &c. Vnde hanc constitutionem Gregor. XV. cum Castro Palao dicto punct. 1. non fuisse in Regnis Hispaniarum receptam asseruimus supra cap. 16. Regul. 129.

132 Nihilominus dato etiam, quod fuerit recepta, vt volunt alij, maximè in Regno Lusitanię, adhuc in hoc, sicut in alijs, in quibus obseruatur fundatio Sanctæ Inquisitionis Hispanicæ

panicæ, ex consuetudine antiqua, & ex priuilegio Sedis Apostolicæ nequeunt Episcopi separatim ab Inquisitoribus de criminibus contra fidem inquirere, & consequenter non satisfacias præcepto denunciandi, si illis delicta contra fidem deferas, cum solis Inquisitoribus, vbi est Sanctum officium Hispanicum, ratione dicti priuilegij denunciari debeant.

133 De quo priuilegio, & de dicta Consuetudine affirmant P. Molina vbi supra num. 12. Peña par. 3. Direct. q. 52. comm. 101. Sanctarellus de hæresi cap. 40. dub. 2. num. 15 Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 17. nu. 3. & alij.

134 Peculiariter autem asserunt Sousa in annotat ad Bullam Greg. XV. num. 21. & Fagundez in 2. edit. de præceptis Ecclesiæ par. 2. lib. 4. cap. 3. num. 97. per eam Bullam non reuocari priuilegium concessum Generali Inquisitori Lusitaniæ aduocandi ad se omnes causas hæresis, & consequenter causam solicitationis, etiamsi tractari cœperint coram Ordinarijs, qui illi obedire debent, sicut & Generali Inquisitori Hispanię, quoad dictam aduocationem, & tradere Inquisitoribus Regnorum illorum omnes scripturas, seu processus, vt causæ fidei à solis Inquisitoribus tractentur; Episcopis tamen assistentibus per procuratores, cum voto, vt audio, decisiuo in causis respectiuè suorum subditorum, & attigimus proleg. 11. num. 13. ergò in dictis Regnis Hispaniarum, & Lusitaniæ solis Inquisitoribus delicta contra fidem denunciari debent. Lege Dianam dicto tractatu 5. resol. 52.

135 Ad rationem autem dubitandi cum eodem Diana, & alijs respondetur, Gregorianam illam, & alias Bullas, ac iuris canonici capita, quibus conceditur facultas Episcopis, aut iniungitur eis, vt de causis fidei cognoscant, deberi intelligi de quibuscumq. locis, & Regnis, in quibus non existit Sancta Inquisitio Hispanica, vbi, vt diximus, satisfacies præcepto denunciandi, si ipsis Episcopis crimina contra fidem denuncies.

136 Qui qualiter teneatur communicare processus cum Inquisitoribus talium locorum; vel è contra isti illis? qualiter etiam ab vtrisque deueniendum ad prolationem sententię? coram quo item comparendum, si simul, & eodem tempore ab Inquisitore, & ab Ordinario denunciatus citetur? & alia diuersa dubia quæ huc videbantur spectare, opportunius infra expendentur.

137 Hic tantum restat dicendum vnum verbum de huius Insulæ Melitensis vsu, iam diu per multos annos legitime recepto, quod soli Inquisitori pro tempore denunciatio delictorum contra fidem quorumcumque fiat, & nullo modo Episcopo; seu Ordinario huius loci.

138 Qui vsus non dubito, quod fundari incęperit in clausula illa Breuis Apostolici, quo Dominus Petrus Duzzina V.I.D. fidei Inquisitor primus ex sola delegatione fuit constitutus in hac Insula; vt iam Proleg. 14. tradidimus, nempe. Ita tamen quod vbi contingat procedi contra fratres, & milites prædictos &c. procedas vna cum Episcopo Melitensi, & cum assistentia Magni Magistri, & Prioris Ecclesiæ Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, ac Vicecancellarij pro tempore existentis, si interuenire voluerint. Quo vero ad alios præfatos per te ipsum iuxta formam Sacrorum Canonum &c.

136 Tentauit aliquando Curia Episcopalis denunciationes in causis fidei recipere, sed nostrum Tribunal Sanctæ Inquisitionis vehementer ei restitit, finemq. intentum prorsus impediuit. Atq. hæc pro re præsenti sint satis, cum alibi iam pluribus a nobis explicata.

Quando denuncianda delicta contra fidem? An statim, vel intra terminum aliquorum dierum? Quid si transiuit annus à publicatione Edicti?

REGVLA CLVI.

140 Attenta natura rei, & ex vi iuris naturalis ac diuini, maximè si sit periculũ fugæ &c. statim absq. vlla mora denunciare ea quisq. tenetur: imo hic ferè semper non absoluendus à Confessario, nisi prius Inquisitori denunciet.

141 Ex vi Edicti Sanctæ Inquisitionis facienda est denunciatio intra terminum aliquorum dierum, v.g. 12. vel 9. aut 15 secundum variam interpretationem particulæ, *quanto prima*, in eo appositæ.

142 Nec refert, quod Inquisitor particularis Edictum non publicauerit, aut iam annus à die publicationis transierit: cum per Edictũ seu Decretum Sacræ Congregationis Vrbis, olim publicatum, quod se habet, vt lex perpetuo durans, denunciare constringamur.

143 Et terminus 12. dierum à die notitię habitæ delicti computari debeat.

144 Primam partem Regulæ, attenta scilicet natura rei, & ex vi iuris naturalis, & diuini &c. nullus Doctorum, quod inuenire potuerim, in particulari expendit; per se tamen notam, & prorsus certam iudico cum diuersis à me circa ipsam diuerso tempore consultis viris scientissimis, præcipuè Illustrissimis DD. Inquisitoribus Chigio prędecessore, & Gorio præsenti.

145 Atq. inde efficaciter probo, quia vbicumque ius naturale, & diuinum pręcipit, de procuranda salute spirituali Gregis Dominici, aut cuiusuis proximi; vt in illo Actor. 20. Attendite vobis, & vniuerso Gregi &c. & in illo Eccles. 17. mandauit vnicuiq. de proximo suo, & in similibus, ibidem continetur vtriusq iuris strictissimum præceptum, non solum prosequendi illico, absq. vlla mora destructores dictę salutis, quales in primis sunt hæretici,

aut suspecti de hæresi; sed etiam cooperandi ad hanc persecutionem, eos statim iuridicè denunciando.

146 Quod ita exequendum, præcipuè quando est periculum fugæ, vel maioris infectionis hæresum &c. à paritate, vel maioritate rationis sic ostenditur; nam licet non sit sub Inquisitoris iurisdictione Episcopus, si hic tamen deprehendatur hæreticus, vel de hæresi suspectus, & sit periculum fugæ, aut maioris damni spiritualis in populo, potest, & tenetur Inquisitor statim, non expectato responso Summi Pontificis, ad carcerationem eius procedere, & à quouis id deprehendente denũciatio eiusdem pari modo debet fieri, vt supra cum Suarez de fide disp. 20. sect. 4. num. 25. & cum alijs diximus; ergò quanto magis quiuis alius hæreticus iurisdictioni Inquisitoris subiectus, si sit periculum fugæ &c. etiam statim absq. vlla mora ei denunciari, & ab ipso carceribus tradi debet.

147 Quod addo de non absoluendo Sacramẽtaliter obligato ad denunciandum, nisi prius delictum contra fidem Inquisitori denunciet, attingit breuiter solus, quod legerim; Stephanus Auila tract. de censur par. 2. cap. 7. disp. 3. dub. 7. vers. Tertio sequitur, quod cuius hæc sunt verba cum doctrina generali pro alijs materijs:

148 Verum est, inquit, quod in rebus grauioribus, præcipuè si pœnitens sit homo ordinarius, curandum est, vt prius denunciet, & hoc licet nondum incurrisset excommunicationem; quia si prius obtinuerint absolutionem, facile solent id omittere. In casibus autem Inquisitionis remittendus est pœnitens, vt prius denunciet, vt præcipitur in Edicto Inquisitorum: hæc ille.

149 Atq. hoc, quod vltimo loco dicit de præcepto Edicti Inquisitorum, intellige iuxtà formam illius, quod publicari solet in locis Hispanicæ Inquisitionis; at in Edicto, quod iussu Sacræ Congregationis in hoc, & in alijs locis publicatur, nequaquam tale preceptum continetur. Quare attendenda est qualitas cuiusq personæ; ideò moderatè dixi in Regula, fere semper; atq sic iudicant viri docti à me Consulti, & Illustrissimus D. Inquisitor Gorius.

150 Sequitur agendum de tempore denunciandi, attenta dispositione præfati Edicti Sacræ Congregationis, in quo non exprimitur si legas diligenter copiam originalis ab Vrbe huc transmissam, & in Archiuo Sancti officij Melitensis asseruatam, certus terminus aliquorum dierum, intra quos facienda sit

151 denunciatio; sed apponitur ibi particula, *quantè prima*, Latinè, *quam primum*, quæ quamuis alias importare soleat spatium triũ mensium in magnis, & duorum in paruis, l. in fraudem, §. fiscalibus, ff. de iure fisci, & tradit Barbosa, tract. 5. de Diction. vsu frequentioribus, cum Alberic. in suo Dictionario, verb. quamprimum, & cum specul. de alleg. & disp. §. post hoc autem, n. 9. in fine.

152 Pro præsenti tamen materia causarum fidei in nostro Edicto ad multo pauciores dies reducitur eius significatio nempè iuxta Edictum, seu Decretum Sacræ Congregationis statim adducendum, ad duodecim tantum, quatuor pro primo, quatuor pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio, ac peremptorio termino: fortè alicubi reducta fuit eiusdem significatio vti sine dubio arbitrio Inquisitorum fieri potest, ad dies quindecim, vel ad solos nouem, pari modo pro triplici termino æqualiter tripartitos.

153 Verum quid si iam annus à publicatione Edicti transiuit, & ob negligentiam Inquisitorum, vel ob aliam causam denuo non publicatur, manet ne adhuc obligatio ex vi eius denunciandi Hoc dubium proponit, & discutit Diana par. 4. tract. 5. resol. 41. præcipuè in casu solicitationis, sed pari modo procedit in reliquis casibus Sanctæ Inquisitionis.

154 Supponit ille Edictum Inquisitorum esse annuale (quæ suppositio an vera sit infra dicetur) ita vt duret per integrnm annum cum singulis annis publicari soleat, quo supposito si denuò non publicetur, affert primo ipse sententiam Freitæ tract. de Confess. solicit. q. 2. num. 44. affirmantis, adhuc esse ex natura rei obligationem denunciandi; non contra tamen censuras, & alias pœnas (de quibus vltimis Regulis huius capitis) ab omittendam denunciationem.

155 Hac autem sententia reiecta, benè idem Diana asserit, quamuis denuò non publicetur Edictum à particulari Inquisitore, obligari nihilominus sub censuris, & pœnis vnumquemque ad denunciandum ex vi saltem præcepti Sacræ Vniuer. Inquisitionis Romanæ, die 3. Ianuarij 1623. iniuncti; quod affert ipsemet Diana per extẽsum in fine 4. par. fol. mihi 494. & visum est oportunum hoc loco integrum proponere estq. tenoris sequentis.

156 Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD Cardinalium Inquisitorum Generalium præceptum.

De hæreticis, seu de hæresi suspectis Sancto officio propalandis.

157 Octauius Episcopus Prænestinus Bandinus; Carolus tit. S. Cæsarei Madrutius, Io: Garsia tit. S. S. quatuor Coronatorum Millinus, Fabritius tit. S. Augustini Verallus, Gaspar tit. S. Crucis in Hierusalem Borgia, Fr. Fœlix Centinus tit. S. Anastasię Asculanus, Scipio Cobellutius tit. Sanctę Susannæ, Fr. Desiderius Scaglia tit. S. Clementis de Cremona, Ludouicus tit. S. Laurentij in Damaso, Ludouisius, Presbyteri, & Ludouicus S. Adriani Diaconus de la Vallette, nuncupati, miseratione diuina S. R. E. Cardinales in vniuersa Republica Christiana aduersus hęreticam prauitatem Inquisitores Generales à sancta Sede Apostolica specialiter deputati.

148 Vniuersis, & singulis Christi fidelibus, tam Ecclesiasticis, quam secularibus vtriusq. sexus cuiusuis status, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ existentibus, & quacumq. digni.

dignitate, & auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum serie, ac tenore auctoritate nostra, & huius nostri officij, qua fungimur in hac parte præcipimus, & mandamus, quatenus infra duodecim dies proximè computandos, quorum primos quatuor pro primo, & reliquos quatuor primis quatuor immediatos pro secundo, & vltimos quatuor pro tertio termino, & peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus omnes, & singulos hæreticos, seu de hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reu. Commissario nostro quoad habitantes in Vrbe, quo verò ad alios extra Vrbem, & vbiuis locorum degentes, Inquisitoribus, vel locorum Ordinarijs, vel eorum Vicarijs Generalibus, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna; quam in contrarium facientes ipso facto incurrant iudicialiter propalare; cuius excommunicationis maioris absolutionem S.D.N. Papæ, & nobis reseruamus. Certificantes huiusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemnentes quod contra ipsos, tanquam contra hæreticorum fautores, alias pro vt melius visum, & iuris fuerit, procedetur. Ideò &c. Dat in nostra, & officij Sanctæ Romanæ Vniuersalis Inquisitionis Congregatione, die 3. Iauuarij 1623.

159 Aliqua hic diligenter notanda pro maiori rei intelligentia. Primo, quod iniungitur per verba præcedentia à Sacra Congregatione Vniuersalis Inquisitionis Romanæ, esse præceptum perpetuum, & habere vim Decreti, seu Edicti, licet sub nomine præcepti proferatur: nam sæpè in iure Præceptum, & Decretum, ac constitutio pro eodem sumuntur, vt benè aduertit Tuschus verb. Preceptum concl. 480. nu. 4. & 11. patetq. clarè ex Bulla Sixti V. circa agitationes taurorum relatam à Gutierez lib. 5. canon. 99. cap. 7. num. 36. in qua postquam ipse Sixtus retulit constitutiones quasdam Pij V. & Greg. XIII. sic ait. ***Nos vt Romanorum Pontificum præcepta, pro vt decet inuiolabiliter obseruentur.*** En qualiter constitutiones Pontificum vocat præcepta, ergo ità hoc Decretum seu Edictum Vniuersalis Inquisitionis Romanæ vocatur præceptum.

160 Secundo nota non solum dictum præceptum Decretum, seu Edictum Sacræ Congregationis Romanæ, sed etiam quæcumq. alia Edicta particularium Inquisitorum esse perpetua, & non habere minorem vim, quam leges Canon. cum Apostolica Auctoritate ferantur; & quamuis videantur præcepta ab homine; tamen quia Tribunal, à quo procedunt, perpetuum est, ideò per modum legis perpetuo durant, sicut de Bulla Cęnæ Doctores communiter affirmant; ergo transacto anno à die publicationis eorum, & si denuò nō publicentur, adhuc ex vi ipsorum, sub censuris insurgit obligatio denunciandi, ita Suarez de fide disp. 20. sect. 4. num. 11. Fagundez de præcept. Ecclesiæ, par. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31. Auila de censur. par. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 5. conclus. 3.

161 Qui tamen etiam videtur inclinare in illam suppositionem Freitæ, & Dianæ de qua supra, quod Edictum Inquisitionis sit annuale, ex ea coniectura, quod semel singulis annis publicetur.

162 Verum hæc coniectura nullius momenti est, nam quidquid sit de Edicto Tribunalium Inquisitionis Hispanicæ, in reliquis Tribunalibus subiectis Sacræ Congregationis Vrbis, ex eius præscripto terin anno, scilicet in Aduentu, in quadragesima, & ad festum Corporis Domini, Edictum publicari debet; & quāuis istę publicationes omittantur; ipsum tamen semper obligat ad denunciandum; quia perpetuum est. Sicq. etiam tenet Sancius in Selectis disput. 11. num. 62. in casu solicitationis.

163 Nota tertio terminum duodecim dierum de quo in Decreto, seu Edicto proposito, ibi Præcipimus, vt infra duodecim dies proxime computandos, &c. ac similiter in alijs Edictis Inquisitorum esse inchoandum à die primo habitæ notitiæ delicti contra fidem, ita Diana dict. tract. 5. resol. 41. cum Suarez de censuris, disp. 20. sect. 3. n. 14.

164 Qui ibi egregiè assignat differentiam inter ignorantem, & impeditum legitimè, quod hic sublato impedimento teneatur statim denunciare, quia dum durabat impedimentum decurrebat ei terminus 12. dierum, nequaquam vero illi, dum aderat ignorantia delicti; sed incepit ei à die, quo notitiam ipsius habuit: Quidquid Freytas citatus in contrarium dicat.

165 Superest adhuc dubiū, an teneatur qui ex vi Edicti Inquisitorum anticipare denunciationem per aliquale tempus ante impletum terminum 12. dierum in aliquo casu v.g. si cognoscens delictum, & existens vbi est Tribunal Sanctæ Inquisitionis, seu commoditas denunciandi, sit discessurus statim ad regionem longinquam, in qua per mensem eam non habebit, debeat præuenire denunciationem? Sancius dict. disp. 11. n. 60. tractās dubium in casu solicitantis Confessarij partem negantem probabilem asserit, & probabiliorem affirmantem.

166 Sed ego hanc vt prorsus veram admitto, cum Suarez tom 4. in 3. par. disp. 36. sect. 5. n. 5. Fagundez par. 3. lib. 1. cap. 6. numer. 3. Paulo Layman Theol. moral. lib. 5. tract. 6. capit. 3. num. 9. Diana dicto tract. 5 resol. 29. & cum alijs.

167 Qui communiter idem tenent de præcepto communionis tempore Paschatis, qui enim pręuidet tunc futurum impedimentum, vt Eucharistiam sumere nequeat, tenetur præuenire tempus, & prius ad eam accedere.

168 Similiter de præcepo audiendi Sacrum in die festo, præuidens quis fore vt non possit ipsum audire ab hora sexta ad nonam, debet anticipare, & audire circa horam tertiam; ergo pari modo de præcepto denunciandi ex

vi Edicti. Atque his in preſenti materia circumſtantia temporis ſatis explicata manet.

Vbinam delicti contra fidem facienda denunciatio? & an ob damnum imminens excuſetur quis ab obligatione Inquiſitorem adeundi, vel ei denunciandi?

REGVLA CLVII.

169 CORam Inquiſitore, ſiue Ordinario, ſiue Delegato, aut in Tribunali eius crimina contra fidem ſunt vt in plurimum denuncianda, atq. adhunc effectum quiſque, ea cognoſcens ipſummet Inquiſitorem audire tenetur.

170 Verum pro qualitate perſonæ denunciaturæ, vel pro rubore fęmineo euitando, aut pro damno quouis imminente repellendo, expedit ſępè quod committatur Aſſeſſori, vel alteri miniſtro, vt denunciationem alibi recipiat, nimirum, vel in domo talis perſonæ, vel in templo, aut in Cappella remota, vel in alio loco magis occulto.

171 Quamquam autem ob dictum periculum quandoque quis denunciationem differre poterit, raro tamen ratione ipſius ab ea exequenda omnino excuſabitur.

---

172 OMnes ferè Regulæ huius particulæ ex ſe ipſis notæ ſunt, & vix indigent declaratione; ac multo minus probatione. Innoteſcit enim ex ſe, & ex vſu quotidiano, quod coram Inquiſitoribus, quicumq. ſint, delicta hęreſis, vel apoſtaſiæ denunciari debeant, & ipſos perſonaliter adire pro executione huiuſmodi denunciationum conſtringamur.

173 Quod primo fundatur in Edicto Sanctæ Inquiſitionis pro quibuſcumq. Tribunalibus à Sacra Congregatione Vrbis præſcripto, in cuius prima clauſula ita habetur: *Debbano al Sant'offitio reuelare, e notificare*, nomine autem Sancti officij præcipuè intelligitur perſona Inquiſitoris, vt patet, ergo ei, ſeu coram eo delicta contra fidem immediatè, aut coram ſolis alijs officialibus, etiam conſtituentibus Sanctum officium, ſi ipſi Inquiſitori ita placuerit, denunciatio facienda.

174 Item fundatur in Bullis, aut Decretis Pontificijs, quibus iniungitur denunciatio iſta, præſertim in Decreto Sacræ Inquiſitionis Romanæ, Regula precedenti adducto, incip. Vniuerſis, & ſingulis &c. ibi, debeant nobis, vel Reu. Commiſſario noſtro &c. iudicialiter propalare &c. ergo vt in plurimum quiuis denunciaturus Inquiſitorem adire, eiq. delicta contra fidem denunciare tenetur.

175 Sed iam de limitatione, quæ ſequitur in Regula per particulam, *Verum pro qualitate perſonæ &c.* Quis enim non videat, quod ſæpius expediat per Commiſſarium, Aſſeſſorem, vel alium miniſtrum Sancti officij denunciationes, aut teſtificationes de cauſis fidei alibi, quam in loco Tribunalis recipiantur? ſi modò aliquando aliter fieri nequit, vt ſi accipienda ſit depoſitio monialis, aut perſonæ infirmæ iacentis in lecto. Ita docent loquentes de caſu ſolicitationis (par eſt ratio, aut maior de alijs caſibus) Sancius in Select. diſp. 11. nu. 45. Acugna quęſt. 12. num. 14. Diana par. 4. tract. 5. reſol. 19.

176 Et alij aſſerentes fęminas egregias, & nobiles teneri teſtificationis cauſa in ſolicitatione adire Inquiſitores, id enim nimis durum non eſt ob bonum Religionis, niſi clauſura, vel infirmitas, aut alia cauſa iuſtta excuſet. Verba ferè ſunt ipſius Dianæ.

177 Poſſet autem eſſe cauſa iuſta, nimius rubor fęmineus, aut timor magnus vxoris, ne vir rixas excitet, aut minus inijciat, vbi ſciuerit eam adiſſe Inquiſitorem, vel Tribunal Sancti officij: tunc ſine dubio recipienda denunciatio in aliquo Templo, vel Cappella remota, aut in loco occulto, vel taliter in publico vt nulla perſona, nec famula, neq. ſocia denunciantis percipere talem actionem valeat,

178 nempe, ſi fęmina ſtans ad ianuam Sacriſtiæ coopertam panno aliquo, vt ſolet, coram Sacerdote Confeſſario, quaſi cum ipſo de rebus conſcientiæ agat interim miniſtris Sanctæ Inquiſitionis aliundè introgreſſis, & non apparentibus denunciationem proponat, ita aliquando recepta fuit depoſitio cuiuſdam fœminæ ad ianuam noſtræ Sacriſtiæ me pręſente, & excogitante talem locum, & modum denunciandi, qui valde placuit D. Inquiſitori, & alijs officialibus Sanctę Inquiſitionis, cum per ipſum, & rubor fęmineus, & periculum cuiuſuis damni à viro, vel ab alia perſona inferendi facile propellatur, ergo executioni ſæpè mandandus.

179 Adhuc nihilominus dubitari poteſt, an excuſetur quis à denunciatione, ſi ex ea timeat damnum notabile ſibi, aut conſanguineo, vel magno amico &c. inferendum? Bis excitat hoc dubium Diana dict. tract. 5. reſol. 19. & magis particulariter reſol. 36. ac ſemper in ſola materia ſolicitationis, ſed congruenter extendas licet ad quaſcumq. materias. Pro vtraque parte ſunt varij Doctores, pro negante, quod ſcilicet non excuſetur, Bonacina in tract. variarum diſp. 6. pun. 1. §. 3. numer. 6. & pun. 3. num. 11 Freytas de Confeſſ. ſolic. quęſt. 12. n. 19. Diana citatus, & alij, quę tutior eſt, & ſine dubio verior.

180 Pro affirmante verò Sancius in dict. diſp. 11. num. 55. Lezana in Summa quæſt. Regul. cap. 19. numer. 34. Souſa lib. 1. Aphor. cap. 34. & alij. Ex quibus vix eſt vllus, qui non ſtatim limitationem adiungat, inclinando in oppoſitum.

181 Verum quia res eſt valde practica, & per difficilis, viſum eſt opportunum, mentem aliquorum proprijs ferè cuiuſq. verbis exprimere. Anton. Souſa ita num. 58. Regulariter, inquam, excuſatur fęmina ſolicitata à denunciando, ſi ex denunciatione ei ſequatur mors, membri

membri abscissio, vulnera, notabilis famæ, vel honoris iactura, amissio maioris, vel magnæ partis bonorum, aut hæc consanguineis, & affinibus, vsq. ad quartum gradum probabiliter euentura timeantur) hæc ille.

182 Quæ magis exprimit nu. sequenti 59. Vt quis, inquit, dicatur sufficienter timere prædicta mala taliter quod à denunciando deobligetur, sufficit quod probabiliter proximè euẽtura credantur, facileq. eis occurri non possit, & qui illa minatur, possit, ac solitus sit illa, aut similia exequi): sic ibi.

183 Atq magis limitando num. 60. addit. Si ex omissione enunciationis fidei bonum periclitetur, non potest omitti denunciatio, licet inde denuncianti aliquod ex prædictis malis, vel periculis eueniat, hactenus Sousa, & egregiè, vt solet.

184 Diana item dict. resol. 19. sic limitat. Aduertant inquit, Confessarij, quod in hoc cauendum est, ne trepidetur à timore, vbi timor non est, & ideo suadeant mulieri, non esse inhonestum comparere coram Inquisitoribus pro Catholicæ fidei defensione, ad denunciandum taliter delinquentes. hæc ille cum Peyrino de priuil. Min. tom. 2. const 4. Gregor. XV. §. 9 nu. 28. sed non requiritur dicta comparitio coram Inquisitore, cum possit à ministro eius alibi in loco occulto, seu modo secretissimo à nobis paulo ante expresso denunciatio recipi.

185 Imo si hæc sit cõtra Confessarium solicitantem, de qua loquuntur Peyrinus, & Diana, casu quo fœmina solicitationi consentit, & renuit vllo modo comparere, neq coram ministro Inquisitionis poterit illum sufficienter denunciare medio alio Confessario per scripturam iuratam, accepta ad id auctoritate ab Inquisitore, vel ab Episcopo, vt patet ex epistola de mandato Papę directa ad Archiepiscopum Neapolitanum, quam affert ibidem Diana resol. 31. & nos iam alibi tradidimus.

186 Ex quibus apparet in praxi ferè nunquam reperiri dictum periculum damni alicuius, & esse merè imaginarium timorem eius; ergò ob ipsum non est omittenda denunciatio delictorum contra fidem.

187 Freytas item vbi supra quæst 12. num. 19. contra Sancium in select. disp. 11. n. 55. meritò affirmat, quod tenearis denunciare hæreticũ, aut de hæresi suspectum, etiamsi ex denunciatione aliquod damnum amico tuo maximo proueniat; cum multo maior amicus sit Deus, & dici soleat, amicus vsque ad aras; atq. damna, quæ cõmuniter ex omissa denunciatione sequuntur Reipub. Christianæ præualeant, & præferri debeant quibuscumq incommodis priuatarum personarum. Quare con-
188 cludendum ea doctrina, qua concludimus Regulam, nimirum quod quamuis ob dictum periculum aliquandiu denunciationem differre valeas, rarò tamen ab ipsa alicubi exequenda excusaberis.

Quonam modo, seu sub qua forma facienda denunciatio, vt sit iuridica, & satisfaciat quis præcepto denunciandi?

REGVLA CLVIII.

189 DVplex denuncianti iniungendum iuramentum, alterum de veritate dicenda; alterum de non reuelandis vlli gestis inter ipsum, & Inquisitorem, Denuncians itẽ
190 interrogandus de tempore, & loco commissi delicti contra fidem, quoties commissũ, quibus circumstantijs, qui sciant, & qua ratione ipsi nouerit.

191 Erit autem denunciatio iudicialis, seu iuridica, sufficiensq ad satisfaciendum præcepto denunciandi, si facta fuerit à persona præsente in scriptis, aut verbis, vel ab absente per litteras, dummodo hæc fide sit digna, litterasque signauerit; ac firmauerit iuramento; Se-
192 eus verò si sint absque subscriptione, seu nomine auctoris: imo de his nulla habetur cura in Sancto officio, neque inseruiunt Iudici ad inquirendum in particulari.

---

193 Actus denunciationis semper inchoandus à iuramento iniungendo denunciaturo de veritate dicenda in omnibus deferendis, & interrogandis, atque finiendus cum altero iuramento de seruando secreto circa cuncta gesta inter ipsum, & Inquisitorem, seu ministros Sancti officij recipientes denunciationem, vsus vtriusq. ita seruatur in hoc nostro Tribunali Melitensi, vt credo similiter seruari eum in quouis alio. De priori iuramento prẹter alios agit Sousa lib. 2. Aphor. cap. 4. num. 4. de posteriori Ludouicus à Paramo de origine Sanctæ Inquisitionis, lib. 3. quæst. 8. numer. 26.

194 Post factam depositionem delicti scribente Notario Sancti officij; quod denunciator debeat interrogari de circumstantijs temporis loci &c. tractant benè ijdem Sousa, & Paramus locis citatis Simanc. de Cathol. instit. tit. 64. ac præ cæteris Eymer. par. 3. Direct. tit. de secundo modo procedendi in causa fidei, & ibi Peña Comment 15. Verba Eymerici sic habent.

195 Interrogabit, inquit, eum, vnde scit esse vera, quę denunciauit, & an viderit, vel audierit. Si dicat se vidisse; interrogabit, vbi vidit, & quando, & quoties, & per quem modum, & qui erant præsentes; si dicat, quod non vidit, sed audiuit, interrogabit eum Inquisitor, à quibus audiuit, & vbi, & quando &c. formando articulos de quolibet prædictorum singulariter, & diuisim: ita ille.

196 Iam denunciatio quod sit iuridica, seu iudicialis, ac sufficiat pro adimplendo præcepto Edicti de criminibus contra fidem deferendis Inquisitori, si fiat personaliter, seu à persona præsente in scriptis, aut verbaliter, nul-

lus est locus dubitandi secundum auctores citatos, præcipuè Eymericum vbi supra, & Sousam ibidem num. 3.

197 Qui aduertũt debere recipi denunciationem coram duabus personis religiosis, seu honestis iuxta cap. vt officium, de hæreticis in 6. Sed ad validitatem, & iustitiam eius id non requiri, sed tantum ad decentiam quandam si commodè fieri potest, optimè testatur Peña dicto Comment. 15. vers. quod vero hic, Ratio est quia neq. in dicto cap vt officium, neq. alibi in iure cautum, vt dum recipitur denunciatio adsint necessario testes vel alij, præter Inquisitorem, aut ministrum Sãcti officij eam acceptantem, & Notarium scribentem, patebitq. ex dicendis, vers. sequenti.

198 Dubitari verò potest an ita etiam sit de denunciatione facta à persona absente per litteras, quia isti non videntur posse fieri tot prędictę interrogationes, circa delicti circumstãtias, quæ vt vidimus, necessariò denunciatori faciendæ? Nihilominus esse iuridicam, &

199 sufficientem ad seruandum denunciandi preceptum, & ad procedendum contra denunciatum, denunciationem per litteras receptam ab homine absente, modo hic sit fide dignus, & scripta in litteris proprio iuramento firmauerit, ac subscripserit, meritò tuentur citati Doctores, maximè Simanch. Cathol. instit. tit. 43. num. 10. Farin. de hæresi q. 185. §. 5. num. 66. Sousa vbi supra, num. 5. Nec obstat ratio dubitandi, nam etiam per litteras fieri possunt quæcumq. interrogationes, etiamsi necesse sit sæpius scribere, & rescribere.

200 Tandem quid si per litteras, aut scripturas occultè missas, aut proiectas absque subscriptione seu nomine denunciantis de crimine contra fidem cum expressione testium, qui ipsum nouerint, quis denuncietur? Ludouicus Paramus de origine Sanctæ Inquisitionis lib. 3. quæst. 6. num. 91. & sequentibus copiosè hoc discutit, & tandem concludit posse tunc Iudicem contra denunciatum procedere vocando, & examinando dictos testes.

201 Verum oppositæ senteutiæ adhæreo cum Simanc. in Enchirid. tit. 21. num. 8. & Farin. loco citato num. 68. cuius hęc sunt verba, sed tutius, inquit, est etiam quod in schedula sine nomine transmissa sint testes nominati, non procedere ad eorum examen, est enim res multum suspecta, & ita regulariter seruatur in supremo Vrbis, totiusq. Christianæ Reipublicę Sanctę, & Generalis Inquisitionis Tribunali.

202 hæc ille. Atq. à fortiori non debet Inquisitor procedere contra denunciatum per dictã schedulam, in qua nulla sit expressio testium; quia daretur improbis ansa infamandi impunè quoscumq. voluerint.

203 Quidquid tamen sit de facultate Inquisitoris in dicto casu procedendi; illud certum est per similes schedulas sine nomine occultè missas nullo modo satisfacere quemquam præcepto denunciandi, neq. effugere pœnas contra non denunciantes, vt habetur expressè in fine Edicti per illa verba (*Auuertendo ch'à questi nostri precetti non sodisfaranno, ne s'intendano sodisfare quelli, che con bollettini, ò lettere senza nome, e cognome de gli authori, ò in altra maniera incerte (delle quali niun cõto si tiene nel Sant'Offitio) pretendessero riuelare i delinquenti)* hæc ibi iam à nobis supra in Latinum translata.

Quanam pœna contra nolentes denunciare delicta fidei opposita, vel denunciantes falsò, aut non legitimè?

REGVLA CLIX.

204 Contrahunt primò excommunicationem ipso facto quicumq. non denunciantes crimina contra fidem, nisi ignorãtia, aut iusta causa excuset. Fiunt item suspecti

205 de hæresi ob omissam denunciationem maximè si cum hæreticis, quos denunciare debent, familiariter tractent. Imò sic tractantes fautores hæreticorum probabiliter præsumũtur, & vt tales damnandi. Easdem etiam pœ-

206 nas incurrunt denunciantes illa; sed non iuridicè per schedulas sine nomine denuncia-

207 toris. Tandem qui falsò denunciant in Sancto officio contra aliquem puniendi pœna talionis iuxtà probabiliorem sententiam.

---

208 De contractione huius excommunicationis agit Peña in Direct. par. 2. comment. 2. sed non probat complete ex Gregor. IX. extrauagante, quę incipit, *excommunicamus*: nam ibi nõ fertur excommunicatio ipso facto, sed ferenda dicitur his verbis, excommunicationis sententia procedatur vt bene aduertit Suarez de fide disp. 20. sect. 4. nu. 28.

209 patet tamen esse latam tum ex edictis particularium Inquisitorum, tum ex illo mandato, seu Decreto Sacræ, & Generalis Inquisitionis Vrbis supra adducto, incip. Vniuersis, & singulis &c. atq ex vi ipsorum incurritur ipso facto; nisi ignorantia, vel alia legitima causa excuset, vt cum eodem Peña 2 par. Direct. comm. 18. affert, ibidem Suarez.

210 Pręterea, quod fiat suspectus de hæresi, qui denunciationem omittit, sicut qui veritatem nulla causa excusante occultat, vel in iudicio interrogatus scienter negat, docent benè Peña 2. par. Direct. quæst. 56 comment. 81. & Farin. de hæresi quæst. 197. nu. 38. cum alijs ab ipso relatis, præcipuè Alphonso de Castro de iust. hæret punitione lib. 2. cap. 25.

211 affirmante talem suspicionem esse violentã; quod vt nimis rigorosum meritò reijciunt, & tantum esse vehementem concedunt Castrus Palaus de hæresi tract. 5. disp. 3. pun. 4. nu. 21. & ante eum Rojas sing. 5. n 17.

212 Admitto tamen, vt probabile id, quod ipse addit. num. 18. fore scilicet violentam dictam suspitionem, si non denuncians hæreticum quem talem cognoscit, & non excusatur denunciare, cum eo conuersetur, ipsique sit nimis familiaris, & amicus, citat pro se Hostiensem, & alios, ac ostendit ex illo psal. 17. cum

peruer-

peruerso peruerteris, & ex alijs similibus.

213 Sed quid de fautoria? ex Doctoribus alij negant, vt Simanc. de Cathol. instit. tit. 25. n. 11. alij affirmant, vt Peña 2. par. Direct. quęst. 53. comment. 78. nolentes scilicet denunciare nulla existente causa, quæ excuset, esse fautores hæreticorum, vt tales puniendos, & hoc secundum, vt probabile saltem admittẽdum,

214 Imo vt certum cum Decian. in tract. crim. lib. 1. cap. 51. num. 35. Farin. vbi supra num. 47. Castro Palao loco citato, & cum alijs, vbi quis ex officio, vel ex iuramento præstito tenebatur denunciationem non omittere. Ratio est, quia hæc fautoria fundatur in præsumptione; at de quouis, & multo magis de officiali, aut de familiari Sanctæ Inquisitionis omittente debitam denunciationem hæretici, potest non sine fundamento præsumi, quod omittat in fauorem ipsius hæretici, vt hæreticus est; ergò tanquam fautor hæreticorum habendus est, & puniendus, vt saltem alijs pęnis prudenti Inquisitoris arbitrio, vt concludit Suarez ibidem.

215 Quod diximus de præsumptione hæresis, & de fautoria respectu nolentium denunciare delicta contra fidem, pari modo intelligi debet de denunciantibus non iuridicè per schedulas sine nomine, & cognomine auctoris; quia isti, vt ostendimus ex penultima clausula Edicti, se ita habent acsi nullo modo denunciarent, neque precepto denunciandi satisfaciunt; ergò censentur suspecti de hæresi, & fautores similiter hæreticorum.

216 Restat dicendum vnum tantum verbum circa denunciantem falsò in Sancto officio, quem puniendnm pœna talionis benè tradit post alios Farin. de hæresi q. 188. §. 2. num. 45. & ostendit primo ex Bulla Pij V. in ordine 5. vt ipse citat, vers. monemus, præterea, il secõdo, secundum quam generaliter in quouis crimine denunciantes per calumniam pęna talionis puniri debent; quanto magis in crimine hæresis adeò infamatorio.

217 Item efficacius sic, quia si testis, qui vocatus ad se examinandum falsum contra aliquẽ deponit, tali pœna est plectendus, multo magis eadem plecti debet, qui sponte se defert Tribunali Sanctæ Inquisitionis, & alium calumniosè denunciat, sed de his alibi copiosius.

Ab excommunicatione contracta ob omissam denunciationem delicti contra fidem quisnam potest absoluere:

REGVLA CLX.

218 EXcommunicatio lata ob denunciationem omissam delicti contra fidem reseruata est illi, qui ipso facto excommunicauit: vndè ipse solus, vel ei superior in materia fidei poterit iustè, & valide ab ea absoluere, postquam excommunicatus denunciauerit, non licitè antea.

219 Quin etiam executa iam denunciatione à quocumq. vtente priuilegio Cruciatę, vel simili alicui Religioni concesso absolutio huiusmodi excommunicationis impertiatur, erit valida, & licita.

---

220 PAtet clarè de reseruatione istius excõmunicationis ex Edicto cuiusq. particularis Inquisitoris; ac simul de potestate absoluendi ab ipso reseruante solò, aut ab alio in causis fidei, ei superiore; ibi: *E della detta scommunica, e pene, nelle quali i disubedienti incorreranno, non possa alcuno esser assoluto se non da Noi, ò dal supremo Tribunale del Sãto offitio di Roma.*

221 Similiter ex præcepto, seu Decreto illo supra adducto Vniuersalis Inquisitionis Romanæ, incip. Vniuersis, & singulis, ibi, cuius excommunicationis maioris absolutionem S.D.N. Papæ, & nobis reseruamus &c. neque hoc maiori indiget probatione.

222 Quod obligatus denunciare crimen contra fidem, antequam excommunicationem Edicti contrahat, à nullo sit absoluendus, quousque denunciauerit, tradimus iam supra Regula 156. vers. Quod addo cum Stephano Auila; nunc verò expendimus, casu quo iam ipsam contraxit, & dicimus cum eodem Auila, cum Sancio in select. disp. 11. num. 62. Aegidio Trull. in Bulla Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. num. 11. & Diana 4 par. resol. 36. quod non debeat absolui, antequam denunciatio fiat.

223 Atq. hoc intelligitur etiã respectu habentis iurisdictionem ad absoluendum (si à non habente absolueretur, vt per se manifestè patet, esset illicita, & inualida absolutio) siue ex iure, aut officio, siue ex priuilegio Cruciatę, vel alicui Religioni concesso, siue aliunde eam habeat. Probatur, quia in re tanti momenti non est ita facile credendum promittenti se illicò denunciaturum; & quidem supposita iam excommunicatione incursa, censetur fieri iniuria parti, nempe Inquisitori, si antequam ei satisfiat per denunciationem, excommunicatus absoluatur.

224 Cõfirmari potest ab exemplo, quia si quis censuram contraxit ob retentionem concubinæ, non debet absolui, nisi prius sit expulsa, nec sufficit, quod promittat expellere, vt egregiè docent Suarez de censur. disput. 7. sect. 5. num. 45. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. Guttierrez in qq. Canon. lib. 1. cap. 5. n. 30. & alij; ergo pari modo in casu pręsenti.

225 Post adimpletum verò denũciationis præceptum quiuis Confessarius ex vi priuilegij poterit ab excommunicatione Edicti contracta absoluere, vt bene testantur Sancius, dict. disp. 11. num. 64. & Diana idem resol. 29. cuius hæc sunt verba.

226 Quod si, inquit, fęmina, quæ iam censuram incurrit, denũciationis pręceptum adimpleat, poterit virtute Bullæ Cruciatæ à quocumq. Confessario absolui à censura; nam satisfacta parte absoluendi priuilegium ab omnibus censu-

censuris traditur in Bulla, vel à Regularibus virtute priuilegiorum: nec indiget fæmina fateri Inquisitoribus in Sacramento penitentiæ, nec extra, se negligentem fuisse in denunciatione, quod est valde obseruandum quia quotidianum, & hoc procedit in omnibus casibus Edicti: hęc; in quibus res pręsens bene probata manet.

HActenus de commentatione totius Edicti S. Inquisitionis, & de toto primo libro ex illis quibus diuiditur vniuersum hoc opus nostrum de Consultore Sancti Officij, seu de multiplicibus Regulis pro eo formando: ex traditis hucusq. centum sexaginta, formatus, ni fallor, sufficienter existit circa qualificationem; cum ex eis attentè perpensis facile elicere possit, dictum vel factum quodcumq. sit hereticale, nec ne? an & qualiter spectet ad Sanctum officium. Ad quod etiam inseruient non pauca dicenda in sequentibus libris.

Laus Deo Opt. Max. Sanctissimæq. Deiparæ Virgini Mariæ.